J. Kern, S. J.

Tractatus de Extrema Unctione.

DE SACRAMENTO
EXTREMÆ UNCTIONIS
TRACTATUS DOGMATICUS

AUCTORE
JOSEPHO KERN S. J.
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ IN C. R. UNIVERSITATE ŒNIPONTANA
PROFESSORE P. O.

RATISBONÆ, ROMÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATI
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
MDCCCCVII

Ut Opus, cui titulus **„De sacramento Extremæ Unctionis tractatus dogmaticus“**, auctore P. Josepho Kern S. J., typis vulgetur, hisce ex parte nostra permittimus.

Ad St. Andreæ, 10. Julii 1906.

Fr. Xav. Schwærzler S. J.
Præp. Prov. Austr.-Hung. S. J.

L. † S.)

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Februarii 1907.

Dr. **P. Kagerer**,
Vic. Capit.

ŒNIPONTANÆ
FACULTATI · THEOLOGICÆ
SEMISÆCULARIA
CELEBRANTI
D. D. D.

Prooemium.

Principes theologorum medii ævi uno ore docent, sacramentum Extremæ Unctionis continere *plenitudinem gratiæ*, qua ægrotos liberet ab omnibus veris animæ malis eisque tribuat eximia dona divina, quibus præparentur ad immediatum introitum gloriæ. Experientia teste non solum homines laici, sed etiam sacerdotes multum mirantur, si audiant, sacramentum exeuntium a Christo Domino Ecclesiæ esse datum, ut eius ope fideles post mortem a pœnis purgatorii præservati statim in cœlestem patriam transferantur. Fateor, me quoque obstupuisse, cum perscrutando opera magnorum doctorum sæculi XIII. inveni, eos finem proximum sacræ Unctionis infirmorum reponere in perfecta sanitate animæ cum dispositione ad continuam consecutionem beatitudinis, nisi restitutio sanitatis magis expediat.

Clarum est, hanc doctrinam, si vera esse probetur, summam habere vim ad augendam reverentiam tanti mysterii, ad removendum stultum horrorem, quo plurimi graviter decumbentes divinam medicinam respuunt, et efficax præbere motivum ad excitandam seriam cooperationem cum gratiis sacramenti, ut felix eius fructus plene percipiatur. Votum pro viribus inducendi theologos, ut doctrinam antiquæ Scholæ de fine Extremæ Unctionis serio perpendant eiusque veritate perspecta studiose illu-

strent, maxime me permovit, ut hunc tractatum conscriberem idque lingua latina, cum nequeamus infitias ire, libros dogmaticos germanico sermone compositos exteris theologis plerumque parum innotescere.

Multi auctores recentioris temporis hinc quidem negligunt vel reiciunt, quæ magni scholastici de beato fine sacræ Unctionis tradiderunt, inde vero rationes, quibus s. Thomas ostendit convenientiam ritus, quem ecclesia latina in conferendo sacramento ex aliquot sæculis observat, considerant ut argumenta stricta, praxim actu in Occidente vigentem pertinere ad essentiam mysterii sacri olei. Quia autem contraria documenta historica non possunt elidi, factum est, ut pleræque quæstiones nostram materiam spectantes, quas Ecclesia solemnibus definitionibus non decidit, habeantur controversæ. Quod dedit protestantibus ansam, dignitatem sacramentalem unctionis a s. Jacobo commendatæ non sine specie ideo oppugnandi, quod theologi catholici de eius essentia, proprietatibus et efficacia vehementer inter se dissentiant. Non inepte hoc dissidio novissime utitur *F. W. Puller,*[1]) scriptor anglicanus, ut probet, Catholicos male interpretari textum s. Jacobi V, 14 s. Verum si præ oculis habeamus, in re sacramentaria omnia pendere a libero decreto Christi Salvatoris, proinde veras demonstrationes non confici meris rationibus a priori, sed hauriendas esse ex fontibus revelationis, fere in omnibus quæstionibus alicuius momenti certam cognitionem assequi licet. Ad quod non parum iuvat inquisitio in Traditionem et in præsentem disciplinam ac persuasionem ecclesiarum Orientis tum unitarum cum Sede apostolica tum ab ea dissidentium. Quare in hoc opere sæpe citantur moderni auctores græci, præsertim vero russiaci, quorum non pauci cum

[1]) The Anointing of the Sick in Scripture and Tradition, with some Considerations on the Numbering of the Sacraments.

insigni scientia et sincera pietate de mysteriis christianis tractant. Visum est, illorum quidem dicta in lingua originali, horum autem in versione latina referre. Singulares debeo gratias R. D. *Josepho Bocian,* præfecto in ruthenico seminario catholico Leopoliensi, qui et attentum me reddidit, quanto subsidio mihi foret studium theologorum ecclesiæ russiacæ, et maximo cum labore omne auxilium mihi tulit, quo indigebam.

Extremæ Unctioni convenire rationem sacramenti, probandum est imprimis contra protestantes, qui in interpretando quidem textu classico s. Jacobi quaquaversus discedunt, unanimes tamen affirmant, antiquitatem christianam iudicasse, ritum illo textu præscriptum non esse vere sacramentalem. Quare etiam ipsum fundamentum tractatus nostri ope Traditionis firmiter est stabiliendum. Abundant sane monumenta primorum sæculorum testimoniis, fideles oleo sacro usos esse ad iuvandos ægrotos. Sed cum huiusmodi unctiones etiam laici tum in aliis tum in seipsis peregerint, auctores protestantes ostendere conantur, ex piis unctionibus certe non sacramentalibus paulatim efformatum esse sacramentum Extremæ Unctionis. Puller e. gr. opinatur, id in Occidente sæculo IX. præcipue auctoritate Caroli Magni et Ludovici Pii imperatorum esse perfectum. Verum sicut Baptismus non est ortus ex frequenti usu pio aquæ benedictæ, et sicut sanctissima Eucharistia non est orta ex crebro usu pio panis benedicti (eulogiarum), sic Extrema Unctio non est orta ex qualicunque usu pio olei benedicti. Quod documenta Traditionis afferenda clare demonstrant.

Sententiæ, quæ videntur esse novæ, suspicioni dant locum. Unde non spero fore, ut a theologis facile admittatur propositio, qua asseritur, Unctionem infirmorum in eodem mortis periculo sæpe valide administrari posse. Attamen rationibus speculativis nunquam evincetur, dic-

tam sententiam esse falsam. Igitur cum desint definitiones Ecclesiæ, argumentis historicis erit oppugnanda. Existimo autem, tantum abesse, ut accuratior inquisitio in fontes historicos eam evertat, ut eam sit magis magisque confirmatura.

Utinam istud qualecunque opus aliquid conferat, ut cœlestis medicina animæ et corporis a fidelibus maximi æstimetur, tempore gravis infirmitatis tempestive expetatur et cum ea devotione suscipiatur, ut beatos suos fructus uberrime valeat producere.

Œniponti, 10. Decembris 1906.

Josephus Kern S. J.

Index Partium.

Liber primus.

Extremam Unctionem esse verum novæ Legis sacramentum.

Liber secundus.

De fine et essentia Extremæ Unctionis.

Liber tertius.
De effectibus Extremæ Unctionis.

Liber quartus.

De ministro et subiecto Extremæ Unctionis.

pag.

Liber quintus.

De proprietatibus Extremæ Unctionis.

LIBER PRIMUS.

EXTREMAM UNCTIONEM ESSE VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.

Secundum doctrinam catholicam per decursum tractatus evolvendam Extrema Unctio est sacramentum piissimæ misericordiæ divinæ, solamen et alleviatio graviter decumbentium, fons patientiæ et piæ fiduciæ in Deum, vera salus animæ et corporis, firmissimum scutum contra ultima tela inimici humanæ naturæ, consummatio vitæ christianæ, unctio regalis et præparatio ad introitum gloriæ, medicina pretiosissima a clementissimo Salvatore ex abundantia bonitatis suæ mortalibus concessa.

In hac fide cum ecclesia catholica concordant ecclesiæ ritus græci dissidentes. Quam fidem *Symeon*, Thessalonicensis archiepiscopus (sæc. XIV.), testatur verbis[1] (De s. ritu s. olei sive euchelæi): „Scitis, quot sancta et maxima Dei charismata [sacrum oleum] impertiatur: ab infirmitatibus alleviat, peccata dimittit, sanctitatem largitur, divinum robur et denique regnum cœlorum præbet. . . Merum est oleum, sed oleum sanctum per sacram sanctificationem et repletum divina virtute, et dum sensibiliter delectat, valet simul animas illuminare et sanctificare corpus quoque et spiritum, et vulnera adimere, necnon infirmitates sanare et a luto peccatorum emundare, Deique misericordiam atque iucunditatem nobis comparare.“ — Eundem consensum in fide ostendunt etiam *definitiones* huius

[1]) Migne PG. 155, 529 s.

doni divini a theologis occidentalibus et orientalibus propositæ. *Albertus Magnus* (In sent. IV. dist. 23, a. 2): „Si quis totum esse Extremæ Unctionis, inquit, dicere vellet, posset ita definire, quod Extrema Unctio est sacramentum ex unctione per oleum sanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, et si expedit, alleviationem ferens corporis infirmitati.“ Magis expressa est definitio, quam *Suarez* approbat (t. 22. ed. Vivès, disput. 40, sect. 4, n. 1), Extremam Unctionem esse „sacramentum ex sacra unctione olei et prece sacerdotis confectum et ad salutem mentis et corporis ægrotantis hominis divina institutione ordinatum.“ *Metrophanes Critopulus,* hieromonachus et tandem patriarcha Alexandrinus (c. 1630—1641) in nota sua „Confessione catholicæ et apostolicæ in Oriente ecclesiæ“ scripta a. 1625, cum protestanticas universitates Germaniæ lustraret, proponit c. 13. definitionem:[1] „Oleum precum est ritus (*τελετή*) mysticus, per oleum et preces ab Ecclesia pro fidelibus ægrotantibus celebratus. Ægrotantes enim, quando istiusmodi oleo perunguntur, cum fide et bona in Deum spe, auxilium inde nanciscuntur.“ Recentes auctores russiaci[2]) fere sequuntur definitionem „maioris christiani catechismi“ p. I. a. 10: „S. Unctio est mysterium, in quo ungendo corpus oleo invocatur super infirmum gratia divina sanans spirituales et corporales infirmitates.“

Cum consensu theologorum occidentalium et orientalium in definitione sacri ritus coniungitur dissensus de *nomine.* *Metrophanes* e. gr. in sua Confessione modo citata scribit: „Ceterum hoc oleum precum non vocatur extrema unctio (*ἐσχάτη χρῖσις*), neque enim extrema ægroti expectamus et tunc ad hanc accedimus. Verum bene adhuc de valetudine ipsius sperantes utimur isto mysterio sive mystica cæremonia, precantes Deum, ut sanare eum velit atque a morbo liberare.“ Crimini verterunt et etiamnum vertunt Orientales dissidentes ecclesiæ latinæ nomen Extremæ Unctionis. Rationes eorum, quas Metrophanes hic insinuat, libro IV. cap. II. huius operis

[1]) *Kimmel,* libri symbolici ecclesiæ orientalis, appendix p. 151.
[2]) Conf. e. gr. *Macarius* metropolita, orthodoxa dogmat. theologia⁵, t. II. p. 464, *Maltzew,* die Sacramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes, p. CCCXXIII.

discutientur. Nec desunt theologi catholici, quibus ista denominatio displicet. Carolus *Chardon* O. s. B. orditur suum tractatum historicum de nostro sacramento verbis:[1]) „Ce sacrement n'a pas toujours porté le nom d'Extrême Onction. Ce nom lui est venu de *l'abus* qui s'est introduit, et qui n'est que trop commun depuis quelque temps, d'attendre à l'extrémité pour le recevoir.“ Et nomen iam vicissim sustentat abusum; plurimi enim cum horrore refugiunt cœlestem medicinam, qua accepta certo sibi moriendum esse ex nomine eius colligunt. Theologi plerique contra talem horrorem pugnant declarando, sacramentum vocari Extremam Unctionem, quod post alias unctiones — in Baptismo, Confirmatione, Ordine — applicetur. Sed hæc declaratio non fulcitur testimoniis historicis. „Extrema Unctio“ valorem termini technici non obtinuit nisi exeunte sæculo XII., cum iam late grassaretur abusus expectandi extrema hominis ægroti pro administrando hoc ritu sacro. Unde „Extrema Unctio“ videtur idem valere quod „sacramentum exeuntium“, qui terminus pariter a fine sæculi XII. increbrescere incepit. Ecclesia utrumque vocabulum, maxime prius, suo usu consecravit, quia teste Concilio Tridentino (doctr. de sacr. Extremæ Unctionis) „clementissimus Redemptor noster ... Extremæ Unctionis sacramento *finem vitæ* tamquam firmissimo præsidio munivit“ ideoque ritum s. olei ex primaria intentione ad hoc ordinavit, ut infirmis moribundis supernaturalia auxilia præberet pro extremo agone. Hinc tamen minime sequitur, vituperandos esse sacerdotes, qui, ut eliminent stultam aversionem multorum fidelium a medicina salutari animæ, et quantum expedit, etiam corporis, in concionibus, catechesibus et libris ad ædificationem populi christiani editis vitant terminum „Extrema Unctio“. In documentis enim ecclesiasticis sacramentum sæpe aliis nominibus designatur et ab ipso Concilio Tridentino iterato vocatur „sacra infirmorum Unctio.“ In antiqua Ecclesia magna varietas nominum huius ritus sacramentalis occurrit. Vocatur: sanctum oleum infirmorum, unctio sacrati olei, benedictio sacrati olei, sacri olei unctio, s. unctio Dei, unctionis officium, unctio infirmorum etc. Multas huiusmodi designationes per decursum huius libri offendemus.

[1]) Migne, Theologiæ cursus completus, 20, 747.

A Græcis idem mysterium nominatur εὐχέλαιον, quo termino materia et forma simul exprimitur, acsi latine diceremus: oleum precum. Alia nomina, quæ in Euchologio et a theologis græcis adhibentur, Constantinus *Ralli* recenset scribens (*Περὶ τῶν μυστηρίων τῆς μετανοίας καὶ τοῦ εὐχελαίου*, p. 110): *Τὸ εὐχέλαιον καλεῖται καὶ ἔλαιον, ἅγιον ἔλαιον, ἡγιασμένον ἔλαιον, ἐλαίου χρῖσις, χρῖσμα, χρῖσμα δι᾽ ἐλαίου, καθιέρωσις δι᾽ ἐλαίου.*

CAPUT I.

EXTREMAM UNCTIONEM ESSE VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, DEMONSTRATUR ARGUMENTIS EX TRADITIONE HAUSTIS.

Post Waldenses et Wicliffitas[1]) protestantes Luthero et Calvino præeuntibus Extremæ Unctioni rationem sacramenti abiudicarunt. Nomine Lutheranorum apologia confessionis Augustanæ[2]) declarat: „Confirmatio et Extrema Unctio sunt ritus accepti a Patribus, quos ne Ecclesia quidem tamquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non est inutile hos ritus discernere a superioribus [veris sacramentis], qui habent expressum mandatum Dei et claram promissionem gratiæ.“ Sententiam Calvinianorum Declaratio Thoruniensis[3]) exhibet: „I. Fatemur, Apostolos unxisse ægros oleo, quo et corporalem sanitatem consecuti sunt; fatemur etiam, Jacobi epistolam iubere Presbyteros ecclesiæ ad ægrotos vocari, ut eos oleo ungant et pro iis orent ad sanitatem consequendam; officium etiam hodie ministrorum ecclesiæ exigere, ut ægrotos visitent eosque tam prædicatione evangelii quam dispensatione sacræ cœnæ consolentur ac una cum ecclesia pro eorum salute orent. II. Negamus autem 1. cum desierit donum miraculose sanandi, ritum hunc unctionis amplius in ecclesia esse

1) Cfr. Thomas *Waldensis,* doctrinale antiquitatum fidei ecclesiæ catholicæ de sacramentis c. 163.

2) *Hase,* libri symbolici ecclesiæ evangelicæ[2] p. 201.

3) *Augusti,* corpus librorum symbolicorum, qui in ecclesia reformatorum auctoritatem publicam obtinuerunt p. 435 s.

utilem; 2. esse sacramentum N. T. a Christo institutum, vere ac proprie dictum, et pro tali sub anathemate habendum.“[1])

De tempore, quo hic ritus inter sacramenta sit receptus, protestantes more suo inter se discordant. I. Chr. G. *Augusti* asserit,[2]) eum a sæculo XII. saltem in ecclesia occidentali communi usu esse receptum et opera scholasticorum, præsertim Petri Lombardi, Thomæ Aquinatis, Hugonis a s. Victore et aliorum in numerum sacramentorum esse relatum. G. E. *Steitz*[3]) postquam affirmavit, Innocentium I. unctioni infirmorum non attribuere rationem sacramenti, conatur ostendere, quomodo a fine sæculi VIII. doctrina de nostra materia sit evoluta, donec sæculo XII. unctio infirmorum evaserit sacramentum morientium. Secundum *Harnack*[4]) s. Thomas primus asseruit, hoc sacramentum a Christo esse institutum. — Auctores protestantes omnes conveniunt, usum unctionis infirmorum qua ritus vere sacramentalis ex fontibus, quos tempus ante sæculum IX. præbet, nequaquam demonstrari posse.[5]) Et revera paucissima sunt testimonia antiquitatis christianæ, quæ a theologis catholicis communiter proferuntur. Fatetur e. gr. Chr. *Pesch* (Prælectiones dogmaticæ[2] t. VI, p. 32): „SS. Patres reapse novisse septem nostra sacramenta, negari nequit. Pro singulis enim sacramentis argumentum traditionis in sequentibus tractatibus afferetur. *Aliqua tantum difficultas est quoad extremam unctionem;* de qua raro mentio occurrit apud ss. Patres, sed ratio est (?), quod eam sæpe cum sacramento pœnitentiæ coniungunt.“

1) Calvinus ipse modo vere indigno in sacramentum invehitur; l. IV. institut. c. 19, n. 18 s. Unctionem vocat fictitium sacramentum et histrionicam hypocrisim.

2) Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie t. IX, p. 473.

3) Real-Encyclopädie für protestantische Theologie und Kirche[2] t. X, p. 728.

4) Dogmengeschichte[3]) t. III, p. 545.

5) J. Chr. *Augusti,* auctor valde moderatus, scribit (Denkwürdigkeiten etc. t. IX, p. 469): „Bei keinem der sieben Sakramente haben die Verteidiger so viel Schwierigkeit und Mühe gefunden, den Gebrauch in der alten Kirche nachzuweisen, als bei diesem. Denn dass sich die Gegner bei der allgemeinen Versicherung: *‚dass es allgemeiner Gebrauch der Kirche gewesen,‘* so oft sie auch wiederholt wird, nicht beruhigen, lässt sich leicht denken. Und in der Tat kamen auch hier die griechischen und römischen Apologeten am meisten ins Gedränge.“

Visum est primo proponere difficile hoc argumentum Traditionis, ut sit exclusa adversariorum præcipua exceptio contra probationem ex s. Scriptura. Et quia clariora testimonia temporis posterioris lucem affundunt brevibus dictis ss. Patrum, progrediendo a sæculo IX., quo evolutionem ritus ungendi infirmos in sacramentum incepisse doctores protestantes communiter affirmant, usque ad ætatem apostolorum ascendemus. Totum hoc tempus in tres tum duratione tum pondere testimoniorum, quæ ex singulis prostant, fere æquales partes distribuemus. Prima sit ab anno nongentesimo usque ad s. Gregorium M.; secunda a Gregorio usque ad Concilium Nicænum (ævum magnorum Patrum); tertia a Concilio Nicæno usque ad tempus apostolicum.

ARTICULUS I.

SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS TEMPORE INTER ANNUM NONGENTESIMUM ET SEXCENTESIMUM.

Propositio I. Tribus sæculis pontificatum s. Gregorii M. secutis sacra infirmorum Unctio in communi usu Ecclesiæ viguit tamquam verum novæ Legis sacramentum.

Probatio I. ex statutis singularium episcoporum editis pro clero suo.

1. *Isaac,* episcopus *Lingoniensis* (c. ab a. 859 — 880), „quædam saluberrimarum capitula sanctionum, quæ sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ legatus *Bonifatius*, venerabilis Moguntiacensis archiepiscopus, Zachariæ papæ una cum orthodoxo Carlomanno, Francorum principe, in duobus episcoporum conciliis ad honorem et profectum Ecclesiæ Dei conscripsit quæque etiam idem papa Zacharias sub anno incarnationis dominicæ 742 auctoritate apostolica confirmavit et omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus irrefragabiliter observanda constituit, revolvere et.. quædam ex his, quæ in quæstionem sæpissime veniunt, colligere et in unum corpusculum aggregare“, utile duxit.[1]) „Titulus primus“ per 39 capita agit „de pœnitentibus“. Caput XXIII. sonat: „Si in infirmitate

[1]) M. PL. 124, 1075 s.

deprehensus quis fuerit, vitam sine communione non finiat *nec unctione sacrati olei careat:* et si finem perspiciat, sacrosancto corpore Deo anima eius a sacerdote precibus commendetur.“ Ex adductis verbis præfationis, ex insertione huius capitis in titulum de pœnitentibus, ex ipso tenore capitis clarum est, Lingoniensem præsulem præeuntibus s. Bonifatio et Zacharia papa longissime abfuisse ab opinione, s. Unctionem esse merum ritum infirmis quibusvis salutarem ad sanitatem recuperandam, sed credidisse, esse sacramentum de vita periclitantibus ad salutem imprimis animæ administrandum.

2. *Herardus,* archiepiscopus *Turonensis,* in synodo diœcesana a. 858 promulgavit „capitula excerpta ex corpore sanctorum canonum pernecessaria, tenenda memoriter ab omnibus ipsius parœciæ sacerdotibus et clericis omnibusque volentibus.“[1]) Capitulum XXI. præscribit, „ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur et viaticum viventes accipiant et *benedictione sacrati olei non careant.*“ Capitulum LVI. monet, „ut presbyteri chrisma, *oleum,* et Eucharistiam semper habeant, ut parati inveniantur.“ Prius capitulum ostendit, archiepiscopo curæ fuisse, ut graviter decumbentes s. Unctione non careant, ex utroque elucet eius persuasio, hunc ritum esse verum sacramentum non secus ac Baptismum, Pœnitentiam et Eucharistiam.

3. „Anno 852 Kal. Nov. conventu habito presbyterorum in metropoli civitate *Rhemorum* inter cætera monita saluberrima, dum de legibus atque rebus ecclesiasticis ab *Hincmaro* præsule tractaretur, hæc in ultimo prolata sunt memoriæ commendanda et summopere observanda.“[2]) Capitulo IV. celeberrimus archiepiscopus sancit: „Ordinem reconciliandi iuxta modum sibi canonice reservatum atque *ungendi infirmos,* orationes quoque eidem necessitati competentes memoriter discat“ [presbyter]. Brevi post Hincmarus edidit „capitula, quibus de rebus magistri et decani per singulas ecclesias inquirere et episcopo renuntiare debeant.“[3]) Cap. IX. est: „Ut chrisma et *oleum consecratum* sub sera recondantur.“ Cap. X. iubet inquirendum, „si ipse presbyter visitet infirmos et *inungat oleo sancto* et communicet per se et non per quemlibet,

[1]) M. 121, 764 s. [2]) M. 125, 774. [3]) L. c. 777 s.

et ille ipse communicet populum nec tradat communionem cuiquam laico ad deferendum in domum suam causa cuiuslibet infirmi."

In epistola ad episcopos Rhemensis diœcesis et omnes ecclesiæ rectores et fideles adversus Odacrum, ecclesiæ Belovacensis invasorem, inter alia Hincmarus conqueritur:[1]) „Quanti sine canonico baptismo et episcopali consignatione relicti fuerunt, quantis rusticanarum parochiarum in tanto tempore presbyteris defunctis ipsarum parochiarum parvuli sine baptismo perire potuerunt, quanti viri, quantæ feminæ sine reconciliatione et *sacri olei unctione* atque s. communione et sine eorum animarum per orationes solemnes commendationes de isto sæculo exierunt." Jam vero idem præceptum de reverenti asservatione chrismatis et olei infirmorum, ordinatio, ut presbyter infirmis sicut Unctionem sacram ita etiam communionem per se administret, enumeratio s. Unctionis inter sacramenta alia non relinquunt dubium, ex mente magni præsulis Rhemensis sacram infirmorum Unctionem esse ritum efficacem gratiæ.

4. Summa cum claritate agit de hoc sacramento *Theodulphus*, episcopus *Aurelianensis*, in „capitulari ad presbyteros parochiæ suæ", a. 789 edito:[2]) „Admonendi etiam sunt sacerdotes de *unctione infirmorum* et pœnitentia et viatico, ne aliquis sine viatico moriatur . . . Episcopus vero, si ita fuerit infirmatus ut eum ungi liceat, et alter episcopus non sit præsens, qui ei officium adimpleat unctionis, presbytero licet eum *unctionis officio consecrare.*" Mox diffuse describit ritum s. Unctionis tum apud Latinos tum apud Græcos et agit de subiecto, cui hoc „officium pietatis" debeat exhiberi; quæ suo loco nobis usui erunt. Si infirmus ante adventum presbyteri rationis vel loquelæ impos sit factus, „pro fide tamen amicorum omnia ei debent impendi *sacramentorum adiutoria* exemplo evangelico, ubi Jesus non ad paralytici, sed ad illorum, qui eum portabant, fidem respiciens ait: *homo dimittuntur tibi peccata tua* . . . Ipsis quoque pueris necessaria est inunctio, cum legamus nonnullos virorum sanctorum oleo membra puerorum unxisse sacrato et ad sanitatem pristinam revocasse.

---

[1]) M. 126, 246. [2]) M. 105, 220 ss.

Nam pœnitentia pueris adeo videtur necessaria, ut legamus quosdam pueros pro meritis peccatorum ministris satanæ traditos, et absque pœnitentia interierunt." Hæc adeo sunt manifesta, ut G. E. *Steitz*, doctor protestans, a Theodulpho novam evolutionem doctrinæ de hac materia derivet.[1]) Ad hoc eum permovit, quod Theodulphus connumerat s. Unctionem cum Pœnitentia et Eucharistia. Sed si connumeratio cum aliis sacramentis aliquid demonstrat, vir doctus multo magis a s. Bonifatio, Germanorum apostolo, evolutionem debuit deducere, qui infirmorum Unctionem ponit inter Baptismum et Eucharistiam. Nam

5. *S. Bonifatius*, testis fidei ecclesiæ romanæ, anglicæ, gallicæ et germanicæ, in statutis synodalibus[2]) num IV.[3]) constituit, „ut presbyteri sine s. chrismate et oleo benedicto et salubri Eucharistia alicubi non proficiscantur. Sed ubicunque vel fortuito requisiti fuerint, ad officium suum statim inveniantur parati in reddendo debito." Num. XXIX.[4]) habet: „Omnes presbyteri oleum infirmorum ab episcopo expetant secumque habeant et admoneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti a presbyteris sanentur: quia oratio fidei salvabit infirmos." Cum s. Bonifatius hæc statuta ordiatur verbis: „Compellimur quoque statutum canonum in hoc observare", tantum in memoriam revocat antiquas leges de administratione s. Unctionis.

6. „Excerptiones e iure sacerdotali *Egberti*, archiepiscopi *Eboracensis*" (732—766), pariter Unctionem infirmorum mediam ponunt inter Pœnitentiam et Eucharistiam. De ipsa Unctione sancitur,[5]) „ut secundum definitionem ss. Patrum, si quis infirmatur, a sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter ungatur."

---

[1]) Real-Encyklopädie für protestantische Theologie und Kirche[2] t. X, p. 728: „Von dem Ende des 8. Jahrhunderts an beginnt die weitere Entwicklung der Lehre über den Gegenstand. Theodulph von Orleans stellt sie im 2. Kapitulare (789) bereits mit der Busse und der Eucharistie zusammen, doch so, dass sie vor diesen gespendet werde." (?)

[2]) Cf. *Hefele*, Conciliengeschichte[2] t. III, p. 580 ss.

[3]) M. 89, 821.

[4]) L. c. 823.

[5]) L. c. 382.

7. *Halitgarius,* episcopus *Cameracensis* (817—831), in suis libris pœnitentialibus,[1]) s. *Chrodegangus,* episcopus *Metensis* (742—766), in regula canonicorum[2]) (si forma vulgata est originaria), varia Concilia e. gr. Wormatiense[3]) a. 868 can. 72 ad inculcandam ægrotorum Unctionem simpliciter citant, quæ de hac re Innocentius I. ad Decentium, episcopum Eugubinum, scribit. Quidquid autem est de mente Innocentii, quæ articulo sequenti est inquirenda, sæculo certe VIII. et IX. nomine sacramenti, quod iterato a Pontifice tribuitur huic ritui, non intellexerunt nisi verum sacramentum N. L.

8. Statuta s. *Sonnatii,* archiepiscopi *Rhemensis* (c. ab a. 600—631), n. 15 præscribunt:[4]) „Extrema Unctio deferatur laboranti et petenti eumque pastor in propria sæpe invisat et pie visitet, eum ad futuram gloriam animando et debite præparando.“ Protestantes quidem excipiunt, statuta hæc non esse genuina, cum terminus „Extrema Unctio“ ante sæculum XII. non occurrat. Contra quos Acta Sanctorum (ad 20. Octobris p. 900 s.) clare ostendunt, statuta illa certe sæculo IX. antiquiora esse. Quo admisso nihil obstat, quominus s. Sonnatio adscribantur. Ex eo enim, quod terminus „Extrema Unctio“ sæculo XII. factus est communis, non sequitur, eum prius nunquam esse adhibitum.

Probatio II. ex decretis Conciliorum hujus epochæ.

Afferemus ex diversis regionibus ea tantum Concilia, in quibus non solum presbyteris obligatio inculcatur impertiendi ægrotis hoc salutare remedium, sed etiam ratio sacramenti ei conveniens exprimitur.

1. Concilium *Ticinense* in Italia anno 850 celebratum capitulo VIII. decernit:[5]) „Illud quoque salutare sacramentum, quod commendat Jacobus apostolus dicens: *infirmatur* . . . solerti prædicatione populis innotescendum est: magnum sane et valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter po-

[1]) M. 105, 680.
[2]) M. 89, 1088.
[3]) Harduin, Coll. Conc. V, 746.
[4]) M. 80, 445. Cfr. Hefele, Conciliengeschichte² t. III, p. 77.
[5]) Harduin V, 27.

scitur, et [peccata] remittuntur et consequenter corporalis salus restituitur. Sed quia frequenter contingit, ut ægrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat, aut minus periculosam reputans infirmitatem salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur: debet eum loci presbyter congruenter admonere, quatenus ad hanc spiritualem curam secundum propriæ possibilitatis vires vicinos quoque presbyteros invitet. Hoc tamen sciendum, quod si is, qui infirmatur, publicæ pœnitentiæ mancipatus est, non potest huius mysterii consequi medicinam, nisi prius reconciliatione percepta communionem corporis et sanguinis Christi meruerit. Cui enim reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis est, ut per seipsum tangendum et ungendum dignum existimet episcopus, ab ipso quam plurimum competenter fieri valet, a quo ipsum chrisma conficitur et cui peccata remittendi officio privilegii potestas concessa est.“ Hoc testimonium fulget tanta claritate, ut evidens eius vis nullis cavillationibus eludi possit. Vocatur s. Unctio „salutare sacramentum“ et quidem sacramentum stricto sensu. Quod apparet ex tempore, quo Concilium est celebratum, ex contextu totius capituli, maxime ex verbis: „cui reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur;“ minime enim omnia sacramenta sensu lato publice pœnitentibus erant interdicta. Vocatur eadem unctio „magnum et valde appetendum mysterium“, per quod peccata remittuntur et consequenter corporalis salus restituitur. Spiritualis hæc cura spectat ad presbyteros, speciatim ad episcopum, „cui peccata remittendi officio privilegii potestas concessa est“. S. Jacobus sacramentum non instituit, sed tantum commendat; divinæ ergo est institutionis. Quare merito ex protestantibus quærimus, qualis „evolutio“ tribus subsequentibus sæculis obtinuerit, donec tandem sæculo XII. hæc cæremonia evaserit sacramentum i. e. signum efficax gratiæ divinitus institutum.

2. Concilium *Moguntinum I.* in Germania anno 847 præside *Rhabano Mauro* celebratum capitulo XXVI.[1]) ordinat, ut infirmi in mortis periculo positi suam confessionem per-

[1]) Harduin V, 13.

agant et pœnitentia eorum statui convenienti imposita reconcilientur. „Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis *sacra cum unctione Dei* animati secundum statuta ss. Patrum communione viatici reficiantur.“ Modus, quo in hoc decreto s. Unctio inter Pœnitentiam et Eucharistiam ponitur, ostendit, eam ex mente Concilii æque esse sacramentum ac illa. Idem brevissime quidem, sed manifesto exprimitur, cum hic ritus vocatur „sacra unctio *Dei*,“ i. e. orta ex divina institutione, prædita divina efficacia.

His concordant, quæ iam anno 836 magna synodus *Aquisgranensis* Cap. II. *de doctrina episcoporum* can. VIII. de consecratione olei infirmorum sanxerat:[1]) „Statutum etiam est, ut vel semel in anno, i. e. feria V., quæ est in Cœna Domini, unctio s. olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab episcopis non negligatur sicut nunc usque neglecta est, sed omni devotione iuxta traditionem apostolicam ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.“ Presbyteris vero eodem capite II. *de vita et doctrina inferiorum ordinum* can. V.[2]) commendatur: „Si subditus infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [presbyteri] negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali cum acceptione s. Communionis.“

3. Concilium *Cabillonense II.* in Gallia habitum anno 813 can. 48[3]) statuit: „Secundum b. apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *infirmatur quis* . . . Non est itaque parvipendenda huiuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.“ Ex mente igitur Concilii in institutione huius ritus s. Jacobus non habet maiorem partem quam ss. Patres, Christus ergo est eius auctor. Cum medeatur animæ languoribus, confert gratiam, est sacramentum.

[1]) L. c. IV, 1395. [2]) Ibidem 1397. [3]) Ibidem 1040.

Probatio III. ex testimoniis scriptorum ecclesiasticorum huius temporis.

1. *Haymo,* episcopus *Halberstadiensis* (a. 841—853), homilia 105 in verba evangelii: *egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique* (Luc. IX, 6) ait:[1]) „quid evangelizarent vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius. *Prædicabant* inquit, *ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa eiciebant et ungebant oleo multos ægros et sanabantur.* Dicit et Jacobus: *infirmatur quis in vobis etc.* Unde patet, ab ipsis apostolis hunc s. Ecclesiæ morem esse traditum, ut pontificali benedictione consecrato oleo perungatur ægrotus“.

2. *Amulo,* episcopus *Lugdunensis* (ab a. 841), in epistola ad Theobaldum, episcopum Lingoniensem,[2]) hortatur: „Si autem et languores aliqui ac debilitates accidunt, iuxta evangelicum et apostolorum præceptum præsto habet unusquisque, ut inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum.“

3. *Prudentius, Trecensis* episcopus (c. a. 843—861), in sermone de vita et morte gloriosæ virginis Mauræ[3]) narrat, morienti virgini apostolos Petrum et Paulum aliosque sanctos apparuisse. „Statimque, pergit, ad me conversa subiunxit: ‚hoc extremum munus a te peto, Prudenti pater episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ et Unctionis extremæ recipiam sacramenta;‘ quod et factum est.“ Hoc testimonium contra exceptiones egregie vindicant Acta SS. ad 21. Sept. p. 272.

4. *Jonas,* episcopus *Aurelianensis,* c. a. 829 edidit compendium quoddam theologiæ moralis, quod inscripsit „Institutio laicalis.“ L. III. c. 14. tractat de visitandis oleoque sancto perungendis infirmis. Propositis regulis de visitatione infirmorum pergit:[4]) „Sunt item plerique, qui dum infirmantur aut ipsi aut eorum parentes et propinqui, non sibi presbyteros Ecclesiæ induci seque sanctificato oleo secundum traditionem apostolicam et s. Ecclesiæ morem perungi, sed magis divinos et divinatrices, imo in illis diabolum consulere expetunt.“ Qua

[1]) M. 118, 573. [2]) M. 116, 82. [3]) M. 115, 1374. [4]) M. 106, 122 s.

agant et pœnitentia eorum statui convenienti imposita reconcilientur. „Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis *sacra cum unctione Dei* animati secundum statuta ss. Patrum communione viatici reficiantur.“ Modus, quo in hoc decreto s. Unctio inter Pœnitentiam et Eucharistiam ponitur, ostendit, eam ex mente Concilii æque esse sacramentum ac illa. Idem brevissime quidem, sed manifesto exprimitur, cum hic ritus vocatur „sacra unctio *Dei*,“ i. e. orta ex divina institutione, prædita divina efficacia.

His concordant, quæ iam anno 836 magna synodus *Aquisgranensis* Cap. II. *de doctrina episcoporum* can. VIII. de consecratione olei infirmorum sanxerat:[1]) „Statutum etiam est, ut vel semel in anno, i. e. feria V., quæ est in Cœna Domini, unctio s. olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab episcopis non negligatur sicut nunc usque neglecta est, sed omni devotione iuxta traditionem apostolicam ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.“ Presbyteris vero eodem capite II. *de vita et doctrina inferiorum ordinum* can. V.[2]) commendatur: „Si subditus infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [presbyteri] negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali cum acceptione s. Communionis.“

3. Concilium *Cabillonense II.* in Gallia habitum anno 813 can. 48[3]) statuit: „Secundum b. apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *infirmatur quis* . . . Non est itaque parvipendenda huiuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.“ Ex mente igitur Concilii in institutione huius ritus s. Jacobus non habet maiorem partem quam ss. Patres, Christus ergo est eius auctor. Cum medeatur animæ languoribus, confert gratiam, est sacramentum.

---

[1]) L. c. IV, 1395. [2]) Ibidem 1397. [3]) Ibidem 1040.

Probatio III. ex testimoniis scriptorum ecclesiasticorum huius temporis.

1. *Haymo,* episcopus *Halberstadiensis* (a. 841—853), homilia 105 in verba evangelii: *egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique* (Luc. IX, 6) ait:[1]) „quid evangelizarent vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius. *Prædicabant* inquit, *ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa eiciebant et ungebant oleo multos ægros et sanabantur.* Dicit et Jacobus: *infirmatur quis in vobis etc.* Unde patet, ab ipsis apostolis hunc s. Ecclesiæ morem esse traditum, ut pontificali benedictione consecrato oleo perungatur ægrotus“.

2. *Amulo,* episcopus *Lugdunensis* (ab a. 841), in epistola ad Theobaldum, episcopum Lingoniensem,[2]) hortatur: „Si autem et languores aliqui ac debilitates accidunt, iuxta evangelicum et apostolorum præceptum præsto habet unusquisque, ut inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum.“

3. *Prudentius, Trecensis* episcopus (c. a. 843—861), in sermone de vita et morte gloriosæ virginis Mauræ[3]) narrat, morienti virgini apostolos Petrum et Paulum aliosque sanctos apparuisse. „Statimque, pergit, ad me conversa subiunxit: ‚hoc extremum munus a te peto, Prudenti pater episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ et Unctionis extremæ recipiam sacramenta;‘ quod et factum est.“ Hoc testimonium contra exceptiones egregie vindicant Acta SS. ad 21. Sept. p. 272.

4. *Jonas,* episcopus *Aurelianensis,* c. a. 829 edidit compendium quoddam theologiæ moralis, quod inscripsit „Institutio laicalis.“ L. III. c. 14. tractat de visitandis oleoque sancto perungendis infirmis. Propositis regulis de visitatione infirmorum pergit:[4]) „Sunt item plerique, qui dum infirmantur aut ipsi aut eorum parentes et propinqui, non sibi presbyteros Ecclesiæ induci seque sanctificato oleo secundum traditionem apostolicam et s. Ecclesiæ morem perungi, sed magis divinos et divinatrices, imo in illis diabolum consulere expetunt.“ Qua

---

[1]) M. 118, 573. [2]) M. 116, 82. [3]) M. 115, 1374. [4]) M. 106, 122 s.

superstitione reprehensa verbis venerabilis Bedæ (in expositione epistolæ catholicæ s. Jacobi) ostendit, Unctionem infirmorum et ad sanitatem recuperandam et ad remissionem peccatorum ordinari. Tandem concludit: „Multis namque propter ignorantiam, multis propter incuriam hæc olei unctio ab usu recessit. Quibus autem in usu non est, necesse est, ut in usum veniat. Unde oportet, ut quando quis infirmatur, non a divinis et divinatricibus, quæ utique habitationes sunt dæmonum, sed ab Ecclesia eiusque sacerdotibus et unctione sanctificati olei sibi remedium non solum in corpore, sed etiam in anima a Domino Jesu Christo postulet adfuturum."

5. *S. Paschasius Radbertus* in libro de corpore et sanguine Domini, scripto a. 831, docet c. VIII:[1]) „Secundum apostolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio unctionis (alias: unctio sanctificationis), quia impossibile est per medicinam sanari ullius artis, quem divina ultio premit, et si medicina est sectanda, tamen hoc prius agendum Christiano." Est igitur s. Unctio doctissimo diacono imprimis complementum sacramenti Pœnitentiæ. Eam habere suam vim etiam in viris sanctis morientibus, ostendunt, quæ s. Paschasius narrat de morte sui abbatis, s. Adelhardi Corbeiensis.[2]) „Cum cœpisset sanctus episcopus [Hildemannus] a nobis percunctari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est, deberet perungi [s. Adelhardus], interrogavimus eum, utrumne vellet, quem procul dubio scieramus, peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens erectis oculis in cœlum cominus obsecrabat, ut fieret. Quid putas, tum sanctus agebat animus! quantis tunc replebatur lacrymis! Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus vero ad cœlos extensæ, invitansque Spiritum Sanctum dicebat: ‚Nunc dimittis servum tuum in pace, quia percepi omnia tui *mysterii sacramenta*.'"

6. *Amalarius,* presbyter *Metensis,* in opere de ecclesiasticis officiis, scripto a. 820, l. I. c. XII.[3]) plurima nobis tradit de triplici consecratione olei in officio feriæ V. in Cœna Domini, unde apertum est, eo tempore Unctionem infirmorum habitum esse verum sacramentum. Citato e. gr. textu s. Jacobi

[1]) M. 120, 1292. [2]) L. c. 1547. [3]) M. 105, 1011. ss.

pergit: „Quid infirmum salvet, hic manifestat, sc. oratio fidei, cuius signum est olei unctio. Si propterea infirmantur, quia manducant corpus Domini indigne, quibus tamen subvenit *olei unctio i. e. gratia Dei per orationem presbyteri,* merito consecratio, de qua nunc agitur, consecrationi corporis et sanguinis Domini iungitur, quæ fit in commemorationem passionis Christi, per quem auctor peccati æternaliter prostratus est. Passio Christi auctorem mortis destruxit: gratia eius, quæ significatur per olei unctionem, arma eius, quæ sunt peccata quotidiana, destruxit." Est igitur Amalario hæc unctio signum efficax gratiæ. Sed nec institutionem eius per Christum tacet, cum scribit provocans ad Bedam Ven.: „Patet ab ipsis apostolis hunc s. Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato. De eo oleo, quod infunditur super neophytos, non tale quid legimus, sed tenemus apostolicam consuetudinem et auctoritatem suam accepimus ab Ecclesia Romana, quam pro lege tenere oportet." Unctio igitur infirmorum Ecclesiæ ab apostolis tantum est tradita, unctio catechumenorum ab apostolis est introducta.

7. Mortem s. *Theodori Studitæ,* acerrimi defensoris fidei orthodoxæ contra Iconoclastas (vixit c. ab a. 759—826), discipulus eius, qui sancti vitam descripsit, his narrat:[1]) „Dominico die, quo commemoratio sancti et gloriosi martyris Menæ celebrabatur, consueta dicta psalmodia sumptaque Eucharistia et *oleo pro more membra inunctus* sublatis manibus orans circa horam VI., ubi sensit se viribus destitui, iussit tacite, ut cerei incenderentur; atque ita fratribus psalmum incipientibus: *beati immaculati* . . . his astantibus sanctam animam suam emisit." Eadem narrat s. Theodori successor *Naucratius* in epistola quadam encyclica.[2])

8. *Beda Venerabilis* (vixit ab a. 674—735) compluribus in locis agit de hoc sacramento, clarissime vero in expositione super divi Jacobi epistolam.[3]) Ad verba: *et orent super eum ungentes eum oleo* . . . ait: „Hoc et apostolos fecisse, in evangelio legimus; et nunc Ecclesiæ consuetudo te-

[1]) M. 99, 326. [2]) Ibidem 1846. [3]) M. 93, 39.

net, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris et oratione comitante sanentur. Nec solum presbyteris, sed ut Innocentius papa scribit, etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo in sua aut suorum necessitate ungendo,[1]) quod tamen oleum nonnisi ab episcopis licet confici. Nam quod ait: *‚oleo in nomine Domini‘* significat oleum consecratum in nomine Domini, vel certe, quia etiam, cum ungunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Multi propter peccata in anima facta infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Unde apostolus Corinthiis, qui corpus Domini percipere indigne soliti erant, ait: *ideo inter vos multi infirmi et imbecilles sunt et dormiunt multi.* Si ergo infirmi in peccatis sint et hæc presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint ac perfecto corde ea relinquere atque emendare satagerint, dimittentur eis.“

9. In vita *s. Cuthberti,* episcopi Lindisfarnensis († a. 687), Beda narrat de quadam moniali,[2]) quæ „gravissimo tenebatur languore depressa; per integrum namque annum intolerabili capitis et totius lateris alterius dolore vexata funditus a medicis erat desperata. Indicantibus autem de illa viro Dei et pro sanatione eius obsecrantibus his, qui venerant cum eo, miseratus ille miseram unxit oleo benedicto. Quare ab illa mox hora meliorari incipiens post dies paucos plena sospitate convaluit.“ Hic non agi de sanatione charismatica, ostendit, quod paulatim convaluit ægrota.

10. *S. Eligius,* episcopus *Noviomensis* (640—659), in tractatu „de rectitudine catholicæ conversationis“[3]) fideles monet, ne tempore morbi ad media superstitiosa recurrant, „sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat et Eucharistiam corporis et sanguinis Christi cum fide et devotione accipiat oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat (alias: ungatur) et secundum apostolum oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus; et non solum corporis, sed et animæ sanitatem ac-

[1]) De sensu huius permissionis agemus articulo sequenti expendentes verba s. Innocentii, ad quæ Beda hic provocat.

[2]) M. 94, 770 s. Cfr. Acta SS. ad 20. Martii p. 122.

[3]) M. 40, 1172 s. (inter opera s. Augustini).

cipiet complebiturque in illo, quod Dominus in Evangelio promisit dicens: *omnia enim, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.*“ Contra hoc testimonium unum potest excipi, quod textus complurium manuscriptorum videtur indicare, ægrotum ipsum debere se ungere. Sed dato, activam formam esse genuinam, sensus aperte est passivus: faciat se ungi per presbyteros. Quod ostendunt verba ipsa: corpus suum in *nomine Christi* ungat (ungentes eum oleo in *nomine Domini*), promissio sanitatis corporis et animæ „secundum apostolum“, qui hanc promissionem soli unctioni per presbyteros adiunxit, deinde usus ecclesiæ orientalis, in qua subiectum Unctionis sacræ ab antiquis temporibus usque nunc vocatur: ὁ ποιῶν, ὁ ποιήσας τὸ εὐχέλαιον, ad summum forma mediali ὁ ἐπαλειψάμενος, ut supra in textibus de morte s. Theodori Studitæ, vix unquam ὁ χρισθείς. Ex hoc more loquendi Græcorum, quo dicunt, ægrotum facere euchelæon vel ægrotum seipsum ungere, cum s. officium a presbyteris perficitur, manifestum est, etiam textus quosdam veterum auctorum latinorum quibus asseritur, infirmum debere vel posse se ungere s. oleo iuxta monitum: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo . . .*, intelligendos esse de susceptione sacramenti. Absone enim infirmus moneretur, ut propria manu se ungat, quia apostolus salutares fructus coniunxerit cum unctione facta a presbyteris.

ARTICULUS II.

SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS ÆVO MAGNORUM PATRUM.

Protestantes affirmant, ex nullo auctore temporis patristici proferri posse textum, quo probetur sacramentalis unctio infirmorum. Theologi catholici plerique concedunt, in monumentis horum sæculorum paucissima testimonia extare, e quibus eluceat usus a s. Jacobo commendati ritus et ratio sacramenti ei conveniens. Quare in causas huius silentii inquirunt. *Launoi* asserit,[1]) disciplinam ungendi infirmos pri-

[1]) Opera omnia, t. I. pars I. p. 455.

mis Ecclesiæ sæculis fuisse multo minus frequentem quam postea. „Primum quidem, ait, unctio non dabatur iis, qui publicam agebant pœnitentiam, cum in morbum inciderant. Id tradit Innocentius I. ita scribens: ‚Pœnitentibus istud [chrisma] infundi non potest, quia genus est sacramenti: nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?‘ Deinde non dabatur iis, qui variis agitati persecutionibus ad Ecclesiæ vulnera perveniebant: quis enim numeraret christianos omnes, in quos sævitum est a tempore Neronis usque ad Constantini imperium? Denique non dabatur iis, qui vitam summa cum virtute coniunctam et a peccatis immunem egerant. Id ex Adelhardi Corbeiensis abbatis vita, quam Paschasius Radbertus edidit, colligitur.“ Affert textum Paschasii, quem p. 14 posuimus et pergit: „Stulta et inanis fuisset interrogatio, si tunc temporis obtinuisset mos Ecclesiæ, ut qui credebantur peccatorum oneribus non detineri, unctionem infirmorum acciperent... Ne mireris igitur, si sacramentum hoc communi quondam in usu atque hominum more ac sermone positum haud invenias, cum inde pœnitentes multi fuerint, quia tunc lapsi multi; inde martyres innumeri, quorum cruore orbis infectus est; inde homines multi vitæ sanctimonia excelluerint.“

Verum ut demus interim, tribus enumeratis classibus hominum — etiam martyribus post tormenta in carcere deficientibus — ultimum adiutorium Ecclesiam non præbuisse, explicandum manet, cur Patres in suis operibus exegeticis et dogmaticis, in sermonibus ad populum et in tot aliis instructionibus religiosis sileant de sacro hoc ritu, et cur tam raro referant de s. Unctione impertita reliquis fidelibus, cum martyres, publice pœnitentes et eximie sancti quovis tempore fuerint parva tantum pars membrorum Ecclesiæ. — Deinde falsum est, publice pœnitentes etiam morte instante non esse munitos præsidio firmissimo, quod Dominus in salutem fidelium omnium ex morbo decedentium providit. De hac re infra agetur. Cum Launoi asserit, hominibus sanctis spiritualem medicinam infirmorum non esse exhibitam, prorsus nullum habet testimonium. Mira enim est eius argumentatio: Moribundus s. Adelhardus (sæc. IX.) a circumstantibus, quibus persuasum erat, peccatorum oneribus eum non detineri, in-

terrogatus, num vellet extreme inungi, obsecrabat, ut fieret. Ergo sancti priorum sæculorum non inungebantur, verosimiliter quia ad similem quæstionem quivis respondit: Mundus sum, non indigeo complemento Pœnitentiæ; fortissimus sum, non indigeo robore spirituali; abunde sanctus sum, non indigeo præparatione ad introitum gloriæ. Quare declaratio, qua Launoi explicare conatur, cur monumenta antiqua rara tantum exempla ministrati sacramenti exhibeant, referenda est inter doctas ineptias, quas non paucas eruditissimis suis operibus inseruit.

Nonnulli auctores catholici censent, præcipuam causam silentii multorum Patrum de nostra materia esse disciplinam arcani. Ut hoc ostendant, provocant ad textum quendam *s. Basilii* in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium,[1] in quo agens de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia et s. Unctione sermonem subito abrumpat verbis: „Quæ nec intueri fas est non initiatis, quomodo conveniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto?“ [2]

At s. Basilius loco indicato ne tecte quidem alludit ad Unctionem infirmorum. „Benedicimus, inquit, et aquam Baptismatis et *oleum unctionis,* imo ipsum etiam, qui Baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam vero *olei unctionem* quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem, quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare satanæ et angelis eius, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam patres nostri

---

[1]) Binterim, die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christkathol. Kirche, 6. Bd. 3. T. p. 241 scribit: „Die stärkste Ursache ist jedoch die Disciplin der Geheimhaltung. Diese hielt die Federn der christlichen Schriftsteller sogar noch im vierten und fünften Jahrhundert zurück, dass sie nichts, was auf die heiligsten Geheimnisse oder Sakramente Bezug hatte, einfliessen liessen oder mit klaren Worten ausdrückten. Dies bemerkt man ganz besonders, was die heil. Ölung angeht, bei dem *heil. Basilius.* In dem Buche *de Spiritu S.* an den *Amphilochius* soll er handeln von der Taufe, Firmung, Eucharistie und Ölung, er bricht aber gerade da ab, wo er ausführlich davon reden soll, und zwar aus der Ursache: „nam quæ nec intueri fas est non initiatis“ etc. (ut supra).

[2]) M. 32, 187.

silentio quieto minimeque curioso servarunt. Quippe illud probe didicerant, mysteriorum reverentiam silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, quomodo conveniebat, horum doctrinam publicitus circumferri scripto?" Manifestum est, s. Doctorem tractare tantum de unctione occasione Baptismi. Qui per „olei unctionem" intelligit sacramentum exeuntium, Basilio imputat errorem, s. Scripturam de hoc sacramento silere.

Nihilominus verum est, disciplinam arcani esse unam ex causis, cur non abundent clara testimonia Patrum de s. ritu inunctionis ægrotorum. Omissis, quæ generatim theologi de hac disciplina disputant, consideremus aliquot textus, qui nostram materiam contingunt.

S. Hilarius tract. in psalmum CXXI:[1]) „Nunc quidem, inquit, beatis fructibus abundamus, quos nobis in speciem fructuum æternorum Ecclesiæ sacramentum et pacis unitas subministrat. Hoc autem sacramentum spei communis corporalium et communium rerum nominibus ostensum est, *quod scientes intelligent.* Namque abundantiæ huius et copiæ idem propheta psalmo altero meminit dicens: *dedisti lætitiam in corde meo, a tempore frumenti et vini et olei sui multiplicati sunt in idipsum.* Hæc igitur abundantia est in idipsum. Per hanc enim pacis et sacramentorum abundantiam beata illa pax et indeficiens et æterna bonorum cœlestium abundantia præparatur." S. Hilarius in citatis verbis psalmi quarti videt significatam Eucharistiam et unum vel complura sacramenta, quorum materia est oleum. Disciplina arcani prohibet, quominus clare loquatur. „Scientes intelligent."

Theodoretus interpretans psalmi XXII. verba:[2]) *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Impinguasti oleo caput meum et calix meus inebrians quam præclarus est,* scribit: *„Manifesta sunt hæc illis, qui mysteriis sunt initiati* nec explicatione ulla indigent. Norunt enim et *spirituale oleum, quo eorum capita impinguantur,* et ebrietatem confortantem quidem, sed non dissolventem, atque mysticum cibum, quem nobis proponit is, qui ad pa-

---

[1]) M. 9, 665 s. [2]) M. 80, 1027.

storis officium sponsi munus adiecit." De his fere eadem repetenda sunt, quæ modo ad s. Hilarium notavimus, nisi quod psalmi XXII. versus quartus præcedens: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, iam non timebo mala, quoniam tu mecum es,* animo hominis catholici magis Extremam Unctionem, quam Confirmationem vel alium quemcunque ritum sistit.

Arnobius iunior commentans eundem psalmum XXII. ait:[1]) *„Etsi ambulem in medio umbræ mortis, iam non timebo mala, quoniam tu mecum es,* qui mortis imperium subiugasti. Quid nunc habeat intra se Ecclesia, videamus. Habet virgam, unde minatur delinquenti. Habet baculum, unde subveniat pœnitenti. Habet mensam, unde det panem credenti. *Habet oleum, unde impinguet caput in libertatem conscientiæ præsumenti.* Habet calicem, unde inebriet prædicantes sermonem, ita ut cum sit hora diei tertia, iam ille in prædicatione sua ebrius æstimetur." Quam obscuris verbis indicantur mysteria Ecclesiæ! Et quale est oleum, quo impinguat caput præsumenti in libertatem conscientiæ? In commentario in psalmum CXXXII. ipse Arnobius advertit:[2]) „Nota *chrismatis sacramenta* in unguento capitis." Ergo Ecclesia non tantum unum habet sacramentum chrismatis: Confirmationem. Mox videbimus, ab antiquis oleum, quo infirmi a presbyteris ungebantur, non raro vocatum esse chrisma. Unde hæc unctio Arnobio videtur esse alterum sacramentum chrismatis. At consulto obscurus sermo eius non permittit, ut eius testimonium tamquam argumentum proferamus.

Verum quamvis disciplina arcani satis explicet, cur Patres in quibusdam locis tam abscondite disserant, ut non possimus certo determinare, utrum de unctione catechumenorum, an de Confirmatione, an de sacramentali Unctione infirmorum loquantur, tamen hæc ratio sola minime sufficit ad declarandum, cur adeo pauca effata clara scriptorum huius ævi de re nostra supersint. Sane qui vult periculum facere, verosimillime in operibus Patrum centum claros textus de Confirmatione inveniet, donec ei unus occurrat de Extrema

---

[1]) M. 53, 354 s.
[2]) M. 53, 535. Cfr. etiam Revue bénédictine a. 1903, p. 69.

Unctione. Qui igitur ex disciplina arcani explicare intendit, cur scriptores christianæ antiquitatis longe rarius commemorent hoc medium gratiæ efficax quam alia, tenetur afferre rationem, quare hic sacer ritus præ aliis sollicito secreto sit velatus. Etsi vero, quod attinet tempus antenicænum, talis ratio adduci possit ex circumstantiis persecutionis, nulla pro ævo magnorum Patrum detegetur.

Non desunt tamen momenta, quæ factum, de quo quærimus, plene declarant.

1. Commentarii, quos in epistolam catholicam s. Jacobi, quæ textum classicum de s. Unctione continet, Patres — Clemens Al., Didymus, Cyrillus Al., Augustinus .. — ediderunt, omnes interciderunt paucis fragmentis exceptis. Primus, cuius accuratus commentarius in s. Jacobi epistolam extat, est Ven. Beda, qui simul est gravis testis, Extremam Unctionem esse verum N. L. sacramentum (Cfr. p. 15). Concilium Tridentinum docet, s. infirmorum Unctionem apud Marcum insinuari. Evangelium autem s. Marci „utpote quod paucissima tantum solum exhibeat, in ecclesia græca ante Victorem Antiochenum sæc. V. et in latina ante Ven. Bedam sæculo VIII. interpretem non invenit".[1]) Primus hic commentarius Victoris Antiocheni — a quibusdam adscribitur Cyrillo Al. — insigne affert testimonium pro sacramentali Unctione infirmorum. — Quod spectat Vetus Testamentum, doctores scholastici advertunt, sacramentum exeuntium in antiqua œconomia nullo typo fuisse præfiguratum, cuius rei afferunt causam solatii plenam, de qua sermo erit c. I. libri II. Planum ergo est, cur in operibus exegeticis ss. Patrum, quæ supersunt, tantum pauca documenta de re nostra inveniantur; nullam occasionem sacer textus ipse offerebat.

2. Notum est, ss. Patres in suis operibus dogmaticis non proponere tractatus systematicos de sacramentis, imo eos ne terminum quidem exclusive proprium habuisse ad denotanda simul signa ex institutione Christi efficacia sanctificationis internæ. Notionem distinctam et stabilem, qua sacramenta presse dicta ab omnibus aliis rebus sacris secernuntur,

[1]) *Cornely*, introductio² t. III, p. 302.

determinationem septenarii eorum numeri, per consequens tractatus dogmaticos de septem sacramentis debemus evolutioni scientiæ theologicæ. Pleraque autem, quæ scholastici nobis tradiderunt de Extrema Unctione, habentur in eorum operibus systematicis de septem sacramentis nec nisi rarissime eius mentio fit in aliis eorum scriptis. Non est igitur, cur miremur, quod tractatus dogmatici antiquiorum doctorum non præbeant multos et longos discursus de re nostra.

3. Præparatio catechumenorum, solemnis collatio Baptismi et Confirmationis, leges de pœnitentia publica cum eius cæremoniis in ecclesia peragendis, celebratio Eucharistiæ, Ordinatio sacrorum ministrorum frequenter episcopis vel etiam presbyteris occasionem præbebant et obligationem imponebant instruendi populum fidelem de iis, quæ ad dicta sacramenta spectant. Nulla autem ratio necessaria postulabat, ut in publicis sermonibus agerent de officiis, quæ a presbyteris privatim præstanda sunt ægrotis. Quotusquisque concionator nostri temporis iam habuit concionem de Extrema Unctione? Fateor, me nullam adhuc audivisse. Quare cum generatim pauca nobis de cura spirituali priscæ Ecclesiæ erga infirmos sint tradita, quamvis ne protestantes quidem negaverint, eam sollicite tunc esse exhibitam, non est mirum, quod de s. Unctione nobis non sint tot monumenta literarum conservata, quot desideramus.

4. Tribus sæculis, quæ articulo præcedenti perlustravimus, communis consuetudo vigebat, ut Unctio infirmorum cum absolutione sacramentali tamquam eius complementum coniungeretur et administrationi Viatici præmitteretur. Eundem morem iam prius obtinuisse, iure nostro supponimus. Novimus, quam caute ss. Patres de secreta Pœnitentiæ susceptione loquantur.[1]) Speciatim sepositis iis, qui publicæ pœnitentiæ subiacebant, ne unum quidem clarum testimonium prostat, quo narretur aliquem morti proximum confessionem sacramentalem peregisse et absolutione sacerdotali donatum

[1]) Vix ullus unquam concionator toties et tam instanter auditores suos ad sacram confessionem adhortatus est quam *s. Joannes Chrysostomus.* Nihilominus protestantes non sine magna specie veritatis eum producunt ut adversarium confessionis sacerdoti faciendæ.

esse.[1]) Quo silentio non obstante per argumenta, quæ a theologis in tractatu de Pœnitentia proponuntur, certum est, hoc sacramentum a Patribus tamquam medium necessarium salutis pro omnibus christianis in culpam letalem lapsis consideratum ideoque frequenter collatum esse. Facile vero intelligitur, cur tacentes de uno sacramento raro mentionem faciant complementi eius.

5. Tandem vagus quorundam auctorum scribendi modus, etiam cum disciplina arcani non videntur impediri, efficit, ut multos textus, in quibus certo habetur sermo de sacramento olei, neque pro Confirmatione neque pro Extrema Unctione afferre possimus, cum non valeamus determinare, utrum præ oculis habeant. Interpretatur e. gr. *s. Primasius* verba Apocalypsis: *Vinum et oleum ne læseris.*[2]) „In vino itaque, inquit, et oleo vim sacramentorum prohibet violari, utpote *unctionem* pretiosumque cruorem. Hinc legimus in psalmo: *Vinum lætificat cor hominis et exhilaratur facies in oleo.*" *Didymus* (de Trinitate, lib. II. tom. 1) Spiritum Sanctum sublimibus encomiis celebrat.[3]) Est inter alia „indeficientium charismatum fons et omnis bonæ mentis præcursor, futurarum et ignotarum rerum vera manifestatio, salutaris obsignatio et divinum chrisma sive unctio, æternorum bonorum arrhabo." Perspicuum est, Spiritum Sanctum vocari salutarem obsignationem ob effectus sacræ Confirmationis. Numquid autem ob eamdem rationem an ob fructus Extremæ Unctionis salutetur „divina unctio, æternorum bonorum arrhabo", nequit erui. Quot præterea textus pro neutro sacramento adduci possunt, quia „chrisma" tum generatim actionem ungendi tum materiam et Confirmationis et Unctionis infirmorum designat. Tales textus inveniuntur, ut pauca exempla commemoremus, apud *s. Athanasium* in psalmum XXII,[4]) apud *Theodoretum,* quæstiones in Leviticum, interrog. 8,[5]) apud *Aratorem,* de actibus Apostolorum,[6]) apud *Optatum* Milevitanum, de schismate Donatistarum, l. II. c. 19.[7])

---

[1]) Opinari licet, primis sæculis sigillum confessionis in praxi extensum esse ad ipsum factum exomologesis privatæ.

[2]) M. 68, 837. [3]) M. 39, 454. [4]) Ibid. 27, 139. [5]) Ibid. 80, 311. [6]) M. 68, 89. [7]) Ibid. 11, 972.

His præmissis sit

Propositio II.* *Tempore, quod inter pontificatum s. Gregorii Magni et Concilium Nicænum interiacet, sacra infirmorum Unctio in communi Ecclesiæ usu viguit tamquam verum novæ Legis sacramentum.

Etsi concesserimus, testimonia, quæ ex hoc ævo pro Extrema Unctione afferri possunt, pauca esse, si comparentur cum documentis, quæ de Eucharistia et aliis sacramentis, præsertim iis, quæ characterem imprimunt, agunt, tamen tantum numerum constituunt, ut ea claritatis gratia in quasdam classes distribuere oporteat. Non est mens asserere, singulos textus seorsim spectatos esse aptos ad omnem dubitationem removendam. Tuto autem affirmare licet, omnia testimonia, quæ afferentur, simul considerata abunde sufficere ad pariendam plenam certitudinem de veritate propositionis statutæ.

I. Textus, qui per se tantum ostendunt praxim inungendi ægrotos iuxta mandatum s. Jacobi apostoli.

1. *Cassiodorus* (Complexiones in epistolas apostolorum, epistola s. Jacobi ad dispersos) præceptum apostolicum his verbis refert:[1]) „Post omnes admonitiones salutarem regulam fidelibus præstat dicens, nullatenus esse iurandum, sed debere dicere christianum esse quod est, et non esse quod non est: nam si quis alterius prægravatur iniuria vel corporis imbecillitate quassatur, *presbyterum dicit adhibendum, qui oratione fideli et olei sancti perunctione concessa salvet eum, qui videtur afflictus:* peccata quoque illis dimittenda promittens, qui alterutra fuerint oratione visitati." Hic locus ostendit, *a.* tempore Cassiodori unctionem ægrotorum, etiam graviter vulneratorum, ex regula apostolica in Italia fuisse usitatam; *b.* hunc ritum, plerumque saltem, ab uno sacerdote fuisse peractum: „*Presbyterum* dicit adhibendum"; *c.* materiam s. cæremoniæ fuisse oleum consecratum: „olei *sancti* perunctione concessa."

---

[1]) M. 70, 1380.

2. *S. Augustinus* sub annum 427 edidit *Speculum de Scriptura sacra.* Finem huius operis nobis declarant verba præfationis:[1] „De his, quæ ita sunt posita in Literis sacris, vel iubendo vel vetando vel sinendo, ut etiam nunc, i. e. tempore N. T., ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus, quod in manus sumpsi, componere aggressus sum; ut quantum me Deus adiuvat, omnia talia de canonicis libris colligam, atque ut facile inspici possint, in unum tamquam speculum congeram . . . Nos in hoc opere nec infidelem vel adducimus vel ædificamus ad fidem; nec exercemus quibusdam salubribus difficultatibus ingenium intentionemque discentium; sed eum qui iam credens obedire Deo voluerit, ut hic se inspiciat, admonemus, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit, attendat. Sic enim potest et de his, quæ habet, gratias agere; et de his, quæ non habet, ut habeat satis agere; ac propter illa servanda curam precesque fidelis pietatis adhibere.“ Est ergo hoc *Speculum* institutio practicæ vitæ christianæ tota conserta ex textibus s. Scripturæ. Porro ex epistola catholica s. Jacobi Speculum inter alia continet verba: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Ex mente igitur s. Augustini hæc admonitio apostolica pertinet ad ea doctrinæ catholicæ capita, quæ quivis fidelis nosse, secundum quæ occasione data agere debet. Longe ergo abfuit s. Doctor ab opinione protestantium, qui putant, s. Jacobum vel commendasse usum olei tamquam egregii medicamenti corporalis vel determinasse ritum, quo suo tempore sit exercendum charisma curationum. E contrario, cum s. episcopus velit, ut omnes fideles, cum infirmantur, observent mandatum apostoli, non est dubium, quin etiam presbyteros suos sollicite adhortatus sit ad impertiendam spiritualem medicinam s. olei fidelibus graviter decumbentibus. Imo *Possidius* in eius vita c. 27 satis clare indicat, ipsum

[1]) Ibid. 34, 887.

s. Augustinum non raro ægrotis subvenisse beneficio s. inunctionis, de qua re infra redibit sermo.

3. Eundem ritum etiam a Nestorianis huius epochæ observatum esse, ostendit canon XIX. synodi, quam patriarcha *Josephus* a. 554 celebravit. Variis peccatis superstitionis recensitis canon pergit:[1]) „Qui in hunc gravem morbum incidit, debet, cum convertitur, sicut corporaliter ægrotus curari *oleo orationis,* quod presbyteri benedicunt.“ *„Oleum orationis“* per se in memoriam revocat verba apostoli: *orent super eum ungentes eum oleo*, et est terminus technicus late per Orientem usitatus ad significandam s. Unctionem infirmorum: *εὐχέλαιον*. Quare hic canon testatur legitimum usum olei in salutem ægrotorum a presbyteris secundum disciplinam Orientalium benedicti simulque, si minus sancit, saltem præparat abusum, qui posterioribus temporibus in variis ecclesiis a centro unitatis separatis increbuit, ministrandi nimirum sacramentum etiam pœnitentibus plene sanis. Oleum infirmorum inter Nestorianos mox ad varios fines alienos adhibitum esse, licet colligere ex canone XIX. *Jacobi Edesseni:*[2]) „numquid decet, ut presbyter iis, qui postulant, det sacrum Unctionis oleum, ut infundant in aurem eius, qui a malo tentatur, aut eum ungant? Talia ne fiant. Si autem presbyter hoc facere ausus fuerit, pœnis ecclesiasticis coerceatur.“

II. Testimonia, quibus ritui a s. Jacobo præscripto tribuitur efficacia ad morbos sanandos.

1. *Procopius* Gazæus (vixit circa ab a. 465—525) commentans illud Levitici XIX, 31: *Non respicietis ad pythones neque hariolos requiretis,* lectores monet, ut ab omni superstitione abstineant.[3]) „Attamen obiciunt quidam, invocant Sabaoth. Quid tum? Impie hoc faciunt. Nam illam appellationem non Deo, sed dæmonibus tribuunt. Et plerumque illi dæmoniaci impie usurpant nomina divina, dum ea componunt dæmonibus, quorum ambitioni inserviunt. Si autem confidis illi nomini, quin tu accede Deum, hoc nomine ipsum appel-

[1]) Oscar Braun, Das Buch der Synhados, p. 159.
[2]) Ibidem p. 219, nota.
[3]) M. 87 (1), 762 s.

lato et sanitatem petito. *Imo satius est,* ut acquiescas huic consilio: *infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum etc.*“ Merito ex his inferimus, tempore Procopii in Syria religiosam unctionem ægrotantium per presbyteros Ecclesiæ in usu fuisse et a fidelibus existimatam esse primum et præcipuum inter remedia spiritualia contra morbos corporales. Merito etiam dicimus, Procopium de eodem sacramento hæc verba scripsisse:[1]) „Oleum typus est lætitiæ, quam ex divina haurimus spe . . ., signum est citi et expediti alacrisque ad Deum accessus; nam *facies exhilaratur oleo.*“

2. *Isaac Antiochenus,* dictus Magnus (natus circa annum 350) in opere „Disquisitio de potestate diaboli in tentando homine“ carpit mulieres stultas, quæ in casu morbi recurrunt ad suspectos quosdam monachos:[2]) „Sacerdotem visitatorem non probatum habent stultæ ideoque *signationem* eius [unctionem in forma crucis] contemnunt; sed talem quærunt, qualem supra descripsimus, qui etiam extemplo advenit, ut ipsas signet. At potius, o mulier, donum quidem tribue recluso, sed signationem a sacerdote tuo accipe; cibum affer monacho, sed oleum martyrum sit tibi; omnibus ea ministra, quibus indigent, sed in veritate permane apud unum! eleemosynæ tuæ ad omnes perveniant, sed *fides tua in Crucifixum defixa sit; eius tantum oleum sit tibi, et a sacerdote signationem accipe.* Ne dominetur super membra tua manus cuiusvis hominis insipide! . . Negligitur oleum apostolorum et martyrum, qui pro veritate mortem passi sunt, et oleum mendacium splendet in oribus perversarum. Servi Christi et orthodoxi afferre solent ægrotos et infirmos ad sanctum altare, *non autem ipsi oleum conficere audent, ne domum expiationis contemnere videantur, sed ubi sacerdos est regens plebem, observant ordines iustitiæ.*“ Hoc testimonium magna cum claritate edicit, sacram functionem inungendi infirmos secundum „ordines iustitiæ“ spectare ad solos sacerdotes, qui eam perficiant oleo consecrato, quod vocatur oleum Crucifixi, quo indicatur, hunc ritum ab ipso Christo Domino esse institutum.

[1]) Ibidem p. 702.
[2]) Bickell, s. Isaaci Antiocheni opera omnia, pars I. p. 187 s.

Idem oleum dicitur oleum apostolorum et martyrum, quia apostoli iidemque martyres hanc medicinam supernaturalem Ecclesiæ tradiderunt. Forte illa denominatione etiam fit allusio ad antiquam opinionem Syrorum, illud ipsum oleum, quod in ecclesiis asservant, ab apostolis ad suam ætatem traductum esse; „id vero, inquit *Assemanus,*[1]) percipi nequit, nisi eo sensu, quo oleum catechumenorum in ecclesia orientali consecratur; ita nimirum ut vetus iam consecratum novo oleo consecrando admisceatur, vel reliquiæ novi olei consecrati . . . veteri consecrato adiungantur, ut Nestoriani faciunt.“

3. *S. Joannes Chrysostomus* (Homilia 32. in Matthæum) comparat ecclesiam cum domo privata et:[2]) „Dignior, inquit, hæc domus est. Etenim hic maiores nostræ possessiones depositæ sunt, hic spes nostra omnis. Quid enim hic non magnum, non tremendum est? Siquidem hæc mensa longe honorabilior et suavior est quam tua, et *lucerna quam lucerna tua. Id vero sciunt, quotquot cum fide tempestive oleo uncti a morbis liberati sunt . .*“ Ad hunc textum apud Migne annotatur: „Singulare est, quod hic dicitur de iis, qui ex oleo lucernæ in ecclesia ardentis uncti convaluerant.“ Auctores, qui de usu religioso olei in antiqua Ecclesia tractant, non solent omittere, vel ipsum oleum lampadum in templis ardentium pie adhibitum esse ad ungendos infirmos; hoc testari adducta verba s. Chrysostomi in homilia 32. in Matthæum. Sed numquid una tantum lampas ardebat in ecclesia cathedrali Antiochena? Numquid lampas ordinario oleo repleta aliquid „magnum et tremendum (φρικῶδες) continet? Cum fideles ex more illius temporis domi haberent oleum benedictum, cur lucerna ecclesiæ ob oleum suum honorabilior et suavior vocatur? Sæpius magnus concionator Antiochenus commemorat lampades ardentes in templo, sed nunquam alias tremendam dignitatem eis attribuit. In sermone quarto in Genesim reprehendit auditores:[3]) „Verum adeste animis, et desidiam omnem excutite. Cur tandem id dico? Scripturas vobis enarramus, vos vero aversis a nobis oculis ad lucernas et ad eum,

[1]) Bibliothecæ Orientalis t. III, pars II, p. CCLXXX.
[2]) M. 57, 384 s.
[3]) M. 54, 597.

qui lucernas accendebat, eos convertistis. Quantæ porro est hoc socordiæ, nobis relictis huic attendere! Ignem ego quoque accendo, qui latet in Scripturis, et in nostra lingua succenditur lucerna doctrinæ. Hoc illo maius est lumen ac melius: non enim oleo madens ellychnium, ut iste, accendimus, sed irrigatas pietate animas audiendi cupiditate inflammamus." Quomodo cum his componatur, quod in Matthæum unam aliquam lampadem ob oleum in ea contentum magnam et tremendam vocat sicut altare? Si dicatur, sanctitatem ex loco, ecclesia, derivari in omnia, quæ inibi sunt, respondetur, s. Doctorem vicissim sanctitatem ecclesiæ probare ex sanctitate altaris, lampadis, s. Scripturæ et aliorum, quæ in continuatione sermonis recenset. Ut pateat, s. Chrysostomum in textu citato loqui de s. infirmorum Unctione hæc advertantur. Jacobus *Goar* O. Pr. in classico suo opere „Euchologium sive Rituale Græcorum" explicat rubricam euchologii in officio s. olei: *Ἰστέον, ὅτι ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ ἀντὶ ὕδατος οἶνον εἰς τὴν κανδήλαν τοῦ εὐχελαίου βάλλουσιν,* et ait p. 353: „Oleum infirmis ungendis in vase separato non asservant Græci nisi forsan in magna ecclesia, in una ex appensis lampadibus, ea nimirum, quæ coram Christi Domini ardet imagine, et hac de causa etiam *κανδῆλα τοῦ εὐχελαίου* audit." Rituale *Gabrielis,* patriarchæ alexandrini, descriptionem ritus s. Unctionis orditur:[1]) „Impletur oleo exquisito Palæstinæ lampas septem brachia habens, quam lampadem collocant ante imaginem B. Mariæ sanctissimæ, prope quam evangelium et crux adsit." Speciatim in Syria totus ritus sacramentalis vocatur: lampas. *Denzinger* (ritus Orientalium t. I, p. 185 s.) refert: „Duplicem benedicendi ritum distinguunt Syri: alterum, quem ‚lampadem maiorem' dicunt, qui feria V. mysteriorum seu hebdomadis maioris quolibet septennio fit a patriarcha Antiocheno Jacobitarum; alterum, quem ‚minorem lampadem' vocant, qui quoties opus fuerit, celebratur a presbyteris sacramenti ministris. Nomen autem lampadis benedictioni tribuitur, quod oleum infirmorum in lampade consecrari soleat". Considerationem etiam meretur, quod Chrysostomus in textu, cuius sensum inquirimus, ad designandum vas, quod sanctum oleum

[1]) Denzinger, ritus Orientalium t. II, p. 483.

continet, non adhibet terminum, quo alias utitur: *λαμπάς* vel *λυχνός*, sed illud vocat *λυχνίαν*, quod proprie lucernarum repositorium denotat. Hic autem terminus *λυχνία* per tropum communem videtur restrictus esse ad significandam lampadem, in qua oleum infirmorum asservabatur. Sic solum intelligitur, quod *Symeon* Thessalonicensis dicit:[1]) „Oleum [euchelæi] in lucernam (*ἐν φωταγωγῷ*) immittitur aut in vas aliud, in quo septem ellychnia iuxta sacerdotum numerum, et in figuram gratiarum Spiritus accenduntur, *καὶ ὅτι ὡς λυχνία θεῖα διὰ τοῦ ἁγίου ἐλαίου γίνεται κ. τ. λ.*" Ergo lampas et quodvis aliud vas per oleum sacrum fit *λυχνία θεῖα.*

Ex his sine difficultate ostenditur, s. Chrysostomum relatis verbis celebrare efficaciam s. olei infirmorum ad sanandos morbos. De una aliqua ex multis lampadibus in ecclesia cathedrali Antiochena appensis vel repositis affirmatur, eam esse magnam et sacro horrore dignam, eam pertinere ad res, in quibus consistit spes nostra omnis, ex quibus sanctitas derivatur in templum. Hæc vix non ridicule dicerentur de qualibet communi lucerna ecclesiæ, recte autem dicuntur de lampade, in qua asservabatur sacramentale oleum. Hoc enim oleum consecratum ad supernaturaliter sanctificandos et, prout expedit, corporaliter sanandos languidos et post benedictionem virtute Spiritus Sancti instructum et penetratum vere est aliquid magnum, sacro horrore dignum etc. Verba: „Id vero sciunt, quotquot *cum fide* . . . oleo uncti a morbis liberati sunt", commemorando fidem iterum menti sistunt oleum benedictum — de communi oleo nihil nos docet fides — et monitum s. Jacobi in memoriam revocant. Insuper s. Doctor supponit, esse praxim universalem auditoribus omnibus notam, ut fideles morbo correpti recurrant ad unctionem peragendam oleo dictæ lampadis. Testatur, de facto multos ægrotos hoc remedio sanitatem esse consecutos, sed solum tales, qui *mature* (*εὐκαίρως*) medicinam s. olei per fidem oblatam receperunt. Hæc omnia solum ritui ecclesiastico, sacramentali Unctioni infirmorum conveniunt. Non dicit hoc loco s. Chrysostomus, quibus competat peragere salutarem ritum. Mox, cum eum audiemus alium eius fructum præ-

[1]) M. 155, 524 et ap. Goar l. c.

dicantem, nos docebit, sacrum hoc officium pertinere ad solos sacerdotes.

4. *S. Cyrillus Al.* in opere „de adoratione in spiritu et veritate“ invehens in incantatores, qui super ægrotos invocent nomen Domini Sabaoth tribuentes „hanc admirabilem et gloriosam appellationem“ dæmoniis, hortatur lectorem:[1]) „Tu vero, si quæ tibi pars corporis dolet et vere credis, hæc verba ‚Dominus Sabaoth‘ et alias huiusmodi appellationes, quas Deo, qui secundum naturam est, divina Scriptura tribuit, vim habere pellendi malum illud, pro teipso preces fundens hæc verba pronuntia; sic enim rectius quam illi facies, neque impuris spiritibus, sed Deo gloriam tribues. *Commemorabo etiam divinitus inspiratam Scripturam, quæ ait: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit illum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*“

Quod attinet ad nomina divina, Cyrillus solum consulit, ut ægrotus, *si* vere credat, hæc nomina habere vim pellendi morbum, de qua re suum iudicium reticet, ipse ea pronuntiet neve advocet incantatores. At ex sua parte commendat remedium, quod divinitus inspirata Scriptura nobis offert: ritum a s. Jacobo expositum. Censuit igitur magnus episcopus Alexandrinus, s. Unctionem infirmorum non habuisse institutionem et efficaciam temporalem, sed esse in perpetuum subsidium ægrotorum traditam Ecclesiæ. Hinc recte colligimus, s. Cyrillum ad hoc sacramentum respicere, cum in commentario in Isaiam (l. III. tom. I.) scribit:[2]) „Unguentum nobis perpulchre Sancti Spiritus unctionem designat. Scribit enim sapiens Joannes: *Et vos unctionem habetis a Sancto: neque opus habetis, ut quis doceat vos, at sicut unctio docet vos de omnibus.* Ungimur enim unguento (μύρῳ) tempore *præsertim* (μάλιστα) s. Baptismatis chrisma statuentes signum ac symbolum participationis Sancti Spiritus.“ Hæc verba oppido supponunt, fideles præter unctionem in Baptismo et Confirmatione nosse aliam unctionem sacram, quam suo tempore percipiant, quæ non potest esse nisi εὐχέλαιον.

[1]) M. 68, 470 s. [2]) M. 70, 562.

III. Ritui a s. Jacobo præscripto tribuitur efficacia ad tollenda peccata.

Quidam Patres recensent varia media, quibus obtineri possit remissio peccatorum. Pleraque media, quæ enumerant, sunt actus subiectivi ipsius pœnitentis, quibus disponitur ad remissionem reatus culpæ et ulterius plenam sanitatem spiritualem recuperat. Inter media, quæ Ecclesia ad eundem finem præbet, a compluribus præter Baptismum commemoratur Unctio infirmorum vel oratio presbyterorum iuxta verbum s. Jacobi V 14.

1. *Cæsarius* Arelatensis (Homilia XIII. de 12 remissionibus peccatorum) dicit:[1]) „Octava remissio est intercessio sanctorum, ut est illud: *Si quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ et orent pro eo. Et multum valet apud Dominum oratio iusti assidua.*“ Clarius idem *Cæsarius* remissionem peccatorum simulque sanationem corporalem complectitur quodam sermone, qui apud Migne in appendice sermonum s. Augustini invenitur.[2]) „Quoties, inquit, aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat; et inde *corpusculum suum ungat*, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: *Infirmatur aliquis, inducat presbyteros et orent super eum ungentes eum oleo* . . Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.“ Verba: „Corpusculum suum ungat“ interpretanda esse: ungi faciat, aperte elucet ex contextu. Quomodo enim per unctionem propria manu ægroti factam impleretur illud: *Infirmatur aliquis etc.?* De hoc modo loquendi satis iam dictum est supra p. 16 ad testimonium s. Eligii Noviomensis.

2. *Cassianus* (Collatio XX, c. 8) docens „multis modis ad peccatorum expiationem perveniri“ posse, inter alia scribit:[3]) „Interdum etiam intercessione sanctorum impetratur venia delictorum. *Qui enim scit, fratrem suum peccare peccatum*

[1]) M. 67, 1075.

[2]) M. 39, 2238 s. Cfr. Revue bénédictine 1896, p. 209 et Revue d'histoire et de littérature religieuses 1905, p. 606 ss.

[3]) M. 49, 1161.

non ad mortem, petat et dabit ei vitam Deus peccanti non ad mortem" (I. Jo. V, 16). Et iterum: *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum; et allevabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei*" (Jac. V, 14). Docet Collator, orationem presbyterorum secundum præceptum s. Jacobi peractam habere vim impetrandi veniam peccatorum. Hanc vim esse longe aliam quam efficaciam orationis privatæ pro fratre peccante peccatum non ad mortem, non dicit. At quod reticet Cassianus, id clare enuntiat eius magister.

3. *S. Chrysostomus* (De sacerdotio l. III, n. 5) comparans bona, quæ parentibus debemus, cum iis, quæ sacerdotes in nos conferunt, ait:[1]) „Illi [parentes] ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum repellere. Hi vero [sacerdotes] ægram et mox interituram (*ἀπόλλυσθαι μέλλουσαν*) animam sæpe servarunt, aliis remissiorem pœnam reddentes, alios prorsus labi non sinentes; idque non doctrinæ tantum atque monitionum, sed etiam orationum auxilio. Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt (*συγχωρεῖν ἐξουσίαν ἔχουσιν*). Nam *infirmatur*, inquit, *quis in vobis? advocet presbyteros ecclesiæ* . ." (Integrum textum s. Jacobi citat.) Ergo sacerdotes cum orant super ægrotum ungentes eum oleo in nomine Domini, exercent potestatem remittendi peccata, non iudicialiter sicut in tribunali Pœnitentiæ, sed quemadmodum eam exercent conferentes Baptismum. Si quæratur, cur Chrysostomus, ut probet potestatem sacerdotum remittendi peccata, maluerit provocare ad Baptismum et Extremam Unctionem quam ad Pœnitentiam, ratio ex oppositione ad parentes clara est. Hi per generationem dant liberis vitam naturalem; sacerdotes eis per regenerationem dant vitam supernaturalem. Morte appropinquante parentes vitam corporalem liberorum servare non possunt; sacerdotes vero moribundos ab æterna morte servant per Extremam Unctionem. Opponit ergo impotentiæ parentum extremum medium, quod habent sacerdotes ad procurandam vitam æternam fidelium. Protestantes no-

---

[1]) M. 48, 644.

runt hunc textum. Quia eis est incommodus, mirantur, quod Catholici eum proferunt pro sua Extrema Unctione; clarum esse, Chrysostomum velle ostendere, sacerdotes habere potestatem remittendi peccata per simplicem orationem, quæ sine unctione a s. Jacobo præscripta fiat; ad hoc probandum eum adducere verba apostoli. Qui desiderat refutationem huius sapientis explicationis a Dallæo (Daillé) in „disputatione de duobus Latinorum ex unctione sacramentis, confirmatione et extrema unctione" (l. II, c. 8) late expositam, adeat *De Saint Beuve* (Tract. de sacr. Unctionis infirm. Extremæ disp. II, a. 3.[1]) Ceterum si, quod protestantes volunt, Chrysostomus in verbis s. Jacobi vidit expressam tantam potentiam sacerdotum, ut per simplicem orationem peccata æque valeant remittere sicut cum baptizant, a maiore debuit hanc vim tribuere orationi factæ cum ritu ab apostolo præscripto, quem non potuit putare superflue esse additum. Haberemus ergo non exclusionem Extremæ Unctionis, sed octavum sacramentum: orationem simplicem sacerdotis non minus Baptismo et paulo minus Extrema Unctione efficacem remissionis peccatorum!

4. *Hesychius*, presbyter hierosolymitanus († 433), in commentario ad c. II. Levitici comparans inter se effectus thuris et orationis de hac scribit:[2]) „Oratio quoque plurima operatur: hæc quippe maxime animæ passiones sanat, hæc etiam intelligibilium oculorum curat vulnera absolvens ab ignorantia, atque ex ea, quæ vere est ægritudo, i. e. ex peccato lacrymas accedentes salvat: *Infirmatur* enim *quis in vobis,* ait Jacobus, *convocet presbyteros et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini* . ." (totum textum refert). Cum certe sufficiat, uni Chrysostomo adscripsisse mirabilem exegesim modo relatam, hic auctor agnoscendus est testis veritatis, s. infirmorum Unctionem habere vim remittendi peccata. Notetur etiam, expressis verbis commemorari necessitatem doloris de peccatis, ut infirmus per s. functionem obtineat delictorum veniam.

---

[1]) Migne, Theol. cursus compl. 24, 38 ss.

[2]) M. 93, 805. Confer de Hesychio *Bardenhewer*, Patrologie[2] p. 334 s. Si forte commentarius in Lev. est alterius antiqui auctoris, vis testimonii allati non læditur.

IV. Exempla ministratæ s. Unctionis infirmorum.

Concilium Aquisgranense (cf. p. 12) commendat: „Si [subditus] infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [sacerdotis] negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali cum acceptione sacræ Communionis.“ Ex his recte inferimus, antiquis temporibus praxim fuisse, ut infirmus statim, cum periclitari cognosceretur, per sacramentum Pœnitentiæ expiaretur et sacramentali Unctione muniretur dilato Viatico, dum sacerdos „urgentem finem“ perspiceret. Quare haud mirum est, quod scriptores gestorum ss. Patrum, qui fere ea tantum, quæ ultimis momentis acciderunt, diffusius describunt, sacræ quidem communionis, non vero confessionis et Extremæ Unctionis mentionem faciunt. — Præterea notum est, in prisca Ecclesia frequentissimum fuisse morem inungendi infirmos oleo a sacerdotibus vel etiam a monachis non clericis ad usum privatum benedicto. Auctores quidam catholici ad hoc non attendentes praxim s. Unctionis probare conati sunt per facta, quæ nullo modo ad rem pertinent, e. gr. ex eo, quod s. Hilarion, qui non erat presbyter, multos ægrotos oleo a se benedicto sanavit. Generatim sancti charismate curationum præditi: laici, monachi, presbyteri et episcopi, sæpe morti proximos oleo benedicto sanasse perhibentur. Possumus quidem supposita doctrina catholica dicere, omnes tales unctiones ab episcopis vel presbyteris — si non narretur, hos in Occidente ipsos oleum benedixisse — peractas in subiectis aptis fuisse sacramentales. At quomodo veritatem catholicæ doctrinæ ex huiusmodi factis evincemus? Ut magis appareat difficultas inveniendi facta, quæ firmæ demonstrationi inserviant, perpendamus ex multis paucas sanationes per sanctos presbyteros vel episcopos ope s. olei perfectas.

Dynamius Patritius, rector patrimonii romanæ ecclesiæ in Gallia, familiaris s. Gregorii M., narrat in vita *s. Marii*, presbyteri et abbatis (circa a. 500):[1] „Quædam matrona nobilis, quæ Licinia vocabatur, excepit illum in domum suam, cuius filius adeo infirmabatur, ut memorata mulier et amici de salute eius desperarent. Rogatus a matre sanctus senex infirmum visitat, *super eum orat, oleo sancto eum perungit.* O mira virtutis Dei cum confessore orante celeritas! Dum enim infirmus perungitur, optata sanitas ex insperato revertitur et infirmitas abiecta fugatur.“ Subiectum erat aptum, actio sancti refertur verbis, quæ ad textum s. Jacobi alludunt, Marius non dicitur adhibuisse oleum a se benedictum. Catholico omnia suadent, in hoc casu ministratum esse sacramentum, cuius efficacia meritis sancti sit aucta. At licet excipere: etsi non dicatur, Marium ipsum benedixisse oleum, hoc est supponendum, cum non indicetur, unde habuerit oleum ab episcopo consecratum.

[1]) M. 80, 27; Acta SS. 27. Jan. p. 389.

De *s. Launomaro,* presbytero et abbate Curboniensi (c. a. 550 n.), auctor vitæ eius fere coævus narrat:[1]) „Erat quædam mater familias nobilitatis titulo præclara, nomine Vulfrada, quæ infra annos adolescentiæ gravissima infirmitate et membrorum omnium destitutione tabescebat, ita ut vitalis calor spiritus in solo pectusculo palpitare videretur; et sicut ipsa referebat, supra pedes erigi non poterat iam pene exanimis, longa utique corporis molestia confracta. Famulorum itaque ulnis levata ad hominem Dei medendi gratia defertur. Cumque eam *chrismatis benedictione* liniisset, vexillo s. crucis impresso in antiquum vigorem reformavit.“ „Chrismatis benedictio“ evidenter idem est quod chrisma benedictum ex modo loquendi antiquorum. Oleum non sacramentale a veteribus auctoribus latinis numquam dicitur chrisma. Quare non dubito, s. Launomarum infirmæ contulisse sacramentum. Verum, qui non credit, s. Unctionem esse sacramentum, hoc ipso potest opponere, non esse demonstratum, tantum sacramentale oleum vocatum esse chrisma.

Eustathius, presbyter *s. Eutychii,* patriarchæ Constantinopolitani (vixit 512—582), narrat,[2]) cum sanctus Amaseæ versaretur, opificem quemdam filium suum iamiam morientem attulisse, ut s. episcopus ei subveniret. „Eius igitur motus periculo s. virum accersivi. Qui nulla interposita mora venit

[1]) Acta SS. 19. Jan. p. 598. [2]) Ibidem, 6. April. p. 558.

ad oratorium, et precibus adhibitis *puero manus suas imposuit unxitque oleo sancto* ac domum dimisit. Postridie pater revertit cum lacrymis Deo gratias agens pro salute filii sui." Puerum salvatum esse ope sacramenti, maxime suadet circumstantia, quod non subito est restitutus, sed sequenti demum die extra periculum positus apparuit. Nihilominus cum Eustathius referat varias simili modo perfectas sanationes infirmorum, qui utpote in nullo periculo vitæ constituti sacramenti erant incapaces, etiam de allato casu non omne dubium est exclusum. — *Jam consideremus facta, contra quæ nihil cum ratione opponi potest.*

1. Perantiqua vita *s. Leobini,* episcopi Carnotensis (c. a. 550), habet,[1]) Caletricum presbyterum, postea Leobini successorem, tanta infirmitatis angustia esse correptum, ut vix ultimo palpitaret anhelitu. „Cuius venerabilis germana, nomine Mallegundis, directis velociter missis ad s. episcopum, [oravit] ut ad leviandum fratris sui infirmitatem benedictum dirigeret oleum. Ipse vero cum oleo præsentialiter veniens silentium ab omnibus postulavit dicens: Domine, qui omnia nosti, si hunc famulum tuum Ecclesiæ tuæ vel populo iudicas necessarium, tua opitulante virtute [nobis illum restitue] sanum. Tunc ille æger statim ut *sacræ unctionis oleo est perunctus,* tantæ sanitatis gratiæ est restitutus, ut si nullius infirmitatis molestia unquam eius membra fuissent attacta. Ad comprobandam autem sancti viri virtutem reliqua olei pars in tantam constat pulchritudinis claritatem esse conversam, ut cunctis, qui aderant, non olei nitor, sed crystalli videretur clarescere splendor, nimirum *illud præfigurans, ut, qui futurus erat episcopus, per ministerium episcopale oleum consecrationis sanctificaret* et divinis virtutibus per cœlestem gratiam splendesceret." Termini „sacræ unctionis oleum", „oleum consecrationis" nunquam inveniuntur adhibiti de oleo a monachis vel presbyteris (in Occidente) benedicto. Insuper expresse dicitur, sanctificationem olei consecrati spectare ad ministerium episcopale. Ergo hoc oleum consecratione episcopali sanctificatum si minus exclusive, certe principaliter ordinabatur ad

[1]) Acta SS. 14. Martii, p. 348.

ritum essentialiter superiorem omnibus unctionibus materia alia factis; qui ritus fuit s. infirmorum Unctio.

2. „Vir sanctus Dei sacerdos *Tresanus* — tradit antiquissima vita huius servi Dei, s. Remigii æqualis[1]) — infirmitate corporis prægravatus, febrium incommodo vexatus, lecto decumbit et usque ad extrema deductus finem corporis sui imminere persensit; convocat sacerdotes et ordinis ministros; profitetur se iniquum et sacerdotio indignum, se in homines deliquisse et in Dominum criminaliter peccasse. Itaque blanda a ministris consolatione suscepta *oleum sanctæ reconciliationis excepit* et cum cordis intima contritione et humilitate suscepit . . Corpore et sanguine Domini percepto repositus in lectum spem suam ponens, oculisque et corde intentis in cœlum sanctum emisit spiritum." „Oleum sanctæ reconciliationis" eiusque coniunctio cum Viatico de sensu textus non permittunt dubium.

3. Mors *s. Eugenii,* episcopi Ardsrathensis in Hibernia (c. a. 500), his describitur:[2]) „Vitæ termino appropinquante annis maturus et meritis gravi corripitur infirmitate, qua magis et magis ingruente omne monachorum agmen convocatur ac *venerabile corpus sacro oleo ungitur* et exitus eius Viatico non deficiente communitur."

Omissis aliis factis, quæ in Occidente memoriæ tradita sunt,[3]) videamus, num Orientis scriptores nos penitus destituant.

4. *S. Hypatius,* celebris monasterii Rufiniani in Bithynia abbas (vixit c. ab a. 366—446), magni æstimatus a s. Chrysostomo, iuvenis monachus nondum presbyter permittente abbate suo suscepit curam infirmorum, quos undique conquisitos adducebat ad monasterium. Auctor vitæ eius, *Callinicus,* eius discipulus, describit, quanta caritate ægrotos foverit. Tum pergit:[4]) „Si vero necessitas suaderet, infirmum oleo sacro

[1]) Acta SS. 7. Febr. p. 55.

[2]) Acta SS. 23. Augusti, p. 627. Habet hæc vita conscripta ab auctore anonymo complura mirabilia, „qualia in actis sanctorum Hibernorum frequenter occurrere consueverunt" (Ibid. p. 625). Eo minus suspecta sunt, quæ de morte Eugenii simpliciter narrantur.

[3]) Conf. *Binterim,* Denkwürdigkeiten, 6. Bd., 3. T., p. 261, ubi ultima inunctio complurium aliorum sanctorum refertur.

[4]) Acta SS. 17. Junii, p. 251.

inungi debere *(εἰ δὲ χρεῖα ἦν τοῦ ἀλειφῆναι τὸν ἄῤῥωστον),* monebat abbatem, qui presbyter erat *(ἦν γὰρ πρεσβύτερος),* et curabat ab ipso perfici unctionem *(ἐποίει αὐτὸν ἐλαίῳ εὐλογημένῳ ἀλειφῆναι παρ' αὐτοῦ).* Et sæpe accidit, ut hominem paucis diebus dimitteret sanum Deo ipsi cooperante . ." Est mirum, quod hoc testimonium vere classicum a nullo theologo, quantum novi, est protestantibus oppositum. Ex eo enim habemus *a.* sacram Unctionem fuisse communiter notam et impertitam esse tantum graviter decumbentibus: *εἰ δὲ χρεῖα ἦν τοῦ ἀλειφῆναι. b.* Eam tantum a sacerdote peragi potuisse: *ἦν γὰρ πρεσβύτερος. c.* Adhibendum fuisse oleum benedictum: *ἐλαίῳ εὐλογημένῳ. d.* Hunc ritum longe diversum fuisse a sanationibus quibusvis charismaticis; eo enim ipso tempore Hypatius per se quosdam ægrotos sanabat, etiam oleo sacro utens. *e.* Effectus sanitatis non semper sequebatur, sæpe tamen; at non subito et per miraculum: *ἐν ὀλίγαις ἡμέραις ἀπέλυε αὐτὸν ὑγιῆ.* Breviter: iis verbis depingitur cura pii iuvenis, ut periculose ægrotantes tempestive Extrema Unctione munirentur, quibus hodiedum pius et de salute gravi morbo laborantium sollicitus infirmarius laudari posset.

5. *Koriun,* episcopus in Georgia (sæc. V.) in opere: „Narratio vitæ et mortis s. Mesrop" obitum *s. Isaac,* magni patriarchæ Armenorum, his exequitur: „Hora diei secunda *inter ministerium olei fragrantis cum oratione Deo grata* animam suam Christo commendavit respiciens ad prophetam, qui dixit: *in manus tuas commendo spiritum meum,* et ad b. Stephanum, qui dixit: *Domine, in manus tuas commendo spiritum meum".*[1]) „Ministerium olei fragrantis cum oratione Deo grata" idem esse, quod *ἡ ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐλαίου* sive *εὐχελαίου* plane manifestum est.

V. Testimonia Patrum, in quibus non commemoratur quidem s. Unctio, quæ tamen de nostro sacramento sunt intelligenda.

Apud Patres tum occidentales tum orientales invenimus expressum verum aliquod sacramentum, quod ab episcopis vel

[1]) Conf. de hoc opere et de authentia nostri textus *Vetter* in „Lehrbuch der Patrologie und Patristik von Dr. *Nirschl,*" t. III. p. 229 s.

presbyteris cum oratione et impositione manuum infirmis administratum esse dicitur. Periisse in Ecclesia unum quoddam sacramentum quondam celebratum, omnium minime affirmabunt protestantes. Jam vero impositio manuum cum oratione per se habetur in sacramentali Unctione, cæremonialis manuum impositio super infirmum cum oratione præscribitur in plerisque antiquis libris ritualibus. In ipso actuali Ordine ministrandi sacramentum Extremæ Unctionis præscribitur oratio dicenda immediate antequam sacerdos ægrotum ungat: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti extinguatur in te omnis virtus diaboli *per impositionem manuum nostrarum* et per invocationem omnium ss. angelorum etc." Nulla tamen secundum præsentem ritum fit manuum impositio præter eam, quæ in ipsa Unctione habetur. Ceterum si accurate pensemus, quæ de impositione manuum et oratione ab ipsis antiquis scriptoribus enuntiantur, clare apparet, agi de sacramento Extremæ Unctionis.

1. Dr. Marcus *Magistretti,* qui suis lucubrationibus rem liturgicam egregie illustravit, anno 1905 edidit duobus tomis „*Manuale Ambrosianum* ex Codice sæculi XI. olim in usum Canonicæ Vallis Travaliæ". In tomo I. inter varia documenta ad liturgiam stricte dictam, ad sacramentorum administrationem aliasque functiones sacras spectantia habetur p. 79 ss. ex codice sæculi XI. („liber monachorum s. Ambrosii") Ordo, qui inscribitur: „Incipit *impositio manuum super infirmum*"; p. 94 ss. invenimus ex codice sæculi XIII. Ordinem inscriptum: „Incipit *Ordo Officii, qualiter fieri debet manus impositio super infirmos*"; p. 147 ss. de „rituali sacramentorum sæculi XIII. olim eccl. s. Laurentioli Mediolani" profertur Ordo cum inscriptione: „Hic incipit *manus impositio.*" In omnibus tribus monumentis liturgicis officium impositionis manus super infirmum excipit „Commendatio animæ", ad quam sequuntur officia circa defunctos. At numquid ecclesia mediolanensis usque ad sæculum XI. immo XIII. et ultra moribundis nihil præstitit præter nudam impositionem manuum sacerdotalium cum quadam deprecatione? Vix est dubium, quin theologi protestantes hoc nobis obtruderent, si per infortunium solum tituli dictorum Ordinum nobis essent conservati. *De facto vero tres illi Ordines impositionis manuum*

continent Officium administrandi Extremam Unctionem cum Viatico secundum morem ecclesiæ mediolanensis. Novimus, antiquitus sacramentum ægrotantium non esse fixo quodam termino omnibus ecclesiis particularibus communi designatum; documenta indicata pandunt, in ecclesia s. Ambrosii ritum illud conferendi esse vocatum *„impositionem manuum“. Nunc audiamus ipsum s. Ambrosium.* In libro I. de pœnitentia c. 8. contra Novatianos argumentatur:[1]) „Omnia [Christus] donavit discipulis suis, de quibus ait: *in nomine meo dæmonia eicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: supra ægros manus imponent, et bene habebunt.* Omnia ergo dedit, sed nulla in his hominis potestas est, ubi divini muneris gratia viget. Cur ergo *manus imponitis et benedictionis opus [effectum] creditis, si quis forte revaluerit ægrotus?* Cur præsumitis, aliquos a colluvione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, utrum per Pœnitentiam an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam, ubi vultis, repudiatis?“ Hoc testimonium bene perpensum vere eximium est dicendum. S. Doctor textum Scripturæ (Marci XVI, 17 s.) aperte citat ob ultimum incisum, quod solum ad scopum eius derivari potest. Igitur Christus apostolis et eorum successoribus inter alia triplicem potestatem concessit: ut ægris manus imponant ad salutem, ut baptizando homines a colluvie diaboli mundent, ut fidelibus peccata remittant. Novatiani sacerdotes ægris manus imponunt et effectum virtuti divinæ attribuunt. Per se s. episcopus statim poterat concludere: ergo etiam, cum sacerdos peccatori delicta remittit, credite, per munus gratiæ divinæ sequi effectum. At præ oculis habens hæresim adversariorum præoccupat eorum responsionem: Homo peccata remittere non potest; nos, qui peccatoribus denegamus Pœnitentiam eos multo magis ab aliis sacramentis arcemus; ex eo

[1]) M. 16, 477.

ergo, quod, cum infirmis iustis præbemus impositionem manuum, per munus gratiæ divinæ non raro restituitur sanitas, nihil contra nos sequitur. Quare Ambrosius conclusionem differt et prius interrogat: „Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet?“ Est igitur argumentum eius tale: Vos Novatiani vestro modo agendi ostenditis, sacerdotes habere potestatem divinitus datam perficiendi ritus, in quibus operetur virtus divina; nam manus imponitis et benedictionis opus creditis, si quis forte revaluerit ægrotus. Conceditis pariter, sacerdotes habere potestatem divinitus acceptam perficiendi ritum, in quo peccata per eandem virtutem divinam remittuntur; nam baptizatis et in Baptismo per mysteriorum gratiam peccata remitti asseritis. Ergo arbitrarie contra verbum Domini denegatis sacerdotibus potestatem applicandi peccatoribus baptizatis ritum, quo per eandem virtutem gratiæ divinæ deleantur culpæ admissæ. — Ex his ad rem nostram concludimus. Triplex potestas, de qua s. Doctor loquitur, est sacramentalis. Si enim prima esset charismatica, nihil prorsus contra Novatianos efficeretur; ridiculum enim esset, si quis ex charismate curationum vellet inferre sacramentum Pœnitentiæ. Sed quodnam est sacramentum, in quo sacerdotes ægris manus imponunt cum frequenti effectu sanationis? Nullum unquam notum fuit præter illud, quod antiquitus in ecclesia mediolanensi vocatum est „Impositio manuum“: Extrema Unctio.

2. *Possidius* in vita *s. Augustini,* quem fidelibus præceptum s. Jacobi inculcare supra vidimus, hæc c. 27. commemorat: *„In visitationibus vero modum tenebat ab apostolo definitum,* ut non nisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutas visitaret (Jacobi I, 27); et si *forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret eisque manus imponeret,* sine mora pergebat.“ Tenebat ergo s. Augustinus in visitationibus modum ab apostolo Jacobo præscriptum. Quomodo sacerdotes infirmum visitare debeant, apostolus indicat verbis: *orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Hunc ergo modum magnus Doctor Ecclesiæ observabat, cum ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret eisque manus imponeret. Inepte Possidius affirmasset, sanctum episcopum in visitationibus tenuisse modum a s. Jacobo defini-

tum, si visitationi factæ ad regulam apostoli statim subiunxisset visitationem non conformem mandato eiusdem apostoli.

3. In Ægypto pariter infirmorum Unctio nomine impositionis manuum significata esse videtur. Hoc enim supposito optime declaratur error *Origenis* ipsum textum apostoli his verbis repetentis: *Si quis infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ et imponant ei manus ungentes eum oleo.*[1])

Porro *s. Athanasius* in „epistola encyclica“ scripta anno 341 recensens, quanta scelera intrusus episcopus arianus Gregorius cum suis asseclis in sancta omnia committat, inter alia conqueritur:[2]) „Gregorius ministros *(λειτουργούς)* cum ingenti contumelia observat, ita ut ex hac violentia multi nondum baptizati periclitentur. Plurimi vero quod, dum ægrotant, a nullo invisantur — quod illi haud sine lacrymis tolerarint — eiusmodi calamitatem ipso morbo acerbiorem existimant. Dum enim Ecclesiæ ministri *(λειτουργοί)* persecutionem patiuntur, populi, qui hæreticorum Arianorum impietatem execrantur, malunt ita ægrotare et periclitari quam *χεῖρα τῶν Ἀρειανῶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῶν.*“ Exprobrat insignis defensor catholicæ veritatis Arianis, quod eorum culpa catechumeni versentur in periculo moriendi sine Baptismo, et fideles ægroti eo sint redacti, ut malint cum ingenti dolore mori sine sacramento exeuntium quam permittere, ut manus sacerdotum Arianorum veniant super capita sua. Quænam actio sacerdotalis in capitibus graviter infirmorum peragitur nisi Extrema Unctio?

---

[1]) M. 12, 419.

[2]) Ibid. 25, 234. Ad sacramentum Extremæ Unctionis *s. Athanasius* videtur etiam respexisse, cum in expositione psalmi 92 celebrans cœlestem beatitudinem, quæ expectat iustos, scripsit in illa verba *Senectus mea in oleo uberi:* „Post labores, quos sustinui, inquit, tunc ceu oleo utar ad regale sacerdotium; et hoc erit mihi in diuturnorum laborum præmium“ (M. 27, 406). Idem censco de s. *Gregorio Nazianzeno*, qui in carmine *κατὰ τοῦ πονηροῦ εἰς τὴν νόσον* Christum alloquitur:

Σὸς λάτρις οὗτος ἔγωγε, τεοῖς δ' ἐπὶ χεῖρας ἰάλλω
Δώροις, καὶ κεφαλαῖς τῶν ὑποκλινομένων,
Καὶ νούσων καλέουσιν ἀρήγονα. Ἵλαθι, Χρίστε.

(M. 37, 1392 s.)

VI. Textus, quibus clare dignitas sacramentalis Unctionis infirmorum enuntiatur.

1. *Auctor operis „de promissionibus et prædictionibus Dei“*, certe coævus s. Augustini, probabiliter Prosper quidam Africanus,[1]) commendat misericordiam viduæ, quæ ex modico farris et olei, quod ei supererat, cibavit Eliam prophetam, et inde concludit:[2]) „Sic anima misericors feneratur Deum, sic dum dat in necessitate, sibi consulit ad salutem. Sic repletur anima, quæ (corpore abscedente Domino?) castitatem diligens unius thori fidem pudico amore custodit, *sacramento farris et olei unctione munita* secura expectans gratam pluviam, cum ei dixerit Dominus: *Euge serve bone et fidelis, quoniam in modico fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*“ Aliis verbis: Sicut vidua illa iam moritura propter observatam post matrimonium castitatem et propter misericordiam prophetæ exhibitam meruit per miraculum modico farre et oleo a Deo sustentari usque ad diem, qua dedit Dominus pluviam super terram (III. Reg. XVII, 14): sic anima illi similis virtutibus misericordiæ et castitatis morte imminente sacramento farris (Eucharistia) et olei unctione munita secura expectat gratam pluviam beatitudinis, qua irrigabitur, cum Deus ei dicet: *Euge serve bone etc.* Ergo Viaticum et s. Unctio sunt duo præsidia divinitus data, quibus munita anima secura egreditur e corpore, ut particeps fiat gloriæ, ideoque sunt duo sacramenta.

2. *Victor Antiochenus* (sæc. V.) in commentario ad Marci VI. 13 adnotat:[3]) „Quæ apostolus Jacobus in sua canonica narrat, ab hoc non dissentiunt; scribit enim: *Infirmatur quis* . . . Oleum inter alia et laborum molestias *(κόπους)* mitigat, et lumen fovet et hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in unctione adhibetur, et Dei misericordiam et morbi sanationem et cordis illuminationem denotat. Clarum fuerit orationem totum hoc efficere; oleum autem mea quidem sententia symbolum horum est.“ Ad ultima verba recte advertit *De Saint Beuve:*[4]) „Victor Antiochenus attribuit effectum

---

[1]) Cfr. *Bardenhewer*, Patrologie², p. 453. [2]) M. 51, 803.

[3]) Cramer, catena græc. Patrum I. p. 324.

[4]) Migne, Theol. cursus compl. 24, 50.

hunc [potius: effectus hos, cum omnes fructus sacramenti vel explicite — confortationem et sanitatem, — vel implicite in misericordia divina commemoret] orationi, non oleo nisi ratione orationis, secundum modum loquendi Patrum, quo attribuunt effectus sacramentorum formis et non signo nisi ratione formæ. Sic Augustinus loquens de Baptismo ait: ‚Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo?'" Ceterum quomodocunque Victor concepit causalitatem ritus in salutem infirmorum instituti, de qua re solum opinando suam sententiam aperit, censet, hunc ritum a Christo Domino esse institutum, per s. Jacobum iterum propositum, et habere effectus, quos Ecclesia attribuit Extremæ Unctioni.

3. Magnus Armenorum Catholicos (patriarcha) *Joannes Mandakuni* (n. a. 405, Catholicos ab a. 480—487), merito dictus alter Chrysostomus, homilia 26. acerrime carpit eos, qui morbo pressi ad media magica et incantationes confugiunt. Insigni cum eloquentia depingit stultitiam huius superstitionis et pergit:[1]) „Contemnunt donum curationis; sola enim arte medica urendo et secando et adhibendo medicamina fieri potest, ut dolores sanentur. Imo magis contemnunt dona gratiæ. Dicit enim apostolus: *Infirmatur quis in vobis, vocet presbyteros Ecclesiæ. Hi orent super eum et ungant oleo in nomine Domini, et oratio cum fide coniuncta salvabit afflictum,* et iis, quos vexat spiritus malignus, mandavit, ut eum expellant ieiunio et oratione, signo crucis omnia vincentis." Ut apparet, patriarcha accurate distinguit modum, quo se gerere debet infirmus, ab eo, quem debet servare energumenus. Hic ipse se iuvet ieiunio et oratione atque signo crucis; infirmus accersat medicos et petat a presbyteris Ecclesiæ donum gratiæ, s. inunctionem cum oratione. Mox conversus ad pastores Ecclesiæ, qui non minus quam simplex plebs abominandæ superstitioni erant dediti: „Cognoscamus oportet, inquit, Deum iis non parciturum, qui non fide, sed solo nomine ei se devovent, et in domo

[1]) Cf. Michael *Schmid*, heilige Reden des Joannes Mandakuni, p. 222 ss. Debeo hoc insigne testimonium benevolentiæ D. *Simonis Weber*, professoris universitatis Friburgensis in Brisgovia, qui illud mihi indicavit et denuo accurate ex armenico vertit.

Dei manducant, pro Deo honorem excipiunt, caput Ecclesiæ habentur, prælegunt legem Dei, vocantur magistri rudium et duces errantium, sed ipsi aberraverunt, *gratiam Dei, orationem et oleum unctionis, quæ præcepta pro infirmis præscribunt*, dereliquerunt, dum ipsi ad incantationes et scripta magica convertuntur." Gravissimis deinde verbis malitiam et stupiditatem talium sacerdotum patriarcha insectatur. Inter alia eis dicit: „Legis Scripturam et non intelligis, quæ scripta sunt. *Quid nobis mandant præcepta Dei?* Nonne nobis mandant, ut omnia opera nostra in tutela et præsidio crucis reponamus; nonne nobis mandant *orationem pro infirmis et unctionem olei,* et illis, qui a satana affliguntur, ieiunium et orationem? *Qui hæc spernit* atque ad libros magicos et mulieres incantatrices recurrit, versatur extra præcepta et religionem christianam, hic *subest maledictioni apostolorum* ... *Ecce gratias Dei* et virtutem s. Crucis dissolvis, necnon ieiunium et orationem, quæ præcepta mandant; loco horum introducis libros magicos et amuleta incantatorum, quæ non continentur in præceptis, sed sunt absconsæ sagittæ dæmonis.." Jam vero, qui ritum a s. Jacobo commendatum iterato dicit donum gratiæ, quod ex præcepto divino conferendum sit infirmis; qui affirmat, eos, qui hunc ritum spernunt, subesse maledictioni apostolorum; qui enormi crimini vertit sacerdotibus, quod ægrotis hoc donum gratiæ præbere negligunt: is sane novit sacramentum Extremæ Unctionis.

4. Celeberrimum est responsum s. Pontificis *Innocentii I.* (402—417) ad quæstionem Decentii, episcopi Eugubini, de sensu verborum s. Jacobi V, 14 s. Videtur Deus curiosum scrupulum Decentii permisisse, ut testimonium pro dignitate sacramentali s. Unctionis omni exceptione maius ab ipsa s. Sede editum in omne ævum servaretur.[1]) „Sane quoniam de hoc, sicut de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati apostoli Jacobi epistola conscriptum est: *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum Dominus, et si*

[1]) M. 20, 559 ss.

peccatum fecit, remittet ei. Quod non est dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui *s. oleo chrismatis perungi* possunt, quod *ab episcopo confectum* non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet, in sua aut in suorum necessitate ungendum.[1]) Ceterum illud superfluum esse videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit, aliquem a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia *genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi.* His ergo, frater charissime, omnibus, quæ tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, respondere curavimus, ut ecclesia tua *Romanam consuetudinem,* a qua originem ducit, servare valeat atque custodire." — Instruit s. Pontifex episcopum Eugubinum, textum s. Jacobi intelligendum esse de Unctione infirmorum, consecrationem chrismatis eidem inservientis secundum consuetudinem ecclesiæ romanæ reservari episcopis, Unctionem ipsam esse verum sacramentum. Terminum enim „genus sacramenti" adhiberi eodem sensu, quo e. gr. geographia dicitur genus scientiæ, panis genus cibi, ergo pro gallico, „un sacrement", pro germanico „ein Sakrament", ostendunt manifeste verba: „Quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?" Insuper non negabantur pœnitentibus reliqua sacramenta sensu lato; secus ipsæ orationes Ecclesiæ pro illis essent negatæ. Cur autem Innocentius non permittit, ut publice pœnitentes ad ultimum agonem muniantur s. inunctione? Permittit sane eo tempore, quo ex abusu nunc late diffuso primum cogitatur de hoc sacramento, nempe „in extremo fine vitæ", cum et reconciliatio et Viaticum eis dabatur. At nonne Innocentius affirmat, s. hanc unctionem, quam vocat genus sacramenti, omnes Christianos, ergo etiam laicos, sibimetipsis aliisque dare posse, quod protestantes maxime contra vim

[1]) De variis lectionibus huius incisi cfr. Migne l. c.

huius testimonii urgent? Verum si hic est sensus illius incisi, s. Pontifex rem plane novam nimisque miram sine ullo argumento docuit Decentium, qui ex verbis s. Jacobi: *inducat presbyteros Ecclesiæ,* coniecerat, ne episcopis quidem permissum esse, ut sacrum ritum celebrent. Licet sane uti „chrisma ab episcopo confectum omnibus Christianis in sua aut suorum necessitate ungendum", sed ministerio sacerdotum, quod ex toto contextu antecedente et subsequente elucet. Conferantur etiam, quæ p. 17 ad testimonium s. Eligii sunt notata. Si quis vero prorsus contendat, illo inciso commemorari privatum usum sacri olei infirmorum iuxta morem illius ætatis, vim testimonii minime infringit, sed auget. Hoc enim posito necessario dicendum est, Pontificem duplicem essentialiter diversum usum s. olei distinguere: unum privatum, qui omnibus fidelibus sit permissus, alterum solemnem, episcopo et presbyteris secundum apostolum reservatum, qui sit stricte sacramentalis. Ratio enim sacramenti tribuitur ab Innocentio tantum unctioni, quam ministri Ecclesiæ perficiunt, de qua sola est sermo a verbis: „Ceterum illud superfluum esse videmus adiectum etc."

4. *Collectiones canonum huius ævi.* Notissimum est responsum ab Innocentio I. Decentio datum. Vis huius testimonii mea quidem sententia plurimum crescit per collectiones canonum huius epochæ. Quivis theologus novit, quantum momentum hæ collectiones habeant ad aperiendam formam regiminis, disciplinam ecclesiasticam, praxim sacramentalem priscis illis temporibus vigentem. Atqui instructio Innocentii de sacramento Unctionis infirmorum recepta est, ut tantum præcipuas commemorem, in *„collectionem decretorum Pontificum Romanorum" Dionysii Exigui*[1]) tempore *Symmachi* papæ (498—514), *in collectionem* dictam *Quesnellianam:*[2]) „Codex canonum ecclesiasticorum et constitutorum s. Sedis apostolicæ", quæ verosimillime in Gallia sub *Gelasio* (492—496) est confecta, in *collectionem Hispanam*[3]) c. a. 600, in collectionem *Cresconii,*[4]) episcopi africani a. 570(?), quæ inscribitur „Breviarium canonicum". Nemini in mentem venerit, episcopos Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Africæ, adeo antiquitatis stu-

[1]) M. 67, 240. [2]) Ibid. 56, 517. [3]) Ibid. 84, 644. [4]) Ibid. 88, 913.

diosos, a collectoribus canonum novum sacramentum sibi obtrudi passos esse idque sine contradictione, cuius nullum extat vestigium. Quare hæ collectiones solæ præbent evidens argumentum, late per Ecclesiam viguisse usum s. Unctionis infirmorum tamquam veri novæ Legis sacramenti.

Nota. Argumentum convincens *præscriptionis* ex eo deductum, quod sectæ iam sæculo V. ab Ecclesia separatæ s. Unctionem tamquam sacramentum partim adhuc ministrant, partim saltem antiquitus ministrarunt, prætermittimus, quod a theologis in tractatu de sacramentis in genere, cum eorum numerum septenarium probant, solet evolvi. Argumento autem ex sacramentariis s. Gelasii et s. Gregorii M. et ex Constitutionibus apostolicis (l. VIII) renuntiamus, quia inter eruditos de originali forma horum librorum liturgicorum multæ quæstiones adhuc agitantur.

ARTICULUS III.

SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS TEMPORE ANTE CONCILIUM NICÆNUM.

Mirum non est, quod primis tribus sæculis Ecclesiæ pauca documenta de Extrema Unctione occurrunt. Ad rationes enim p. 20 ss. indicatas accedit, quod perniciosa imprudentia fuisset, si hoc sacramentum vulgatum esset et persecutoribus innotuisset, sacerdotes christianos debere visitare infirmos ad eos inungendos. Recordemur, quanta pericula e. gr. tempore persecutionis anglicæ sub regina Elisabeth subierint sacerdotes visitantes infirmos. Nihilominus tuto statuitur

Propositio III. Tempore antenicæno sacra infirmorum Unctio in communi Ecclesiæ usu viguit tamquam verum novæ Legis sacramentum.

Probatur I. ex iis, quæ hucusque sunt demonstrata.

Post synodum Nicænam sacramentum ministrabatur in omnibus partibus Ecclesiæ: in toto Occidente, in Græcia, in Ægypto, in Asia minore, in Syria, in Armenia, in Perside etc.

Communis disciplina postulat communem causam. Hæc causa communis certe non fuit auctoritas romanorum Pontificum, qui in ritus sacros ecclesiarum Orientis, præsertim maxime dissitarum, parvum, imo si protestantibus volumus credere, nullum influxum exercuerunt. — Studium antiquitatis, cura pure conservandi proprios ritus, magna independentia ecclesiarum præcipuarum, nimis impeditum commercium quarundam ecclesiarum cum aliis excludunt omnem causam præter communem fontem religionis et cultus christiani: Traditionem apostolicam.

II. Ex testimoniis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum huius epochæ.

1. *S. Aphraates* episcopus, dictus „sapiens Persa“, versus finem sæculi III. natus, scripta quidem, quæ supersunt, post Concilium Nicænum composuit. At cum magna vitæ eius pars effluxerit ante synodum œcumenicam et opera eius nullum influxum ex imperio romano prodant — ne nomen quidem Arii in eis exstat — recte testis fidei antenicænæ habetur. Aphraates igitur (Demonstratio XXIII, 3) varium usum sacrum olei proponit verbis:[1]) Oleum signum continet „sacramenti vitæ, quo perficiuntur christiani, sacerdotes, reges, prophetæ; tenebras illuminat, *ungit infirmos,* et per arcanum suum sacramentum pœnitentes reducit.“ Ergo s. unctio adhibetur in Baptismo, præfigurata unctione sacerdotum, regum, prophetarum; in Confirmatione: „tenebras illuminat;“ in reconciliatione pœnitentium ex more complurium ecclesiarum. Quare sacramentalis — sive stricte sive late — est etiam unctio infirmorum, quam cum aliis recenset. Novimus, multas factas esse unctiones infirmorum nullo modo sacramentales, sed vel charismaticas vel ex privata pietate factas. Nullum autem existit testimonium specialis unctionis infirmorum alteri sacramento *ritualiter* adnexæ. Manet ergo dicendum, unctionem infirmorum, quam commemorat s. Aphraates, esse sacramentum stricte dictum: Extremam Unctionem.

2. *Eusebius* Cæsareensis (natus c. a. 265, episcopus ab a. 313—340) explicans c. XXV. Isaiæ de bonis, quæ gentili-

[1]) Graffin, Patrologia syriaca, t. I, p. LV.

bus ad Christum conversis in Ecclesia et in cœlo contingent ad verba textus græci (7): *Χρίσονται μύρον ἐν τῷ ὄρει τούτῳ. Παράδος ταῦτα πάντα τοῖς ἔθνεσιν· ἡ γὰρ βουλὴ αὕτη ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη* scribit:[1]) „Horum porro imagines et symbola in *mysteriis novi testamenti per mysticum chrisma* et salutarem sanguinem nobis tradidit evangelicus sermo, ut in his probati etiam meliorum participes simus, etenim Israel his dignus non est. Quemadmodum autem quis depositum cum mensura tradit, sic, inquit, mysticum de prædictis rebus sermonem trade omnibus gentibus: nam hoc consilium super omnes gentes est.“ Igitur in sacramentis mystici chrismatis et Eucharistiæ christiani habent imagines et symbola æternorum bonorum, quæ consequentur, si illis mysteriis recte usi fuerint. At quale mysterium „mystici chrismatis“ Eusebius præ oculis habet? Pergit interpretando sequentem versum (8): *Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας καὶ πάλιν ἀφεῖλεν ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προσώπου· τὸ ὄνειδος τοῦ λαοῦ ἀφεῖλεν ἀπὸ πάσης τῆς γῆς· τὸ γὰρ στόμα Κυρίου ἐλάλησεν.* „Tum igitur cum sancti una cum Filio Dei regnabunt, ipsa mors, quæ olim deglutiebat eos, omnino absorbebitur. Pro illa autem *(ἀντὶ δὲ τούτου,* contra mortem) erit *unctio, qua inungentur omnes gentes (ἡ χρίσις ἡ κεχρισμένη εἰς πάντα τὰ ἔθνη).* Etenim uncti illo unguento *(Χρισθέντες γὰρ τῷ χρίσματι)* non ultra erunt morti obnoxii, sed immortalitatis et æternæ vitæ consortes mortem imbecillam et quasi mortuam reddent.“ Sive verba: *„Χρισθέντες γὰρ τῷ χρίσματι* non ultra erunt morti obnoxii“ secundum obvium sensum intelliguntur de unctione ante mortem facta sive de unctione spirituali in cœlo perfecta, cuius „imago et symbolum“ sit mysterium mystici chrismatis, in utroque casu Eusebius dicendus est respicere ad s. infirmorum Unctionem. Nam antidoton contra mala, quæ mors secum fert, non est unctio confirmatoria, sed ea, quæ morituris impertitur. De hac Eusebius etiam videtur loqui l. II. de resurrectione[2]) explanans verba, quibus Dominus defendit Mariam effundentem unguentum super caput eius in convivio. „Quod autem fecit ista, non ignorat. Prænuntiat ista meam mortem. *Immittitur enim gentibus [christianis ex gentibus], qui moriuntur, unguentum.“* Hæc unctio christianis morituris danda et per unctionem Domini ante mortem præsignificata quid est nisi Extrema Unctio?

[1]) M. 24, 267. [2]) Ibid. 24, 1111.

3. *Origenes* (homilia II. in Leviticum) enumerans diversos modos obtinendi remissionem peccatorum ait:[1]) „Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quærere medicinam secundum eum, qui ait: *dixi, pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* In quo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ et imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, remittentur ei.“* Protestantes putant, se posse elidere auctoritatem Origenis dicendo, eum agere tantum de pœnitentia et per infirmum intelligere eum, qui in peccatis sit.[2]) Verum tale effugium est plane impossibile. Nam *a.* nemo unquam affirmavit, s. Jacobum per infirmum intelligere peccatorem; Origenes autem ne verbo quidem insinuat, se adhibere textum apostoli sensu translato. Quare a suis auditoribus certe non ita est intellectus. *b.* Origenes in dicta homilia totus in eo est, ut varia sacrificia pro peccatis a lege præscripta conferat allegorica sua methodo cum diversis modis obtinendi remissionem peccatorum in N. T. In tali autem contextu vere absone ageret, si locum N. T., qui sensu literali agit de medio expiationis certe distincto a sacramento Pœnitentiæ, per allegoriam ad hoc detorqueret, et sic allegoriam quasi secundi gradus induceret. *c.* Protestantes asserentes, Origenem per infirmum intelligere eum, qui in peccatis sit, tam acutum doctorem faciunt interpretem vere ineptum. An non est inepti inducere apostolum monentem: „Si quis in peccatis est, vocet presbyteros Ecclesiæ . . et oratio fidei salvabit eum, qui in

[1]) M. 12, 419.

[2]) Cfr. e. gr. inter antiquiores Dallæus, de extr. Unct. l. II. c. 7.; inter recentiores Steitz, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche[2] t. 14, p. 305.

peccatis est; et *si* in peccatis sit, remittentur ei." Claritati consuluit Cassianus, qui in Collatione XX. (supra p. 34) enumerans media remissionis peccatorum certe textum Origenis præ manibus habuit, at confessionem peccatorum et mandatum s. Jacobi seiunxit interponendo alia media. Potuit autem Origenes coniungere sacramentum Pœnitentiæ et Unctionem infirmorum utpote illius complementum. Sensus ergo doctoris Alexandrini est: Remissio peccatorum obtinetur per sacerdotem, si quis cum dolore confitetur delicta sua; et si is, qui confessionem suam peragit, est infirmus, impletur etiam illud: *Si quis autem infirmatur etc.*

4. *Tertullianus* (l. de præscriptionibus c. 41) inter alia exprobrat hæreticis, quod discrimen inter clericos et laicos fere tollant:[1]) „Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, *curationes repromittere,* forsitan et tingere [baptizare]. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes etc." Functiones, quas mulieres sibi arrogant, ex mente Tertulliani propriæ sunt sacrorum ministrorum. Sed quinam modus curandi infirmos est proprius ministrorum sacrorum? Non medicinalis, ut per se patet; sed neque charismaticus, cum teste ipso Tertulliano[2]) laici sanationes miraculosas, etiam oleo adhibito, perfecerint. Restat ergo modus curandi ritualis per s. Unctionem infirmorum.

III. Alia quædam documenta, quæ manifestant praxim antenicænam sacramentaliter inungendi infirmos.

1. Recentissimo tempore inventa est collectio 30 orationum, quæ exhibent quasi antiquissimum euchologium græcum.[3]) Hæc collectio debetur *Serapioni*, episcopo Tmueos in Ægypto, noto amico s. Athanasii. Continet inter alia præter orationes inter celebrationem divini sacrificii eas, quæ

---

[1]) M. 2, 262.

[2]) Ibid. 1, 703 (ad Scapulam c. 4).

[3]) *Wobbermin* has orationes, quas primus detexit *A. Dmitrijewski*, edidit in „Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausg. v. Gebhardt u. Harnack, t. 17, fasc. 3 b. Conf. etiam *Drews*, Ueber Wobbermins „Altchristliche liturgische Stücke aus der

spectant ad administrationem Baptismi, ad Ordinationem diaconi, presbyteri, episcopi; sequitur consecratio chrismatis pro confirmandis, quam excipit *oratio in oleum infirmorum* (XVII); succedunt preces pro defuncto etc. Cum iam oratio V. sit benedictio olei et aquæ contra morbos, oratio autem XVII. longe solemnior sequatur officium Ordinationis et consecrationis chrismatis, recte dicimus, eam esse formulam benedictionis olei, quo presbyteri ex præscripto apostolico ungebant ægrotos. Hoc eo confirmatur, quod nulla formula consecrationis olei sacramentalis infirmorum magnifica sublimitate ad nostram accedit. Nam enixe postulat, ut oleum fiat per cœlestem virtutem medium ad liberationem ab omni morbo et anxietate, præsidium contra tentationes et insidias potestatum infernalium, vehiculum gratiæ salutaris et remissionis peccatorum, pharmacum vitæ et salutis, sanitas et incolumitas corporis et animæ et spiritus, confortatio perfecta, breviter: postulat omnes effectus, ad quos secundum doctrinam catholicam ordinatur Extrema Unctio. Ponamus textum originalem.

Est talis: *Ἐπικαλούμεθα σὲ τὸν ἔχοντα πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν τὸν σωτῆρα πάντων ἀνθρώπων, πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ δεόμεθα, ὥστε ἐκπέμψαι δύναμιν ἰατικὴν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν τοῦ μονογενοῦς ἐπὶ τὸ ἔλαιον τοῦτο, ἵνα γένηται τοῖς χριομένοις ἢ μεταλαμβάνουσιν τῶν κτισμάτων σου τούτων εἰς ἀποβολὴν πάσης νόσου καὶ πάσης μαλακίας, εἰς ἀλεξιφάρμακον παντὸς δαιμονίου, εἰς ἐκχωρισμὸν παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου, εἰς ἀφορισμὸν παντὸς πνεύματος πονηροῦ, εἰς ἐκδιωγμὸν παντὸς πυρετοῦ καὶ ῥίγους καὶ πάσης ἀσθενείας, εἰς χάριν ἀγαθὴν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτημάτων, εἰς φάρμακον ζωῆς καὶ σωτηρίας, εἰς ὑγείαν καὶ ὁλοκληρίαν ψυχῆς σώματος πνεύματος, εἰς ῥῶσιν τελείαν. Φοβηθήτω δέσποτα πᾶσα ἐνεργεία σατανική, πᾶν δαιμόνιον, πᾶσα ἐπιβουλὴ τοῦ αντικειμένου, πᾶσα πληγή, πᾶσα μάστιξ, πᾶσα ἀλγηδών, πᾶς πόνος ἢ ῥάπισμα ἢ ἐντείναγμα ἢ σκίασμα πονηρὸν τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, ὃ ἐπεκαλεσάμεθα νῦν ἡμεῖς καὶ τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς. Καὶ ἀπερχέσθωσαν ἀπὸ τῶν ἐντὸς (καὶ) τῶν ἐκτὸς τῶν δούλων σου τού-*

Kirche Aegyptens" in Zeitschrift für Kirchengeschichte, t. XX, p. 291 ss. et 451 ss.; *Funk*, Didascalia et constitutiones apostolorum, vol. II. Testimonia et scripturæ propinquæ, p. 191 s.

των, ἵνα δοξασθῇ τὸ ὄνομα τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν σταυρωθέντος καὶ ἀναστάντος τοῦ τὰς νόσους ἡμῶν καὶ τὰς ἀσθενείας ἀναλαβόντος Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἐρχομένου κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Ὅτι δι' αὐτοῦ σοὶ ἡ δόξα κ. τ. λ.

Inscriptio orationis sonat: εὐχὴ εἰς ἔλαιον νοσούντων ἢ εἰς ἄρτον ἢ εἰς ὕδωρ. Hinc potest videri, formulam consecrationis materiæ sacramentalis secundario mutatis mutandis adhibitam esse ad benedicendas alias res. Verum oratio ipsa aliam eamque vere pulchram ideam offert. *Drews*[1]) recte advertit, in oratione contra atque inscriptio indicat, neque panem neque aquam commemorari. Rationem esse censet, quod formula tantum ad oleum referatur; oblatis simul pane et aqua, facile potuisse in formula necessaria suppleri. Sed nullum supplementum requirebatur. Rogatur enim Pater cœlestis, ut emittat vim salutarem „in *hoc oleum,* ut fiat unctis vel utentibus his tuis creaturis [pane et aqua simul oblatis], in liberationem ab omni morbo etc," aliis verbis: rogatur, ut vis salutaris sanctificati olei etiam in nutrimenta communia extendatur ad salutem infirmi. Consideratione dignum est, quod quædam ecclesiæ orientales, e. gr. russiaca, hodiedum pro officio euchelæi necessarium habent præter oleum etiam triticum, quod successisse videtur pani triticeo *(ἄρτος)*, et vinum, quod successisse aquæ est certum. Confer. l. II. c. 2, a. 1. Aqua miscebatur cum oleo sicut nunc vinum. Vas, quod continet oleum cum aqua, respective vino, ponitur in alio vase, quod refertum est tritico. Huius ritus episcopus *Germogen*[2]) hanc rationem assignat: „Triticum inservit hic pro consolatione infirmi. Quod sistit s. Ecclesia ante infirmum, quasi eum consolando ita diceret: Sicut in hoc tritico specietenus exsiccato est principium vitæ, quod ex se tempore suo incrementum capere potest, sic in tuo corpore per dolorem exsiccato est principium vitæ, quæ secundum voluntatem divinam florescere

[1]) L. c. p. 303: „Im Gebete selbst wird weder Brot noch Wasser, wie doch die Überschrift angibt, erwähnt. Das erklärt sich daraus, dass das Formular nur für das Öl geboten wird (vgl. die Überschrift: ἢ εἰς ἄρτον ἢ εἰς ὕδωρ). Wurden noch Brot und Wasser dabei dargebracht, so war leicht an der betr. Stelle eine Ergänzung einzufügen."

[2]) De ss. Sacramentis orthodoxæ ecclesiæ p. 171.

potest nunc in terra vel post universale iudicium et resurrectionem." Unde cum fundamento licet conicere, ex ritu antiquissimo, quem inscriptio orationis XVII. in collectione Serapionis obscure innuit, derivari posteriorem ritum ecclesiarum orientalium connectendi cum oleo aquam et triticum. *Funk* l. c. dicit: „Inscriptio oleo quidem panem et aquam adiungit. Oratio ipsa autem maxime oleum spectat, cumque hoc oleum ægrotorum nominetur eique vis non solum sanandi morbos, sed etiam delendi peccata adscribatur, oleum extremæ unctionis indicatur. Benedictio olei et aquæ in Constitutionibus apost. VIII, 29 de remissione peccatorum silet."

2. *Evangelium Nicodemi* p. II., c. 3, postquam Joannes Baptista sanctis in limbo narravit, se Christum baptizasse, habet[1]): „Et cum hæc audisset protoplastus Adam pater, quia in Jordane baptizatus est Jesus, exclamavit ad filium suum Seth: Enarra filiis tuis patriarchis et prophetis omnia quæ a Michaele archangelo audisti, quando te transmisi ad portas paradisi, ut deprecareris deum, quatenus transmitteret tibi angelum suum, ut *daret tibi oleum de arbore misericordiæ, ut perungeres corpus meum, cum essem infirmus.* Tunc Seth appropinquans sanctis patriarchis et prophetis dixit: Ego Seth cum essem orans dominum ad portas paradisi, ecce angelus domini Michael apparuit mihi dicens: Ego missus sum ad te a domino: ego sum constitutus super corpus humanum. Tibi dico enim, Seth, noli laborare lacrymis orando et deprecando propter *oleum ligni misericordiæ, ut perungas patrem tuum Adam pro dolore corporis sui,* quia nullo modo poteris ex eo accipere nisi in novissimis diebus et temporibus, nisi quando completi fuerint quinque millia et quingenti anni: tunc veniet super terram amantissimus dei filius ad resuscitandum corpus Adæ et corpora mortuorum, et ipse veniens in Jordane baptizabitur. Cum autem egressus fuerit de aqua Jordanis, tunc de oleo misericordiæ suæ unget omnes credentes in se et *erit oleum illud misericordiæ in generationem eo-*

[1]) *Tischendorf,* Evangelia apocrypha² p. 393 s. Cfr. textus græcus ibid. p. 325 s. Prolegomena LIV. Cfr. *Hofmann* in „Realencyklopädie für protest. Theologie und Kirche³ p. 658 s. *Harnack,* Geschichte der altchristlichen Literatur, 2. Th. Chronologie, 1. Bd. p. 603 s.

rum, qui *nascendi sunt ex aqua et Spiritu Sancto* in vitam æternam.“ — Altera recensio textus latini ita concludit: [1]) „Veniet amantissimus dei filius de cœlis in mundum, et baptizabitur a Joanne in Jordane flumine: et tunc recipiet pater tuus Adam de hoc oleo misericordiæ et omnes credentes in eum, et eorum, qui crediderunt in eum, regnum illorum permanebit in sæcula.“

Textus græcus non parum discrepans a latino, in prima parte huius narrationis clare insinuat sacramentum nostrum: [2]) *Ἀδὰμ λέγει πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν Σήθ. υἱέ μου, θέλω, ἵνα εἴπης τοῖς προπάτορσι τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων καὶ τοῖς προφήταις, ὅτε ἔπεσον, ἵνα ἀποθνήσκω, ποῦ σε ἀπέστειλα. Ὁ δὲ Σὴθ ἔφη· προφῆται καὶ πατριάρχαι ἀκούσατε. Ὁ ἐμὸς πατὴρ Ἀδὰμ ὁ πρωτόπλαστος πεσών ποτε εἰς τὸ τελευτᾶν ἀπέστειλέ με ποιήσασθαι δέησιν πρὸς τὸν θεὸν ἔγγιστα τῆς πύλης τοῦ παραδείσου, ὣς ἄν ὁδηγήσῃ με δἰ ἀγγέλου πρὸς τὸ δένδρον τῆς ἐλεημοσύνης καὶ ἐπάρω ἔλαιον καὶ ἀλείψω τὸν ἐμὸν πατέρα καὶ ἀναστῇ ἀπὸ τῆς ἀσθενείας, ὅπερ καὶ ἐποίησα. Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ἐλθὼν ἄγγελος κυρίου λέγει μοι· τί Σήθ αἰτεῖς; ἔλαιον αἰτεῖς τὸ τοὺς ἀσθενεῖς ἀνιστῶν, ἤ τὸ δένδρον τὸ ῥέον τὸ τοιοῦτον ἔλαιον διὰ τὴν τοῦ σοῦ πατρὸς ἀσθένειαν; τοῦτο οὐκ ἔστιν εὑρηθῆναι νυνί.* Agi in hoc textu de vero et physico oleo, de unctione vera et physica, est manifestum. Adam inducitur persuasus, se fore salvum a morbo suo letali, si ungatur oleo misericordiæ. Seth instruitur ab angelo, Adam nunc non posse obtinere hoc beneficium; Filium vero Dei cum venerit in terras, concessurum oleum misericordiæ omnibus credentibus eo sane fine, ut in infirmitatibus suis eo uncti convalescant. Quibus, quid aliud significatur nisi Unctio infirmorum, Sacramentum a Christo institutum?

Nec licet excipere, non esse sermonem de nostro sacramento, cum dicatur, hoc oleo etiam Adam esse ungendum, cuius unctio non possit esse nisi impropria. Nam secundum textum græcum, qui est originarius, Adamo etiam promittitur Baptismus, unde nemo inferet, auctorem nostrum Baptismum

[1]) Tischendorf l. c. p. 425. [2]) Ibid. p. 325 s.

non habuisse verum sacramentum. *Ἀλείψει αὐτὸν τῷ τοιούτῳ ἐλαίῳ, καὶ ἀναστήσεται, καὶ ἐν ὕδατι καὶ πνεύματι ἁγίῳ πλυνεῖ καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ, καὶ τότε ἀπὸ πάσης νόσου ἰαθήσεται.* Fructus sc. redemptionis, qui nobis applicantur per sacramenta, etiam Adam habebit. Bene sensum testimonii huius declarat *b. Albertus* (Comm. in sent. IV. dist. 23, a. 1 ad 2): „*In Evangelio Nicodemi*, inquit, innuitur, quod Adam misit filium suum Seth ad accipiendum ab Angelo paradisi oleum misericordiæ, quo ungeretur corpus suum, quod infirmabatur: et negatum fuit ei, donec veniret Christus, qui sua unctione corpora et animas reficeret: quia talis unctio non habet locum, nisi in gratia plena, quæ facta est per Christum: et ideo etiam typo nullo ostendi poterat, quia typus talis circa infirmos omnino inutilis fuisset.“ [2]) Forte excipitur, ex evangelio Nicodemi, præsertim ex secunda eius parte: descensus Christi ad inferos, non posse sumi firmum argumentum pro tempore antenicæno, cum graves auctores negent, quod Tischendorf aliique asseruerunt, hoc evangelium apocryphum confectum esse sæculo II., contra affirment, illud inter annos 326—370 compositum esse. Verum cum etiam hi auctores concedant, scriptori præsto fuisse antiquiora documenta et traditiones, non necesse habemus ingredi campum criticorum ad salvandam vim istius testimonii.

Recte tandem hoc caput concludimus: *Firmo Traditionis argumento constat, Extremam Unctionem esse verum novæ Legis sacramentum.*

[1]) Tischendorf l. c. p. 325 s.

[2]) Putabam, nullum auctorem catholicum hoc claro testimonio usum esse ad ostendendum, antiquissimam Ecclesiam habuisse sacramentum Unctionis infirmorum. Postquam illud inveni citatum a b. Alberto, magis miratus sum, quod, quantum scio, auctores posteriores ad illud non provocaverunt. Forte noluerunt adducere evangelium apocryphum. Verum hanc circumstantiam non impedire, quominus eo utamur ad aperiendam disciplinam et praxim sacramentalem antiquitatis christianæ, quivis scit.

CAPUT II.

EXTREMAM UNCTIONEM ESSE VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, DEMONSTRATUR EX S. SCRIPTURA.

ARTICULUS I.

TEXTUS EPISTOLÆ S. JACOBI V, 14 s.

Theologi protestantes multum mirantur, quod catholica Ecclesia in textu s. Jacobi V, 14 s. videt expressum sacramentum. Communis vero hæc admiratio coniungitur cum maximo dissensu vix non de singulis verbis doctrinæ apostolicæ. Dissentiunt de auctore hujus ritus (Christus, Jacobus, ignotus quidam), de eius duratione (tantum tempore apostolico, usque ad finem charismatum, semper), de eius ministro (seniores ætate, viri graves in communitate, presbyteri sensu ecclesiastico), de subiecto (quivis infirmus, periculose decumbens, moriens), de materia (quodvis remedium naturale, tantum oleum idque vel ob naturalem vim vel tamquam merum symbolum vel tamquam causa partialis), de oratione fidei (Ecclesiæ, presbyterorum, infirmi), de fine et effectu (auxilium in corpore et anima, sola sanatio corporis, tantum auxilium ad felicem transitum). Unde etiam catholici possunt mirari, quod protestantes cum tanta unanimitate in neganda veritate revelata coniungunt tantam discrepantiam in asserendo errore. Nullus exegeta eorum proponit rationem, ob quam ritui a s. Jacobo præscripto dignitas sacramenti perpetui Ecclesiæ sit abiudicanda, quam non alii ut falsam reiciant. Videamus nonnulla exempla.

Lutherus ipse in opere de captiv. Babylonica maxime ex eo reprobat Extremam Unctionem, quod eius ritus non sit institutus a Christo, sed ab apostolo. „Ego autem, inquit, dico: si uspiam deliratum est, hoc loco præcipue deliratum est. Omitto enim, quod hanc epistolam non esse apostoli Jacobi nec apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine auctoritatem, cuiuscunque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset apostoli Jacobi, dicerem, non licere apostolo sua auctoritate sacramentum instituere. Hoc enim ad Christum solum pertinebat. Nusquam autem legitur

in Evangelio Unctionis istius extremæ sacramentum.“ *His non consentiunt alii exegetæ protestantes.*[1])

Bengelius e. gr. (Gnomon N. T.[2], p. 1118 s): „Quod Christus, inquit, apostolis commiserat (Marc. 14, 13), id deinceps in ecclesia continuatum est, etiam post apostolorum tempora: atque hoc ipsum charisma, maxime simplex, conspicuum et salutare, ex omnibus unum diutissime duravit. Immo divinitus eo consilio datum fuisse videtur, ut semper maneret in ecclesia tamquam specimen ceterorum; sicut portio Mannæ fuit specimen miraculi antiqui. Certe *presbyteris*, ministris ordinariis, Jacobus administrationem huius olei adscribit. Erat hæc ecclesiæ summa Facultas Medica, ut Juridicam eiusdem habemus I. Cor. VI. — Beata simplicitas! intermissa vel amissa per *ἀπιστίαν*. Nam quod ecclesia Latina *Unctionem Extremam*, Græca *εὐχέλαιον* habent: multo minorem huic mysterio sive sacramento, ut illæ appellant, efficaciam ad sanitatem corporis, experientia cogente, tribuunt quam ritui apostolico Jacobus.“ Si huic auctori contra Lutherum credimus, ritus, de quo agimus, habet divinam institutionem per Christum. Amisit autem propter incredulitatem suam efficaciam, quam neque tunc recepit, cum Lutherus evangelium de sola fide salvante iterum detexit. — *Quæ posterioribus haud communiter placent.* Multi enim opinantur, ab auctore epistolæ nec charisma in presbyteris supponi nec oleo ullam efficaciam adscribi, sed meram vim orationis extolli. Unde, si his volumus assentire, de sacramento ne sermo quidem fieri potest.[2]) At alii doctores nos monent, effectum omnino attribui et unctioni et orationi ideoque ritum esse vere sacramentalem, sed non perpetuum,

---

[1]) *Meyer-Beyschlag* (Der Brief des Jacobus[6] p. 227) habet: „Dass das *ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου* ein ‚iussu et auctoritate Christi‘ involviere, bestreitet Huther (adde: und Luther) grundlos mit dem Argument, dass es keinen ausdrücklichen Befehl Christi zur Salbung gegeben habe; Marc. VI. 13 setzt einen solchen voraus.“

[2]) *B. Weiss* (Das N. T., Handausgabe, 3. Bd. p. 292): „Das Gebet des Glaubens, also nicht das Ölsalben oder irgend ein mit seinem Amte verbundenes *χαρισμα* des Ältesten, wird den Kranken retten (vom Tode wie Matth. 8, 25, Marc. 5, 23), und der Herr, in dessen Auftrage man ihn mit Öl gesalbt hat (v. 14), wird ihn aufrichten vom Krankenlager wie Marc. (1, 31).“ Cur Dominus mandaverit unctionem, quæ nullum habeat effectum, in hac interpretatione manet subobscurum.

errare ergo Ecclesiam, cum Extremam Unctionem hodiedum sacramentum esse existimet.

Jam *Calvinus* (in hunc locum) concedit, textu nostro exhiberi sacramentum, affirmat autem, illud fuisse temporaneum tantum quippe dependens a charismate curationum presbyteris primorum temporum concesso. „Hunc locum, inquit, magnifice iactant papistæ, dum extremam suam unctionem venditare volunt. Quantum autem distet eorum corruptela a veteri instituto, cujus meminit Jacobus, in præsentia exponere supersedeo. Hoc tantum dico, male et inscite torqueri hunc locum, ut extrema unctio sit et vocetur sacramentum, cuius in Ecclesia perpetuo usus manere debeat. Fateor equidem, pro sacramento usurpatam fuisse a Christi discipulis (neque enim illis assentior, qui medicamentum fuisse putant), sed quemadmodum veritas hujus signi nonnisi ad tempus duravit, symbolum dico similiter fuisse temporale. Atque hoc planum est; nihil enim absurdius quam sacramentum vocare, quod inane sit nec rem signatam vere nobis offerat. Donum sanationis fuisse temporale, fateri omnes coguntur, et res ipsa demonstrat; ergo signum ejus perpetuum esse non oportuit. Unde sequitur, non veros esse imitatores, sed simias esse apostolorum, qui unctionem inter sacramenta hodie reponunt, nisi effectum simul restituant, quem ante annos mille et quadringentos Deus mundo abstulit. Ita nobis certamen non est, an unctio fuerit aliquando sacramentum, sed an nobis data fuerit; ut hodie quoque apud nos sit in usu. Hoc posterius negamus, quia constat, rem signatam diu desiisse.“ Posteriores exegetæ protestantes omnes ex animo assentiuntur Calvino, textu Jacobæo non exprimi sacramentum Ecclesiæ ideoque perpetuum. At hoc prætermisso plene ab eo dissentiunt. Plerique negant illum ritum unquam fuisse sacramentum, negant eius efficaciam fuisse dependentem a presbyterorum charismate curationum, cum nec omnes nec soli presbyteri habuerint illud charisma, negant ex mente s. Jacobi ritum fuisse tantum temporalem.[1]) Curnam autem auctores, qui rationem Calvini

reiciunt, sustinent, Extremam Unctionem non esse sacramentum? Non pauci, præsertim ex antiquioribus, censent, s. Jacobum unctionem solum ut remedium naturale commendasse, cuius efficaciam ut Deus adiuvet, precibus presbyterorum sit petendum.

Rosenmüller (Scholia in N. T. t. V[5], p. 394): „Oleum, inquit, positum esse videtur pro mediis aliis etiam salutaribus et necessariis. Nam in regionibus orientalibus et ad meridiem olea erant valde generosa et usus oleorum permultus medendis variis morbis obtinebat. Unde etiam peregrinantes secum gestabant ampullam oleariam: et Samaritanus ille vulneratum a latronibus curabat oleo. Discipuli etiam Christi superaddebant dono sanationis miraculoso a Domino ipsis dato oleum, Marc. VI, 13. Sacrum ritum unctionis extremæ, quæ morituris iam impenditur, minime ex hoc loco posse demonstrari, facile patet; commemoratur enim adiumentum sanitatis, non præsidium et adiumentum pacatius moriendi.“ At hæc aliis exegetis nequaquam probantur et consentiunt Joanni Christ. *Wolf* (Curæ philologicæ et criticæ in ss. apostolorum Jacobi, Petri, Judæ et Joannis epistolas[2] p. 80) scribenti:

[1]) *De Wette*, e. gr. scribit in opere: Kurze Erklärung der Briefe des Petrus, Judas und Jacobus[2] p. 247 s: „Die Anwendung des Öles ist unstreitig wie Marc. 6, 13, also im theurgischen Sinne zu nehmen, nicht als eines natürlichen Mittels bloss seiner natürlichen Wirkung wegen .., sondern als eines zwar im Morgenlande allgemein bekannten und gebrauchten, aber durch den Segensspruch zu verstärkenden und mit übernatürlicher Kraft zu schwängernden Heilmittels. Falsch übrigens Zwingli: ‚Olei s. unctionis nomine omne officium caritatis intelligimus.‘ An eine besondere bei den Presbytern vorausgesetzte Heilungsgabe (I. Cor. 12, 9) denkt schon Calvin . . und andere, aber schwerlich richtig. Solche, die eine solche Gabe hatten, wird man wohl auch gern zu Presbytern gewählt haben; aber gewiss sah man in der Regel mehr auf die Gabe der κυβέρνησις (I. Cor. 12, 28) und unwahrscheinlich ist, dass alle Presbyter ohne Unterschied jene Gabe gehabt. Die übernatürliche Kraft zu heilen denkt sich Jacobus wahrscheinlich als der Gemeinde einwohnend, und sie wird in einem solchen Falle wirksam in der Gebets- und Salbungshandlung, wie sie von den die Gemeinde vertretenden Ältesten (in ihrer Gesamtheit oder doch Mehrheit) geübt, und durch ihre für den Kranken besonders tröstliche kirchliche Autorität gehoben und geheiligt wird.“ Quæ si admittuntur, quærimus a protestantibus saltem sic dictis orthodoxis: cur ergo non adhibetis unctionem infirmorum in s. Scriptura ordinatam? Talem quæstionem quidam eorum ipsi anxie sibi ponunt nec inveniunt responsum. *Wiesinger* e. g. (Der Brief des Jacobus p. 205) quærit: „Hat die evangelische Kirche Recht, indem sie dies Wort der Schrift V. 14, 15 in praxi nicht höher anschlägt, als sie in Wirklichkeit thut?“

„Quomodo, quæso, de naturali medendi vi olei loqui Apostolus credi potest, qui, sine facto morborum discrimine, ægrotis illud adhibendum suadeat, quod tamen ad omnia morborum genera amolienda adhiberi posse nemo dixerit. Itaque crediderim, externum hoc remedium ab Apostolo heic suaderi, non quasi illud per se medicinam præstare possit, sed quod singulari divini Numinis auxilio, ad factas in fide preces sit præstiturum . . .[1]) Mireris merito, Pontificios huic loco, qui ad sanandos ægrotos unice pertinet, Sacramentum Extremæ Unctionis moribundis in animæ, quam putant, salutem potissimum adhibendum superstruere potuisse." Hic ergo auctor et multi alii cum eo ideo mirantur doctrinam catholicam, quia persuasum habent, ritum Jacobæum ordinari tantum ad sanitatem corporis. — At hoc minime admitti posse, aliis exegetis protestantibus est plane evidens. *Von Soden* e. gr. censet, nullo modo in nostro textu sermonem fieri de medio recuperandæ sanitatis; iam ex eo, quod ægrotus tantum presbyteros adsciscat, ipse autem nihil agat; neque oret, neque fidem ostendat nec peccata confiteatur, nobis cogitandum esse de moriente; idem palam facere omnes terminos adhibitos; inter alia terminum *ἐγείρειν*, cum de Deo dicatur, nunquam occurrere sensu erigendi e lectulo, cui homo morbo sit affixus; totum ritum ordinari ad obtinendum felicem transitum ex hac vita.[2])

[1]) Eadem habet inter modernos e. gr. *Meyer-Beyschlag* (Der Brief des Jacobus[6] p. 227): „Es ist eine ganz willkürliche Vermutung Huthers, Jacobus habe des Salbens mit Öl nur erwähnt in Gemässheit der allgemein herrschenden Sitte, dasselbe zur Erquickung, Stärkung und Heilung des Leibes anzuwenden, und habe nicht dem Salben, sondern nur dem Gebet die Wunderkraft beigelegt; vielmehr sollen Gebet und Salbung offenbar die Vermittlungen der wunderbaren Krankenheilung sein, von der wir hier wie aus manchen paulinischen Stellen (z. B. I. Cor. 12, 9) sehen, dass sie eine den apostolischen Gemeinden mit einer gewissen Stetigkeit eignende und daher wie amtlich geübte Gnadengabe war."

[2]) Hand-Commentar zum N. T. III. Bd., 2. Abt.[3] S. 201 f. „Das Gebet des Glaubens wird den Todesmatten (*κάμνοντες* gebräuchliche Bezeichnung für die Sterbenden und Gestorbenen) retten (im eschatologischen Sinn, sc. zum ewigen Heil wie 19) und der Herr wird ihn erwecken (im christlich-technischen Sinn, die unmittelbare Verwirklichung des *σώζειν*). Selbst wenn er Sünden getan hat (*ἦ πεποιηκώς* malt das im Tode Abgeschlossene), wird ihm vergeben werden (damit ist gesagt, dass es ein Aufrichten zum Heil sein wird, vgl. 20) . . . Es fällt auf, dass der Kranke nur die Ältesten kommen lässt, aber sonst nicht aktiv ist; es ist nicht gesagt, dass er mitbete, noch dass er Glauben zeige, noch dass er seine Sünden bekenne. Schon dies spricht für einen Sterbenden. Noch mehr sämtliche gebrauchten Ausdrücke. Es ist die Sorge von I. Th. 4, 1. Cor. 15, welche hier eine neue Beruhigung gesucht und gewonnen hat. Da in der apost. Literatur — die Wundertaten Jesu sind keine Analogie — das *ἐγείρειν* stets Gott zugeschrieben wird [citat textus] ist *ὁ κύριος* auch 15 Gott, wie es für 14 durch 5, 10 wahrscheinlich ist (vgl. auch zu 5, 11). Anders Spitta 143—148, der mit den meisten die Ausdrücke auf das Gesundbeten deutet. Aber keine der von ihm beigebrachten Stellen belegt den Gebrauch von *ἐγείρειν* im Sinn von Aufrichten vom Krankenlager mit Bezug auf Gott. Das göttliche *ἐγείρειν* ist stets ein anderes."

Ne in re tristi iocari videamur, iam seponamus interpretationes protestanticas. Allata exempla satis ostendunt, protestantes, postquam ritui in s. Scriptura commendato rationem sacramenti abiudicarunt, nescire, quid auctor inspiratus sibi velit. Quod confirmat eorum praxis. Nam quomodolibet tandem textum interpretantur, in praxi, si quædam conamina in Anglia excipias, nihil curant mandatum s. Jacobi vel quemcunque ponunt auctorem epistolæ. Unde recte inferimus: Inspiratus auctor aut promulgavit verum sacramentum aut ineptum dedit consilium. Posterius ne protestantes quidem, qui auctoritatem divinam s. Scripturæ adhuc agnoscunt, affirmaverint. Ergo desinant mirari, quod catholici sequentes magisterium infallibile orationem cum unctione infirmi a s. Jacobo præscriptam credimus esse verum sacramentum. Sit igitur

Propositio IV. *Extremam Unctionem esse verum novæ Legis sacramentum, docet epistola catholica s. Jacobi c. V. v. 14 s.*

Concilium Tridentinum (Doctr. de Extrema Unctione c. 1) nos instruit: „Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum tamquam vere et proprie sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum: *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit*

infirmum et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius salutaris sacramenti." Instruit nos igitur Concilium, s. infirmorum Unctionem esse verum sacramentum et hoc enuntiari textu s. Jacobi; simul indicat fontem, unde hanc cognitionem hauserit: perpetuam Ecclesiæ Traditionem. Unde

Probatur propositio primo: Plurima antiquitatis monumenta capite præcedente proposita demonstrant, verba s. Jacobi in Ecclesia semper intellecta esse de vero sacramento infirmis administrando. Cum vero Ecclesia sit custos infallibilis depositi revelationis, columna et firmamentum veritatis, eius perpetua fides de sensu textus dogmatici s. Scripturæ errori subiecta esse nequit. — At protestantes cum maximo suo damno hanc veritatem reiciunt.

Probatur propositio secundo analysi verborum s. Jacobi.

Commendavit apostolus v. 13 fidelibus orationem tamquam remedium generale contra quascunque afflictiones: *κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω;* v. 14 eos hortatur ad usum specialis orationis contra specialem afflictionem: *ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν ἀλείψαντες ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου.* Non esse sermonem de quocunque infirmo carente viribus ad aliquod opus, sed de *ægroto,* ostendit oppositio ad præcedentia et totus contextus vv. 14, 15. Cum hoc ne a protestantibus quidem in dubium vocetur, non est, cur hic immoremur in determinando accuratius subiecto ritus.

Προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. His iam ostenditur, apostolum præ oculis habere graviter ægrotum, qui non possit amplius ipse adire eos, qui vocantur presbyteri ecclesiæ, sed cogatur per alios eos rogare, ut ad se veniant. *Τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας.* Si solum diceretur *τοὺς πρεσβυτέρους*, non posset esse dubium, quinam intelligantur. Nam presbyteri in N. T. vix unquam vocantur provecti ætate, sed vel (ut in evangeliis) magistratus populi iudaici, vel (ut

in Actibus apostolorum, epistolis pastoralibus, I. Petri c. V.) præpositi Ecclesiæ, episcopi et sacerdotes secundi ordinis. Cum de magistratibus Judæorum cogitare non liceat, presbyteri intelligendi sunt sensu christiano. Ceterum omne dubium etiam irrationale apostolus removet eos vocando presbyteros *Ecclesiæ,* quo significat, se loqui de illis, qui in Ecclesia dicuntur presbyteri, qui in Ecclesia gerunt munus sacrum. Eodem ergo sensu utitur hoc termino ac s. Lucas, cum Act. XX, 17 narrat: *A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit* [s. Paulus] *τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας*, quo in loco sermonem esse de præpositis Ecclesiæ, nemo ambigit. Ministri igitur ritus præscripti sunt presbyteri sensu ecclesiastico. Ex mente s. Jacobi ad rite peragendum s. officium, posse sufficere etiam unicum presbyterum, erit suo loco probandum.

Καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν ἀλείψαντες (αὐτὸν) ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι (τοῦ) κυρίου. His verbis proponitur ipse ritus peragendus et clare exprimuntur omnia elementa, quæ requiruntur in ritu vere sacramentali, nempe materia remota: oleum olivarum; hoc enim solum simpliciter dicitur oleum; materia proxima: inunctio sacra infirmi; forma: oratio fundenda, dum fit inunctio.

Προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτόν, vel quia infirmus supponitur decumbens, vel quia presbyteri simul ungentes manus ei imponunt, vel generatim, quia est subiectum, pro quo fit deprecatio. *Ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου.* Apostolus, sicut non præscripsit formam orationis, sic nec determinat modum unctionis, idque vel ideo, quia instruit fideles, non sacerdotes; vel, quod verius esse infra patebit, quia certa forma orandi et certus modus ungendi non est de essentia huius ritus. Ungunt autem presbyteri in *nomine Domini* i. e. iussu et auctoritate Domini, ut eius legati et ministri; hic enim verba „in nomine Domini" non possunt significare: invocato nomine Domini, cum iam præcesserit mandatum: *orent super eum.* Unde apostolus ordinans, ut orent presbyteri super infirmum ungentes eum oleo in nomine Domini, simul nos docet, ritum habere institutionem divinam; ex qua sola etiam declaratur, cur non præscribantur remedia singulis morbis aptissima, sed universaliter iniungatur inunctio, sive conveniat statui infirmi sive non. Institutionem divinam esse perpetuam, ex eo elucet, quod administratio remedii divini-

tus dati neque est commissa omnibus charismaticis neque solis presbyteris charismate curationum dotatis, sed coniuncta cum munere sacerdotali qua tali. Quare cum ipso charactere sacerdotii a Domino connexa est potestas ministerialis producendi effectus, qui ritui attribuuntur, ideoque non minus perpetua est quam potestas conficiendi Eucharistiam vel remittendi peccata.

Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. Hoc versu apostolus comprehendit effectus sacræ functionis. Et ritui quidem ipsi adscribit generatim salutem infirmi: *ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα.* Cum autem ritus non possit esse talis effectus causa nisi instrumentalis, salus accuratius determinata ad Dominum, causam principalem, refertur: *καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος.* Tandem exprimitur sequela indicati effectus in homine peccatis obnoxio: *κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ.*

Oratio *fidei* salvabit infirmum. Oratio fidei non est oratio ab infirmo cum fiducia fusa; nam non infirmus iubetur orare, sed presbyteri. Nec est oratio a presbyteris cum fiducia Deo oblata; nam quid presbyteris faciendum incumbat, versu 14. est dictum. Versu 15. indicantur effectus operis sacerdotalis. Est ergo oratio fidei idem quod oratio cum unctione infirmi. Vocatur autem oratio fidei, *a.* quia fides obiectiva nos docet eius divinam institutionem et efficaciam. In plerisque enim casibus nemo nisi fide magistra potest sperare, orationem ex adiuncta unctione habituram maiorem vim quam simplicem deprecationem versu 13. omnibus afflictis commendatam. Unde vocatur oratio fidei, *b.* quia presbyteros fides subiectiva, si forte aliquando non propria, certe Ecclesiæ, cuius mandato agunt, movet, ut orent super ægrotum ungentes eum oleo.

Oratio fidei *salvabit* infirmum, i. e. servabit, liberabit a malis, quæ eum premunt. Quænam sunt mala, quibus graviter ægrotus communiter subicitur? Sunt physici dolores et molestiæ, ex his consequens gravis afflictio animæ, ineptitudo ad actus salutares, pavor mortis, timor iudicii divini, horror pœnarum alterius vitæ, remorsus conscientiæ, diffidentia, impatientia, assultus dæmonis ad desperationem trahentis etc.

Quibus malis unus infirmus magis, alter minus cruciatur, nullus per se ab omnibus est liber. Dicitur autem absolute: oratio fidei salvabit infirmum, *τὸν κάμνοντα,* luctantem contra mala, quæ eum invaserunt. Non salvat autem, sed perdit vel saltem nocet id, quod ab homine aufert mala physica, quæ ad salutem animæ ideoque simpliciter ad salutem hominis sunt utilia vel etiam necessaria. Ergo sacra unctio cum oratione servabit infirmum, quantum est ex ipsa, imprimis a malis animæ, quæ sunt semper mala hominis simpliciter, liberabit eum a doloribus aliisque malis physicis, prout expedit vel saltem non obest saluti animæ. Absurde ergo efficacia infallibilis s. Unctionis infirmorum ideo negatur, quia non semper causat sanitatem corporalem. Quis enim non videt, repugnare sanctitati et bonitati Dei, ut concedat Ecclesiæ suæ mysterium ex se aptum, quod animæ damnum, imo æternum interitum afferat.

Et alleviabit eum Dominus. His manifestatur modus, quo Dominus per s. ritum salvat infirmum. Alleviabit eum, *ἐγερεῖ αὐτόν* i. e. suscitabit, eriget, animabit, confortabit eum, breviter: largietur ei vires, quibus superior fiat malis, quæ eum urgent, vincat depressionem naturæ, pusillanimitatem, diffidentiam etc., quibus aptus fiat ad omnes actus salutares statui eius convenientes, ut disponatur ad perfectam sanitatem animæ, quibus, quantum animæ expedit, etiam corporaliter sublevetur vel etiam sanitati restituatur. Consistit ergo hæc alleviatio imprimis in collatione auxiliorum supernaturalium, gratiarum actualium. Cum autem infirmitas, contra quam hæc auxilia dantur, sit habitualis, etiam auxilium habituale concedetur, gratia sanctificans cum iure ad omnes gratias actuales, quibus ægrotus indiget. Quod etiam clare edicitur; docemur enim, ex alleviatione sequi remissionem peccatorum, si quæ fecerit infirmus et non expiaverit.

Et si in peccatis sit, κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, si peccata commiserit, quorum reatus nondum est deletus, *remittentur ei.* Non pauci theologi catholici, ut possint sustinere sententiam suam de effectu principali Extremæ Unctionis, qui sit remissio peccatorum venialium, volunt ultimum hunc effectum non conditionate promitti. „Scire enim oportet, ait

Estius,[1]) coniunctionem illam *si* sæpe sic usurpari, ut non tam conditionem incertæ ac dubiæ rei significet, quam concessionem rei certæ et indubitatæ, quemadmodum Malach. I. dicitur: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* i. e. cum constet, me Patrem esse et Dominum vestrum, cur non ut Patrem honoratis et ut Dominum timetis? Sic Paulus ait II. Thes. 1: *Si tamen iustum est apud Deum retribuere etc.* Et ipse Jacobus alibi in hac epistola c. 1: *Si quis vestrum indiget sapientia etc.* Quis enim non indiget sapientia?" Hæc interpretatio, quamvis a multis sit admissa, certe est falsa. Nam, ut alia taceamus, omnes loci s. Scripturæ, ad quos Estius provocat, habent in textu græco particulam εἰ cum indicativo, qua forma grammatica potest significari concessio rei certæ. Sed Jac. V, 15 dicitur: κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς. Tali locutione non posse exprimi nisi veram conditionem, probationem non postulat. Promittitur ergo remissio peccatorum sine restrictione ad culpas veniales. Imo cum non soleat dici in peccatis esse, ut recte vertit Vulgata textum græcum, qui solum defectibus levibus subest, primo cogitandum est de peccatis mortalibus. Meretur notari, quod apostolus remissionem peccatorum neque orationi fidei neque Domino explicite tribuit, sed indefinite asserit: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Hinc concludere licet, hanc remissionem ex alleviatione ipsa consequi, esse effectum secundarium; unde iterum inferendum est, alleviationem includere infusionem gratiæ sanctificantis.

Hac analysi textus præmissa iam patet veritas propositionis. Nam de ratione veri sacramenti novæ Legis est, ut sit signum sensibile efficax gratiæ ex stabili lege Christi Domini. Atqui ritus sensibilis a s. Jacobo commendatus: sacra unctio adiuncta orationi, significat internam unctionem supernaturalem, alleviationem, eamque efficit per collationem gratiæ sanctificantis, qua peccata mortalia, si forte adsint, delentur. Hoc signum efficax gratiæ institutum est a Christo Domino, quia potestas hunc ritum administrandi annexa est characteri ordinis sacerdotalis, cuius auctor est Christus. Cum perpetuum sit in Ecclesia sacramentum Ordinis et perpetua

[1]) In IV. l. sent. pars post. p. 4.

omnis potestas, quæ cum charactere Ordinis est a Domino coniuncta, ritus a s. Jacobo promulgatus ex stabili lege Christi Domini est efficax gratiæ, est verum novæ legis sacramentum.

De hoc ultimo puncto articulo sequenti accuratius est agendum.

ARTICULUS II.

DE TEXTU S. MARCI VI, 13.

Sententias doctorum medii ævi de institutione Extremæ Unctionis *Dionysius* Carthusianus in summa fidei orthodoxæ l. IV, a. 146 breviter his refert: „Aliqui dicunt, quod Confirmatio et Unctio Extrema, quoniam plenitudinem gratiæ continent, instituta non sunt ante missionem Spiritus Sancti. Unde secundum eos Christus per se non instituit ea, sed apostolis eorum institutionem commisit. Sed quoniam sacramenta ad fundamentum legis spectant, probabilius alii asserunt, quod ipsemet legislator Christus Dominus ea instituit, quamvis apostoli ea promulgarunt." Inter defensores prioris sententiæ eminent *Hugo a s. Victore* (Summa sententiarum tract. VI, c. 17), *Petrus Lombardus* (L. IV. sent. dist. 23), *S. Bonaventura* (Comm. in IV. dist. 23, a. 1, qu. 2). Doctor seraphicus rationem, qua hos auctores ductos fuisse Dionysius indicat, ita proponit l. c.: „Quia [Confirmatio et Extrema Unctio] significant Spiritus Sancti gratiam in aliqua abundantia, et Spiritus Sanctus abundanter non fuit *datus,* quousque *Jesus non fuit glorificatus,* sicut dicitur Joannis septimo: ideo hæc duo sacramenta a Christo fuerunt *insinuata,* sed post a Spiritu Sancto fuerunt *instituta.*" [1]) De hac ratione iudicat *s. Thomas* (Suppl. qu. 29, a. 3): „Hæc ratio non multum cogit: quia

[1]) S. Bonaventura in Com. ad Magistrum illam sententiam solum ut probabiliorem tradit. In breviloquio (p. VI, c. 4) docet, omnia sacramenta a Christo tamquam N. T. mediatore et præcipuo legislatore esse instituta. „Instituit autem prædicta sacramenta diversimode. Quædam sc. ex eis confirmando, approbando et consummando, ut Matrimonium et Pœnitentiam: quædam autem insinuando *et initiando,* ut Confirmationem et Unctionem Extremam; quædam vero initiando et *consummando* et in semetipso suscipiendo, ut sacramentum Baptismi, Eucharistiæ et Ordinis. Hæc enim tria et plene instituit et etiam primus suscepit." Dubito, num his retractaverit doctrinam Commentarii.

sicut Christus ante passionem suam promisit plenam Spiritus Sancti missionem, ita potuit instituere hæc sacramenta. Et ideo alii dicunt, quod omnia sacramenta Christus instituit per seipsum; sed quædam per seipsum promulgavit, quæ sunt maioris difficultatis ad credendum; quædam autem apostolis promulganda reservavit, sicut Extremam Unctionem et Confirmationem. Et hæc opinio pro tanto videtur probabilior, quia sacramenta ad fundamentum legis pertinent; et ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio: et iterum, quia ex institutione efficaciam habent, quæ in eis nonnisi divinitus inest." Sentit igitur s. Thomas, esse solum probabilius, sacramentum immediate a Christo esse institutum. Eadem est mens *s. Alberti* (In IV. dist. 23, a. 13) et *Scoti* (in IV. dist. 2, qu. 1 concl. 2), qui pariter præferunt quidem sententiam, quæ statuit immediatam Extremæ Unctionis institutionem per Christum, at certitudinem ei non audent vindicare (Scotus saltem non constanter). Controversia, quæ nunquam vehementer est agitata, finem accepit per *Concilium Tridentinum*, quod iam *in procemio* doctrinæ de sacramento Extremæ Unctionis „circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster ... Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit." *Cap. I. definit:* „Instituta est autem s. hæc Unctio infirmorum tamquam vere et proprie sacramentum N. T. a Christo Domino nostro, apud *Marcum* quidem insinuatum, per *Jacobum* autem apostolum et Domini fratrem commendatum ac promulgatum . ." *Canone I.* statuit: „Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a b. Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum, a. s." Quare dogma fidei est, Extremam Unctionem esse a Christo Domino institutam. Quia vero Concilium non dicit expresse, eam esse *immediate* a Christo institutam, omnes quidem theologi, qui post Tridentinum scripserunt, immediatam institutionem per Christum propter doctrinam synodi œcumenicæ tradunt, maior tamen eorum pars non audet oppositam sententiam dicere hæreticam. „Consentiunt tamen omnes, inquit *Sasse* (Institutiones theologicæ de sacramentis Ecclesiæ, vol. II. p. 125), post definitionem illam

Tridentinam (sess. VII, can. 1, quo generatim sancitur: ‚s. q. d., sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro, instituta . . a. s.') theologo iam fas non esse, institutionem omnium sacramentorum immediatam per Christum in dubium vocare."[1])

Theologi igitur posttridentini doctrinam Concilii argumentis inconcussis confirmare conati sunt. Quare imprimis excoluerunt rationes iam ab antiquis scholasticis prolatas, quibus ex communi notione sacramenti novæ Legis omnium immediata institutio per Christum vindicatur. Nonnulli vero putarunt, se posse de Extrema Unctione idem directe demonstrare ex *Marci* VI, 12 s.: *Et exeuntes* (apostoli a Domino missi) *prædicabant, ut pœnitentiam agerent; et dæmonia multa eiciebant, et ungebant oleo multos ægros et sanabant.*

Magno cum ardore ex hoc textu *Maldonatus* probare contendit, Christum iam ante passionem mittendo apostolos per se instituisse hoc solamen infirmorum (In comment. ad ev. s. Marci): „Vellem, inquit, hoc loco soli mihi essent hæ-

---

[1]) Dr. *Schell*, quondam professor Wirceburgensis, huic iudicio non assentit. Scribit in opere „Katholische Dogmatik, 3. Bd. II. Teil, S. 616: „Manche Theologen tadeln diejenigen als kirchlich inkorrekt, welche die Einsetzung der letzten Ölung nur mittelbar auf Christus zurückführen, indem sie mit den Meistern der Scholastik den Aposteln die Einführung derselben zuschreiben. Es ist dies nur dann unvereinbar mit dem Lehrsatz des Konzils und dem Wesen des Sakraments, wenn dabei die Apostel nur als die Häupter der ersten Kirche betrachtet werden, nicht aber als die Offenbarungsorgane des hl. Geistes zum Abschluss der Lehre und Gnadeneinrichtung des Neuen Bundes. Jesus selbst hatte jedoch verheissen, er werde bald wiederkommen — nämlich als Gott durch die Sendung seines hl. Geistes, der in seinem Namen und mit Gotteskraft das Werk des Menschensohnes vollendet. Was die Apostel als Offenbarungsorgane des hl. Geistes zum Abschluss des Neuen Testamentes getan, das hat Christus getan. Über die nähere Art der göttlichen Einsetzung der Letzten Ölung hat das Tridentinum nichts entschieden, wenn nicht durch den Zusatz: apud Marcum insinuatum. Im entsprechenden Kanon 1 fehlt allerdings die Berufung auf Marc. 6, 13; allein dies mindert die streng dogmatische Bedeutung der positiven Lehre nicht, zumal nach dem bestimmten Anspruch auf Lehrautorität, womit die positive Lehre über unser Sakrament abschliesst cp. 3. Wahrscheinlich hat der Kanon 1 die Berufung auf Marc. 6 nicht mehr wiederholt, weil diese Stelle der einzige Beleg für eine unmittelbare Einsetzung durch Christus als Menschensohn ist."

retici refellendi; liberius in solos incurrerem. Nunc autem nonnullos ex nostris auctoribus in hæreticorum castris recognoscens timeo, ne dum in hæreticos tela conicio, aliquem forte Catholicum feriam. Mitto illos paullo vetustiores, quos prohibet reverentia nominare, quosque ætas nondum novas experta hæreses excusat. Quid attinebat vigente iam Lutheranorum et Calvinianorum hæresi Catholicos doctosque viros dicere scriptisque mandare, oleum istud ab apostolis non tamquam sacramentum ad sanandos animos, sed tamquam medicamentum ad curanda corpora adhibitum fuisse, neque hic de sacramento, quod nunc utitur Ecclesia, Extremæ Unctionis agi? Quod idem Lutherani et Calviniani docent. At non negamus, inquiunt, nos, esse sacramentum. Ubi ergo sacramentum est, si hic non est? Enimvero qui hic de sacramento Extremæ Unctionis agi negat, ad tollendum hoc omnino sacramentum aut maligne, si hæreticus, aut imprudenter, si Catholicus est, gradum facit."[1]) Maldonatum secuti sunt inter alios *De Saint Beuve* (Tract. de sacr. Unctionis infirmorum Extremæ disp. II, a. 1), *Berti* (de theol. disciplinis l. 35, c. 2), qui tamen hanc interpretationem non habet certam, *Mariana* in hunc locum, ex recentissimis maxime *Schell* (l. c. p. 616 s.) cum parva quadam modificatione.[2])

Ut videamus, quid de hac sententia iudicandum sit,

I. expendamus rationes, quibus commendatur.

1. „Principio in explicandis Scripturæ locis facem nobis præferre debent Patrum interpretationes. Atqui Patres tradiderunt, apud Marcum sermonem institui de Unctione sacramentali. Igitur." (Berti, l. c.) Ad probandam minorem huius

---

[1]) Hæc dicta magni exegetæ „ætas novas experta hæreses excusat." Quod enim ad fines polemicos et apologeticos una interpretatio alicuius loci s. Scripturæ magis servit quam alia, per se nulla est ratio illam amplectendi.

[2]) „Orthodoxa Confessio fidei Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis", qu. 117 habet: „Quodnam septimum Ecclesiæ mysterium est? Resp. Oleum consecratum (εὐχέλαιον), quod a Christo ipso institutum est. Quando enim discipulos suos binos et binos misit (Marc. VI, 13), illi oleo ægrotos multos ungebant ac sanabant. Quod postmodum universa Ecclesia in solemnem consuetudinem recepit, ut apparet ex epistola s. Jacobi V, 14." Cfr. *Kimmel,* Libri symbolici eccl. orient. p. 195 s.

syllogismi multi textus non quidem Patrum stricte dictorum, antiquorum tamen scriptorum producuntur et multo plures proferri possunt. Sane ad sacramentalem Unctionem locum s. Marci referunt *Victor* Antiochenus (supra p. 45), *Theophylactus* (Enarratio in evangelium Marci[1]), *Euthymius* (Comm. in Marc.[2]), Ven. *Beda* (supra p. 15), *Haymo* halberstadiensis (supra p. 13), *Amulo* lugdunensis (supra p. 13). *B. Albertus* obiectioni, sacramentum Unctionis non videri esse institutum a Domino, cum de hac re nihil legatur in Scriptura, respondet (In textum Magistri a. 13, ad 2): „Multa non leguntur, quæ tamen facta probat Ecclesia ipsa observatione generali ab apostolis edocta. Marci enim VI, 13 legitur, quod apostolis euntibus a Domino missis ad prædicandum, *ungebant oleo multos ægros et sanabant:* et non est præsumendum, quod aliquid fecerint nisi ex institutione et imperio Domini." Ad eandem obiectionem *s. Thomas* (Suppl. qu. 29, a. 3 ad 1) post alia respondet: „Etiam de olei unctione fit mentio in evangelio (Marci VI.), ubi dicitur, quod apostoli *oleo ungebant infirmos.*" *Scotus* (Reportata Parisiensia, in textum Magistri sexto): „Hoc sacramentum, inquit, significat efficaciter ex institutione divina. Patet ex evangelio Marci c. VI., ubi habetur, quod discipuli *circuibant civitates et castra et curabant infirmos ungentes eos oleo sancto.*" Sufficiant testimonia allata.

Jam vero evidens quidem est, hos doctores locum Marci referre ad Extremam Unctionem, unum alterumve etiam institutionem sacramenti per Christum probare ex hoc textu; at minime affirmant, Dominum *tunc,* cum apostolos mittebat ad prædicandum, sacramentalem Unctionem instituisse, ritum ab apostolis in sanandis infirmis adhibitum fuisse ipsum sacramentum. *Scotus* e. gr. verbis modo citatis immediate subicit: „Et licet non legatur istud sacramentum esse immediate institutum a Christo, supponendum est tamen pro certo, quod istud sicut et alia fuerunt ab eo instituta, licet ordo historiæ ad scribentes non pervenerit. Et ita a b. Jacobo tantum divulgata et prædicata est, quia hoc quod discipuli audiverunt a Christo, publicaverunt pro tempore dispensato."

---

[1]) M. 123, 550. [2]) M. 129, 807.

Quot Patres aliique doctores probant institutionem primatus ex Matth. XVI, 18, vel institutionem Eucharistiæ ex Joannis VI, 32 ss., nulli tamen in mentem venit affirmare, *tunc* primatum vel Eucharistiam institutam esse. Confirmant ergo textus in re nostra allati doctrinam Concilii, Extremam Unctionem apud Marcum insinuari, i. e. adumbrari, præsignificari, ipso facto, forte etiam verbis, promitti; non evincunt, eam una cum missione apostolorum esse institutam.

2. Non licet opinari, Dominum voluisse, ut apostoli indiscriminatim quosvis ægrotos sanarent. Vel post adventum Spiritus Sancti charisma curandi infirmos et mortuos suscitandi ut medium extraordinarium apostolis est datum ideoque huiusmodi miracula relative raro fiebant. Quare sicut finis totius missionis, ita et finis unctionis infirmorum erat primario spiritualis: conversio populi ad veram pœnitentiam et ad introitum in regnum Messianum; infirmis et moribundis symbolica actione inunctionis concedebatur pignus, et ipsos fore participes bonorum, quæ Messias attulit generi humano; quod confirmabatur per sanationem corporalem multorum. Primario autem verba evangelistæ intelligenda sunt de sanatione spirituali. Quare unctio infirmorum erat sacramentum exeuntium.[1]) Addit *Maldonatus* l. c.: „Si oleo ad curandos ægrotos utebantur, videri profecto poterant, aut nullo miraculo, sed medicinæ arte, aut multo certe minore miraculo curare.

[1]) Præcipue hanc rationem evolvit *Schell* l. c. p. 617: „Das Hauptgewicht bei den beiden Jüngersendungen ist jedenfalls auf die sittliche Busse und die Ankündigung des nahenden Messiasreiches zu legen. Die Kranken und Sterbenden sollten das Unterpfand auf die Teilnahme daran in jener sinnbildlichen Handlung erhalten, welche die religiöse Sitte empfahl. Dieselbe Bedeutung vorläufiger Anteilnahme am kommenden Messiasreiche hatte die Johannestaufe und die (nach Joh. 3, 22.; 4, 1. 2.) von den Aposteln im Auftrage Jesu gespendete Taufe. Man kann doch nicht annehmen, die Zwölf und nachher die 72 Jünger hätten sozusagen geschäftsmässig die Kranken geheilt oder gar die Toten auferweckt. Damit liessen sich die tadelnden Worte Jesu Mc. 6, 52; 8, 17 und die Unfähigkeit der Jünger, den mondsüchtigen Kranken zu heilen Mc. 9, 17 sq., nicht vereinigen. Wunderbare Krankenheilungen und siegreiche Erfolge über die Dämonen wurden von den zwölf und den siebzig Jüngern nach Luc. 9, 6; 10, 17 allerdings gewirkt. Es war auch damals überhaupt der Höhepunkt der Wundertätigkeit und des Erfolges Jesu in Galiläa, was er in seinem feierlichen Dankgebete ausspricht Luc. 10, 17. 21 sq. Allein immerhin vollbrachte sogar Jesus Totenerweckungen nur ausnahmsweise; die Familie des Lazarus hoffte von dem befreundeten Jesus nur Rettung des Lazarus von der Krankheit, nicht aber dessen Auferweckung vom Tode. Joh. 11. Auch nach der Herabkunft des hl. Geistes war die charismatische Heilung oder gar Totenerweckung nur als ausserordentliches Hilfsmittel des Evangeliums den Aposteln gewährt. Sonst hätte man den hl. Stephanus und Jakobus gewiss wieder zum Leben zurückgerufen; Paulus hätte wohl seinen Jünger Timotheus von seinem Magenleiden charismatisch geheilt (I. Tim. 5, 23); ebenso den Trophimus (2 Tim. 4, 20) und Titus. Umsomehr ist von der ersten Missionstätigkeit der Jünger in Israel selbst g e i s t i g zu denken zur Erfüllung der Weissagung Jes. 9, 11; 25, 8; 26, 19; 33, 24; 60; 61. Ezechiel 37. Luc. 1, 79: zuerst im geistigen Sinne, nur in wunderbaren Vorauswirkungen auch wörtlich und leiblich; vollkommen erst bei der zweiten Ankunft Jesu. Demnach ist die Ö l u n g d e r K r a n k e n als ein religiöses Mittel aufzufassen, das den Kranken die Gemeinschaft des Messiasreiches auch nach dem Tode verbürgte. Es war das Sakrament der Sterbenden, aber so, wie es der Zeit entsprach, in der die Eröffnung des messianischen Gnadenreiches noch bevorstand. Nach der Herabkunft des hl. Geistes wurde jene Ölung der Kranken im vollen Sinne zum Sakrament der Sterbenden, das sie zum Heimgang zum Messias und seinem Himmelreich durch die dunkle Pforte der Todesschwäche hindurch befähigte, aufrichtete, läuterte. Ähnlich hatte Christus sterbend dem reumütigen Schächer diese tröstliche Gewissheit durch sein Wort gegeben."

Non ergo ad sananda solum corpora, sed ad curandos sacramento potissimum animos, ægrotos ungebant."

Verum hæc ratio non valet conciliare probabilitatem sententiæ, pro qua affertur, nedum sufficiat ad eam demonstrandam. Clare evangelistæ finem missionis apostolorum enuntiant. *Et convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos (ὥστε ἐκβάλλειν αὐτά:* ut possent eicere eos) *et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem (πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν)*, Matth. X, 1. *Convocatis autem duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei et sanare infirmos (καὶ ἰᾶσθαι)* Luc. IX, 1, 2. Ex his clarum est, Dominum apostolos misisse ad prædicandum evangelium eisque dedisse potestatem eiciendi dæmonia et curandi quosvis morbos corporales, ut eorum prædicationi auctoritatem tribueret. De potestate remittendi peccata vel quocunque ritu conferendi gratiam sanctificantem et per hanc sa-

nandi animas, nullum habetur indicium. Evangelistæ narrantes missionem apostolorum non referunt, quam normam pro usu potestatis collatæ Dominus eis præscripserit. Quomodo mandatum sint executi, s. Lucas IX, 6 breviter dicit: *Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique (θεραπεύοντες πανταχοῦ)*; s. Marcus loco, de quo quæritur, addit, eos dæmonia multa eiecisse et multos ægros oleo unxisse sicque sanasse *(ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους καὶ ἐθεράπευον)*. Sicut igitur verba Lucæ *θεραπεύοντες πανταχοῦ* manifesto sunt intelligenda de sanatione corporali, sic verba Marci *ἤλειφον . . . καὶ ἐθεράπευον* pariter de corporali, non de spirituali curatione debent accipi. Quare s. Scriptura nullam præbet ansam interpretandi textum s. Marci de ipso sacramento Extremæ Unctionis. „Merito, inquit *Knabenbauer* (Comm. in ev. s. Marci, p. 163), hæc sententia est derelicta et cum *Bellarmino, Estio, Lap. Jans. Calm.* et recentioribus omnibus tenendum est, illam unctionem fuisse solum figuram quandam et adumbrationem sacramenti;“ quo etiam plene declaratur, cur Dominus apostolos iusserit non solis verbis, sed adhibita unctione curare. Quod excipitur, non posse admitti, apostolos indiscriminatim et sine iudicio (geschäftsmässig) ægros curasse, respondetur, eos potestatem traditam *ubique* et erga *multos* exercuisse; eos nullam normam in hoc esse secutos, nullibi dici et omnium minime affirmari posse, si unctio illa supponatur fuisse sacramentalis.

II. expendamus positivas rationes, quæ huic sententiæ obstant.

1. Id unum, quod unctione apostolica effectum esse sacer textus narrat: sanatio corporalis, fiebat potestate a Domino collata ungendo sanandi *omnem languorem et omnem infirmitatem.* Atqui talis potestas profecto non est potestas administrandi Extremam Unctionem; hac enim non potest curari *omnis* languor et *omnis* infirmitas. Nam sacramentum agit contra morbum mediante gratia sanctificante et confortatione spirituali, qua non omnes morbos et nullum subito tolli vel ipsa experientia constat. Ergo apostoli acceperunt potestatem patrandi miracula; per huius potestatis usum explicantur omnes sanationes, quas perfecerunt. Qui affirmat, eos insuper accepisse

potestatem conferendi sacramentum exeuntium, gratis fingit, quod textus evangelicus nullo verbo innuit.

2. *Minister* Extremæ Unctionis est sacerdos, cum cuius charactere est connexa virtus applicandi infirmis sacramentalem Unctionem. At Christus Dominus apostolos in cœna novissima „novi Testamenti sacerdotes constituebat“ (Trid. sess. XXII, c. 1). *Subiectum aptum* Extremæ Unctionis non est nisi infirmus charactere baptismali insignitus. Fuerit, quod tamen valde dubium est, baptismus ab apostolis ante passionem Domini collatus sacramentum; potestas, quam apostoli obtinuerunt, non fuit restricta ad baptizatos; quare nec leguntur infirmos primo baptizasse. Reponit quidem Maldonatus l. c.: „Miror, catholicos et doctos auctores tam levi ratione in re tanti momenti a vera communique sententia dissidere et Christo legis auctori legem imponere. Potuit enim, qui legem tulit, pro suo arbitrio lege uti.“ Potuit certe, si ad solam auctoritatem respicimus, Christus, dum mortalis inter homines degebat, pro infirmis ad tempus instituere sacramentum illudque post resurrectionem suam vel per se vel per Spiritum Sanctum essentialiter transformatum tradere Ecclesiæ ad perpetuum usum. Eum hoc actu fecisse, vel ob solam analogiam aliorum sacramentorum negandum est, donec invicte probetur.

3. Sacramentum Extremæ Unctionis est complementum sive, ut Patres tridentini loquuntur, „consummativum“ Pœnitentiæ. Complementum vero supponit id, ad quod consummandum ordinatur. Jam vero omnes concedunt, tempore primæ missionis apostolorum sacramentum Pœnitentiæ nondum fuisse institutum. Ergo neque Extrema Unctio tunc est instituta. Quis etiam credat, sacramentum, quod finem primarium habet sanctam mortem, prius esse datum quam illa, quæ sunt media ad sanctificandam vitam!

Quare tandem hæc sunt dicenda:

1. Unctionem infirmorum esse verum sacramentum, nequit demonstrari ex Marc. VI, 13.

2. Probata aliunde dignitate sacramentali huius ritus nequit ostendi, eum qua sacramentum esse a Domino institutum, cum primo apostolos misit ad prædicandum.

3. Recte autem, præsertim considerata interpretatione antiquorum doctorum confirmata per Concilium Tridentinum, asseritur, Christum sanationem miraculosam infirmorum fecisse dependentem a ritu unctionis, ut præfiguraret et insinuaret sacramentum, quo infirmi secundum animam et, si expedit, secundum corpus curantur.

4. Pie opinari licet, eos, qui cum fide et recta dispositione susceperunt unctionem apostolorum, *in* hac unctione speciales gratias ad salutem animæ obtinuisse. Liberum quidem est theologo, ut defendat, etiam *per* unctionem et ex opere operato infirmis rite dispositis gratiam sanctificantem cum auxiliis supernaturalibus eorum statui convenientibus esse collatam; cum tamen nulla gravis ratio hanc sententiam commendet et obstent argumenta non levis momenti, vix vere probabilis censeri potest.

5. Immediata Extremæ Unctionis institutio per Christum est ad minimum theologice certa primo ob rationes, quibus theologi in tractatu de sacramentis in genere probant, Dominum ante ascensionem per seipsum ordinasse, quidquid ad essentiam mediorum gratiæ efficacium spectat:[1]) deinde quia Dominus ipse plene instituit sacramentum Ordinis ideoque apostolis tradidit omnem potestatem, cuius expressio physica est character episcopalis et presbyteralis, ergo etiam potestatem consecrandi oleum infirmorum illudque sacramentaliter applicandi infirmis; tandem quia doctrina Concilii Tridentini, clementissimum Redemptorem sacramento Extremæ Unctionis finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivisse, et institutam esse s. hanc Unctionem infirmorum tamquam vere et proprie sacramentum N. T. a Christo Domino nostro, tantum per violentiam trahi potest in sensum: Extrema Unctio instituta est intuitu meritorum Christi a Spiritu Sancto per apostolos. — Ceterum quod nobis in hoc libro primo erat ostendendum, Extremam Unctionem esse verum novæ Legis sacramentum, firmum manet, sive s. hunc ritum Christum ipsum immediate sive Spiritum Sanctum propter merita Christi instituisse asseritur.

[1]) Conf. e. gr. Franzelin, tractatus de sacramentis in genere, p. 178 ss. Sasse, de sacramentis t. I, p. 124 ss.

LIBER SECUNDUS.

DE FINE ET ESSENTIA EXTREMÆ UNCTIONIS.

CAPUT I.

DE FINE SACRAMENTI.

Cognitio finis cuiusvis rei plurimum confert ad cognoscendam intimam eius naturam, eius efficaciam et attributa. Quare demonstrata ratione sacramentali Unctionis infirmorum eiusque institutione per Christum Dominum statim subnectimus quæstionem de eius fine. Consentiunt theologi, hoc adiutorium divinum animæ ex morbo corporali graviter afflictæ omnia auxilia supernaturalia largiri, quibus indiget, ut, si iam mors sit obeunda, in statu gratiæ perveniat ad tribunal Judicis æterni. Benignissimus vero Salvator noster non solum vult, ut fideles sui infernum effugiant et salvi fiant, sed etiam vult, ut purgatorium devitent et continuo post mortem plene salvi fiant secundum animam per immediatum introitum in gaudium Domini sui. Ad hunc beatum summeque desiderandum scopum filios Ecclesiæ, qui propter sequelas periculosi languoris viribus salutaribus aliunde haustis se non amplius sufficienter præparare valent, per s. Unctionem disponit, si gratiis sacramentalibus non ponant obstacula. Hæc dispositio inducitur per plenam animæ sanationem, qua liberatur ab omni reatu culpæ et pœnæ et roboratur contra debilitatem spiritualem ex peccatis præteritis et ipsa afflictione corporis ortam. *Finis igitur proximus Extremæ Unctionis, ad quem causandum omnes eius effectus concurrunt, est animæ sanitas perfecta.* Hic finis proximus a Domino semper intenditur ideoque semper etiam attingitur, si s. ritus nullum obicem inveniat. Jam vero inter effectus particulares, qui ad plenam animæ sanitatem cooperantur, est

sub conditione, ut expediat, restitutio quoque sanitatis sive tanta alleviatio corporalis, quæ secum ducat sanitatem. Hinc apparet, immediatum introitum gloriæ non necessario nexu coniungi cum assecutione finis proximi s. Unctionis. Evenit enim non raro, ut ad perfectam sanitatem spiritualem magis prosit alleviatio corporalis vim morbi frangens, quam ad mortem usque continuata tolerantia dolorum. In hoc casu sacramentum exerit suam efficaciam sanativam. Præterea morbus sæpe talis est, ut ægrotus vel per se vel concurrente arte medica naturaliter convalescat; media autem salutis non sunt destinata ad occidendum quemquam. In his casibus *finis ultimus sacramenti secundum se spectati: immediatus transitus ad beatitudinem,* differtur, ut tandem felicius attingatur, si subiectum bene utatur acceptis bonis spiritualibus et restituta valetudine corporis. Itaque sit

Propositio V. Finis Extremæ Unctionis est perfecta sanitas animæ cum immediato eius introitu in gloriam, nisi restitutio salutis corporalis hominis naturaliter morituri magis expediat.

Claritatis gratia propositio per complures articulos probabitur.

ARTICULUS I.

CONVENIENTIA SACRAMENTI ORDINATI AD HOC, UT ANIMAM HOMINIS CHRISTIANI MORTI APPROPINQUANTIS PERFECTE SANET ET DISPONAT AD CAPESSENDAM BEATITUDINEM.

Assertio I. Conveniens fuit bonitati et misericordiæ Christi Salvatoris nostri, ut sacramento exeuntium tribueret vim et efficaciam ad tollenda omnia impedimenta, quæ animam e corpore migrantem retardarent ab ingressu gloriæ.

Probatur. Piissimus Salvator *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (Jo. XIII, 1). Dilexit eos usque in finem vitæ suæ, dilexit eos in finem (*εἰς τέλος*) perfectissimam caritatem, quæ ultra progredi non potuit, eis exhibendo ipso mortis suæ tempore.

Idem piissimus Salvator continuo suos, qui sunt in mundo, diligit in finem, usque ad finem vitæ eorum, usque in finem, plenam et ineffabilem caritatem eis exhibendo mortis eorum tempore. Concilium Tridentinum „declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani se conservare integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit“ (Sess. XIV, doctrina de sacr. Extremæ Unctionis). Angit communiter animam hominis, qui termino vitæ appropinquat, conscientia malæ vitæ, multis fortasse peccatis mortalibus, certe innumeris venialibus fœdatæ; terret imminens iudicium divinum, quo vel damnetur in æternum vel saltem removeatur a facie Dei, ut per tormenta atrocia purgatorii satisfaciat iustitiæ inexorabili, sollicitat horror destructionis naturæ humanæ, deprimunt sæpe graves corporis cruciatus. His omnibus ad animæ perniciem uti conatur inimicus generis nostri; „nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit“ (Trid. l. c.).

Quid igitur morituro præstabit Extrema Unctio a Christo Domino instituta tamquam firmissimum præsidium contra omnia hæc mala? Profecto reddet animam securam de peccatis mortalibus, liberabit a venialibus, alleviabit eam et firmabit fiducia misericordiæ divinæ, confortabit eam, ut dolores mortis vertat in augmentum gloriæ cœlestis, eripiet ab insidiis diaboli, tollet omnes tristes sequelas omnium peccatorum; uno verbo: *præparabit animam ad immediatum introitum gloriæ.* Si enim ex ipsa sacramenti natura eius effectus non hucusque pertingit, si a vero aliquo malo, quod verti non potest in bonum, non liberat, si animam relinquit ream ignis purgantis nec obstat, quominus incidat in manus Dei viventis eo ipso momento, quo deberet audire: *intra in gaudium Domini tui:* perfectum auxilium non præstat; ideoque dicendum erit, clementissimum Redemptorem etiam in sacramento

piissimæ misericordiæ suæ non exhibere animæ plenam misericordiam, non dedisse dilectæ suæ Sponsæ Ecclesiæ omnia, quæ recte desiderare potest in bonum filiorum suorum. Intelligimus, cur in tribunali Pœnitentiæ misericordiæ Redemptoris admixtum sit paululum severitatis Judicis; hoc ipsum enim est in bonum pœnitentis. Sed omnis acerbitas iudicialis absit oportet a sacramento, quod antiqui vocarunt „sanantis divinæ gratiæ dulcedinem.“ Nemo negat, potuisse Christum Dominum ex infinita abundantia meritorum suorum instituere sacramentum, quod animam in ultimo certamine positam plene sanet. Decet tale sacramentum ineffabilem misericordiam eius, qui in finem dilexit nos. Liberat Baptismus, quantum est ex ipso, infidelem, qui ad Ecclesiam accedit, ab omni pœna temporali peccatis eius debita. Cur putemus, Dominum a piissimo suo Corde impetrare potuisse, ut simile remedium denegaret membris suis, qui ab hac Ecclesia recedunt et iam ipsa se iuvare vix possunt? Recte *Suarez* (de Sacr. Pœn. et Extremæ Unctionis disp. 41, sect. 1, n. 14): „Hoc sacramentum, inquit, si non inveniat obicem, *tollit omne malum, quod posset introitum gloriæ impedire aut retardare;* ergo recte dicitur hominem præparare ad gloriam. Et sane, cum homo in eo articulo maxime indigeat hac præparatione, et sacramentum hoc pro illo articulo specialiter institutum sit, *per sese apparet,* vere hunc ob finem esse institutum, maxime cum in hoc fine omnes effectus huius sacramenti comprehendantur sitque *dignissimus, ut propter illum sacramentum aliquod institueretur* nullumque sit aliud, quod propter illum institutum sit.“

ARTICULUS II.

ARGUMENTA TRADITIONIS PRO EADEM VERITATE EX TEMPORE ANTE CONCILIUM TRIDENTINUM.

Assertio II. Præparationem animæ ad immediatum introitum gloriæ esse finem Extremæ Unctionis, sancti Patres non obscure innuunt et libri liturgici antiquæ Ecclesiæ satis clare pronuntiant.

Probatur I. pars. SS. Patres, qui tantum incidenter et paucis verbis agunt de s. Unctione infirmorum, commemorant quidem inter eius effectus remissionem peccatorum, at claris

verbis non dicunt, hanc remissionem esse perfectam tam quoad pœnam quam quoad culpam. Hoc tamen innuunt modo, qui præbeat fundamentum asserendi, theologos scholasticos suam doctrinam hausisse ex Traditione Ecclesiæ.

S. Chrysostomus (cf. p. 33 s.) celebrans potestatem sacerdotalem remittendi peccata tantum provocat ad Baptismum et Extremam Unctionem. Non potest reddi ratio, cur omittat Pœnitentiam, nisi dicatur, eum spectato fine suo adducere solum ea sacramenta, in quibus remissio peccatorum sit plena et perfecta, ita ut cum culpa simul auferat omnem reatum pœnæ. *Auctor operis de promissionibus et prædictionibus Dei* (p. 45) animæ misericordi et castitatis amanti promittit, eam „sacramento farris et olei unctione munitam“ percepturam verbum, quo vocetur in gaudium Domini sui. *S. Hilarius* (p. 20) docet: „Per hanc pacis et sacramentorum [Eucharistiæ et olei] abundantiam beata illa pax et indeficiens et æterna bonorum cœlestium abundantia præparatur.“

SS. Patribus oleum est typus perfectæ misericordiæ Dei, perfectæ sanationis animæ. Audivimus supra *Procopium* (p. 28) dicentem: „Oleum typus est lætitiæ, quam ex divina haurimus spe . . signum est citi et expediti alacrisque ad Deum accessus.“ *Hieronymus* (In c. 45 Ezechielis)[1]) asseverat, oleum in veteribus sacrificiis adhibitum esse, „ut fomentum luminis sempiterni et requiem laboris et lassitudinis sanitatem post placationem peccatorum accipere possimus.“ Similia habet *Gregorius Nyssenus* (in Cant. Cant. hom. III.[2]) *S. Augustino*[3]) est „oleum consolatio spei bonæ propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis.“ Quibus respondent, quæ citavimus (p. 21) ex *Arnobio* iun., Ecclesiam habere oleum, unde impinguet caput in libertatem conscientiæ præsumenti.

Complures Patres et antiqui scriptores ecclesiastici referunt ritum a s. Jacobo præscriptum inter remedia obtinendi remissionem peccatorum, ut Origenes, Cæsarius Arelatensis,

---

1) M. 25, 456.
2) M. 35, 1340.
3) M. 44, 826.

Cassianus. Notum est, protestantes hos textus opponere contra veritatem, confessionem peccatorum mortalium post Baptismum patratorum necessariam esse ad consequendam veniam; cum enim ad eundem finem varia perducant media, nullum secundum se esse necessarium. Respondent theologi catholici, dictos Patres enumerare omnia media, quæ vel immediate vel mediate, directe vel indirecte conciliant remissionem peccatorum. „Præterea, inquit post alios *Hurter* (Compend. theol. dogm.[11] t. 3, p. 479), loquuntur de mediis ad consequendam peccatorum remissionem *intensive* et *extensive* perfectam: extensive, qua remittantur etiam peccata venialia; intensive perfectam, qua sanentur etiam reliquiæ peccatorum, ut habitus pravi, et relaxentur omnes pœnæ temporales.“ Jam hæc secunda responsio maxime videtur congruere menti illorum Patrum. Nam media, quæ enumerant, talia sunt, ut singula sufficiant ad plenam indulgentiam impetrandam, ut Baptismus, martyrium, valde humilis et dolorosa confessio, magna opera pœnitentiæ, fervens charitas Dei etc. Insuper contextus, in quo plura illa remedia peccatorum recensentur, postulat hanc interpretationem. Sic tota collatio vicesima apud *Cassianum* unice agit „de pœnitentiæ fine et satisfactione,“ et tractat de modo, quo ad plenam expiationem omnium peccatorum pertingere possimus.

Momenta allata, ni fallor, sufficiunt ad ostendendum, quod in priore parte assertionis est enuntiatum, Patres non obscure *innuere,* præparationem animæ ad immediatum introitum gloriæ esse finem Extremæ Unctionis.

Probatur II. pars. *1. Antiquissimæ formulæ benedicendi oleum* in ordine ad s. Unctionem, de quibus mox agetur, rogant, ut hæc materia consecrata fiat „vehiculum gratiæ salutaris et remissionis peccatorum, pharmacum vitæ et salutis, sanitas et incolumitas corporis et animæ et spiritus, confortatio perfecta;“ ut sit „tutamentum corporis, animæ et spiritus, ad evacuandos omnes dolores, omnem infirmitatem, omnem ægritudinem mentis et corporis;“ ut sit „chrisma Dei perfectum;“ „ut in medelam omnis passionis carnalis et spiritualis inquinamenti et omnis denique mali depulsionem ex illo unctis fiat.“ Itaque *exoratur* sanitas perfecta corporis et

animæ eius, qui sacramentum recipit. Prior petitio est ex obiecto suo conditionata, altera absoluta.

In Ordinibus administrandi infirmis s. Unctionem, qui a sæculo VII.—XI. supersunt, instantissime imploratur misericordia divina, ut ope sacramenti perfecte sanet animam ægroti, ut immediate ex hac vita transeat ad gloriam æternam. Qui legerit paucos quosdam ex his Ordinibus tam prolixis et solemnibus, non poterit non iudicare, Ecclesiæ illorum temporum fuisse persuasum, mysterium s. olei per se animæ ægroti eandem conferre puritatem, quam Baptismus illi, qui cooptatur in corpus Christi mysticum. Ponamus saltem unam vel alteram orationem ex iis, quæ super infirmum dicebantur. „Deus, iustorum gloria et misericordia peccatorum, da huic famulo tuo N. *plenam* indulgentiæ veniam et *pœnitentiæ loco exoratus* indulge: ut qui præterita peccata deplorat, *futura mala non sentiat* neque iam ulterius lugenda committat. Dimitte ei Domine omnia crimina et in semitis iustitiæ placatus restaura, ut securus mereatur deinceps inter tuos bene meritos currere *et ad pacis æternæ præmia pervenire.* P. D.“ [1])

Alia: „Persolve miserationes tuas, Domine, nobis per ineffabile nomen tuum, Trinitas Deus, qui humani pectoris antrum *emundans vitiis super candorem efficis nivis.* Innova, quæsumus, in visceribus, Domine, huius famuli tui Spiritum Sanctum tuum, quo laudem tuam annuntiare possit, ut *recto principalique spiritu confirmatus mereatur æterna sede in Jerusalem cœlesti componi.*“ [2])

Iterum: „Benedicat tibi Dominus custodiatque te Christus ostendatque faciem suam tibi et misereatur tui, convertatque Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ. Impleat te Dominus Spiritu Sancto suo. Ipse Dominus *per omnia sanctificet te ad perfectum, ut integer spiritus tuus et anima et corpus sine querela in adventu Jesu Christi servetur.*“ [3])

---

[1]) Martene, de antiquis Ecclesiæ ritibus t. I, p. 865.
[2]) Ibidem p. 871.
[3]) Ibidem p. 901.

„Absolutio cum impositione manuum", quæ in compluribus Ordinibus invenitur, inter alia hæc habet: „Deus . . da huic famulo tuo infirmitatis noxa depresso per hoc sacrum mysterium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum: quatenus per hanc sacrati olei unctionem et per manus impositionem cuncta facinora Spiritus Sancti gratia relaxentur. Fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant et sanent, *ut non tantum ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quantum prosit indulgentia et reconciliatio pietatis tuæ atque remissionis ad veniam.*" [1])

Unde *s. Egbertus,* Eboracensis archiepiscopus (sæc. VIII.) vel quicumque est auctor Pœnitentialis nomine eius vulgati persuasionem communem sui temporis expressit scribens (Pœnitentialis liber I, c. 15): [2]) „Notat s. Jacobus: quod si quis infirmatus sit, ut invitet ad se sacerdotem suum et alios Dei ministros, ut eum admoneant, et infirmus necessitatem suam ipsi indicet, et illum ungant in Dei nomine sancto oleo; et per fidelium preces ac per unctionem conservari potest et Dominus ipsum erigit; et si plenus peccatorum est, illa ipsi remittentur. Hanc unctionem quilibet fidelis, si possit, acquirere sibi debet et statuta, quæ ad eam pertinent, *quoniam scriptum est,* quod quicunque hanc disciplinam habuerit, *anima eius æque pura sit post obitum ac infantis, qui statim post baptisma moritur.*" Notari meretur, quod in hoc testimonio provocatur ad auctoritatem tanti ponderis, ut sicut ss. Literæ inducatur solemni formula: Scriptum est.

Assertio III. Eandem veritatem magni doctores scholastici insigni consensu tamquam plane certam tradiderunt.

Novimus ex tractatu theologico de fontibus revelationis, quantum pondus ad firmandam veritatem deficientibus claris s. Scripturæ et ss. Patrum testimoniis habeat concors doctrina

---

[1]) e. gr. Martene l. c. p. 905.

[2]) M. 89, 416.

Scholæ, maxime si nullus Patrum contradicat et alia documenta priscæ Ecclesiæ suadeant, scholasticos suas sententias non ex pura speculatione deduxisse, sed ex Traditione hausisse. Jam vero magni hi doctores tamquam veritatem indubiam, quæ minime indigeat operosa demonstratione, proponunt, Unctionem infirmorum institutam esse, ut præparet et disponat animas morientium fidelium ad immediatum introitum gloriæ; hac veritate utuntur tamquam principio, unde deducant alia, quæ de ista materia tenenda sunt; hæc veritas est eis norma, ad quam in suis tractatibus de Extrema Unctione continuo respiciunt. Agunt autem de s. Unctione maxime in suis Commentariis ad sententiarum libros Petri Lombardi. Cum *Alexander Halensis* Summam theologicam non perduxerit usque ad hoc sacramentum, probatio assertionis debet incipere a b. Alberto.

Probatur assertio. *B. Albertus Magnus* (In IV. dist. I, a. 2) dividens sacramenta, secundum quod nos configurant Christo, ait: „Per Unctionem configuramur Christo resurgenti, quia datur exeunti in figura delibutionis gloriæ futuræ, quando tota abscindetur mortalitas ab electis." Hæc sententia subobscura relinquit apertam quæstionem, quamnam specialem relationem habeat ad futuram perfectam gloriam hoc mysterium præ aliis. Responsionem claram præbet (In IV. dist. II, a. 2) ostendens, quare non fuerint sacramenta instituta mox post hominis lapsum. „*Si* [sacramentum] *est plenissimæ gratiæ quoad statum,* tunc illud nullo modo habuerunt [ante passionem Domini], sicut in Confirmatione, quæ dat Spiritum Sanctum ad robur; et *Extrema Unctio,* in *qua significatur plena puritas corporis et animæ per amotionem omnium impedientium gloriam utriusque partis hominis.*" In commentario ad IV. dist. XXIII. primo art. probat, Extremæ Unctioni convenire rationem sacramenti. Obicit sibi: „Omne sacramentum novæ legis aliquo modo præcessit in figura legis veteris; sed Unctio Extrema non præcessit; ergo videtur, quod non sit sacramentum." Respondet: „Istud sacramentum non habuit aliquod sacramentum in lege veteri sibi respondens propter sui perfectionem et legis veteris imperfectionem. Sicut enim dicitur ad Hebr. VII, 19: *Nihil ad*

perfectum adduxit lex. Unde in ea decedentes trahebantur ad limbum. *Unctio autem propter hoc, quod tollit reliquias, valet ad immediatam evolationem;* et ideo non habuit locum in V. T. nec figura eius."

Unde art. 9. removens opinionem, Extremam Unctionem posse dari sanis, asserit: „*Purgatio reliquiarum, secundum quod sunt impedimenta immediatæ evolationis et glorificationis corporis, est effectus substantialis* istius sacramenti . . . Quia ergo sanus non est in via transitus ad gloriam, ideo non est perceptibilis huius sacramenti." Hinc iam potest conici, quid respondeat quæstioni (art. 11): „an in *omni* ægritudine aliquis sit perceptibilis huius sacramenti?" „Cum effectus eius sit *reliquiarum purgatio secundum quod sunt impedimentum percipiendi stolam animæ et corporis,* nunquam nisi in transitu est sumendum hoc sacramentum." Art. 14. inquirens, quomodo effectus Extremæ Unctionis possit esse remissio peccatorum, cum ad hunc finem ordinentur alia sacramenta, resolvit: „Nihil prohibet, idem in genere esse causatum a causis multis secundum diversas species, quas habet. Unde peccatorum remissio, secundum *quod coniungitur purgationi originalis,* est effectus Baptismi; secundum autem quod coniungitur purgationi actualis causatæ ex peccati detestatione motu liberi arbitrii in Deum, est causatum Pœnitentiæ . . *Secundum autem quod tollitur peccatum in reliquiis, quæ impediunt transitum ad requiem, purgatur in Extrema Unctione.* — Vere pie Albertus ostendit convenientiam formæ deprecativæ in hoc sacramento (art. 4): „Aliam causam sine præiudicio dico esse *magnitudinem rei* [effectus] *istius sacramenti. Res enim sua est purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immediatum transitum ad requiem secundum animam,* et glorificationem secundum corpus. *Huiusmodi autem res tanta est,* quod non potest tota effici gratia sacramentali, sed quod gratia sacramentalis operatur, adhuc exigit, quod residuum complens petatur per orationem a misericordia divina. Et quia istud sacramentum transmittit istum ad divinæ misericordiæ operationem, ideo forma sua est per modum deprecationis ad misericordiam, operationem sacramenti perficientem." Igitur medicina spiritualis non statim in sui perceptione semper perfecte sanat, sed efficaciter committit misericordiæ divinæ, quæ eius opus compleat.

S. Bonaventura in breviloquio (pars VI, c. 11) tractatum brevem de Extrema Unctione orditur definitione: „De sacramento Unctionis Extremæ hoc in summa tenendum est, quod ipsa est *sacramentum exeuntium ex hac vita præparans et disponens ad sanitatem perfectam.*" Hac definitione desumpta ex fine in sequentibus utitur ad succincte pro scopo operis solvendas omnes quæstiones de hac materia. — In commentario ad textum Magistri (IV. dist. XXIII.) probaturus opinionem, Extremam Unctionem a Spiritu Sancto per apostolos institutam esse, hoc discursu procedit (a. 1, qu. 2): „Quædam sunt sacramenta *propriissima* legis novæ, et hæc sunt, quæ significant gratiam in tali statu, quæ proprie competit legi novæ; hæc autem duo sunt: Confirmatio et Unctio, ubi significatur gratia Spiritus Sancti, secundum quam inungitur quis in *pugilem,* ut pro Christo audeat mori, et *in regem, ut in regnum cœlorum possit introire tamquam in suum . . .* Et quia significant Spiritus Sancti gratiam in aliqua abundantia, et Spiritus Sanctus abundanter non fuit datus, quousque Jesus non fuit glorificatus, sicut dicitur Jo. VII: ideo hæc duo sacramenta a Christo fuerunt *insinuata,* sed post a Spiritu Sancto fuerunt *instituta.*" *S. Thomas* (Suppl. qu. 29, a. 3) minime negat principium, ex quo hoc argumentum procedit, sed reicit consequentiam. Eiusdem articuli I. qu. 3 Doctor seraphicus materiam Extremæ Unctionis esse oleum consecratum ab episcopo, pulcherrime ita ostendit: Quoniam hic datur gratia sanans languores spirituales, et datur *gratia ordinans ad sanitatem perfectam, quæ quidem est gloriæ:* ideo debet significari per *oleum,* quod est curativum, ratione curationis; et per oleum *consecratum ratione ordinationis ad supereminentem curationem; et per oleum simplex, quia ad ingressum in gloriam requiritur et sufficit bona conscientia.*" In commentario in eundem l. IV. dist. II, a. 1, qu. 3 convenientiam numeri septenarii probat ex eo, quod sacramenta sunt *armaturæ Ecclesiæ militantis.* „In hac sola acie, inquit, salus est; unde in eam *ingreditur* homo, ut prœlietur, ex ea in morte *egreditur,* ut *coronetur.* Sed nullus recipitur ad pugnam, nisi habeat signum et arma Christi; ideo necessa-

rium est sacramentum, in quo hæc conferantur, ut Baptismus, et hoc est ianua intrantium; item ex hac acie nullus egreditur, qui recipiatur in triumphante, nisi habeat pignus et unctionem Spiritus Sancti, in cuius signationem est Unctio Extrema, quæ est sacramentum exeuntium."

S. Thomas hanc veritatem in Commentariis ad libros sententiarum, in Summa theologica et in Summa contra Gentes tamquam certissimam proponit ideoque ea utitur ad varias quæstiones solvendas.

In Commentario ad textum Magistri (Suppl. qu. 29, a. 1) ponit sub 2 obiectionem: „Sacramenta veteris legis fuerunt signa sacramentorum novæ legis. Sed Extrema Unctio non habuit aliquam figuram in veteri lege. Ergo non est sacramentum novæ legis." Respondet: „*Hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit,* cum exeuntibus a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat tempus adhuc perveniendi ad gloriam, quia neminem ad perfectum adduxit lex (Hebr. VII, 19), ideo istud sacramentum ibi præfigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram eiusdem generis; quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus, quæ leguntur in V. T." Art. 4 et 5 eodem modo, quo s. Bonaventura, probat, materiam Extremæ Unctionis esse oleum consecratum. „*Spiritualis sanatio, quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta,* quia post eam alia non relinquitur; et lenis, ut spes, quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia huius sacramenti." Debet autem esse consecratum „*propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ* et infirmitatem corporis." Qu. 32, a. 2 inquirens, num hoc sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate, docet: „Hoc sacramentum est *ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre quasi immediate disponens ad gloriam.* Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter

hoc, quod ægritudo nata est inducere mortem et de periculo timetur."

Summam theologicam Doctor angelicus morte præventus non potuit perducere usque ad Extremam Unctionem. Nihilominus veritatem, de qua agimus, clare enuntiat in III. p. qu. 65 de numero sacramentorum a. 1, in quo ostendit Ordinem et Matrimonium esse instituta propter bonum communitatis Ecclesiæ; ad bonum singulorum *per se* ordinari Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam. „Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, sc. peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate; quæ quidem est duplex: una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit, et loco huius in spirituali vita est Pœnitentia . . . Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per convenientem diætam et exercitium, et loco huius in spirituali vita est *Extrema Unctio, quæ removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam.* III. p. qu. 84, a. 1 ad 1: „Est attendendum, inquit, quod in illis sacramentis, in quibus confertur *excellens gratia,* quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in Baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad pœnam, et in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; *et in Extrema Unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quæ provenit ex virtute Christi,* quasi ex quodam extrinseco principio."

Præ aliis considerationem merentur, quæ s. Doctor in Summa ctr. Gentes l. IV, c. 73 de fine Extremæ Unctionis disputat. „Infirmitates spirituales per pœnitentiam sunt curandæ, prout pœnitens per opera virtutis, quibus satisfaciendo utitur, a malis retrahitur et ad bonum inclinatur. Sed quia homo vel per negligentiam aut per occupationes varias vitæ aut etiam propter temporis brevitatem aut propter alia huiusmodi prædictos defectus in se perfecte non curat, salubriter ei providetur, ut per hoc sacramentum prædicta curatio compleatur et a reatu pœnæ temporalis liberetur, *ut sic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ a corpore eam possit*

a perceptione gloriæ impedire; et ideo Jacobus addit: et *alleviabit eum Dominus.* Contingit etiam, quod homo omnium peccatorum, quæ commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare. Sunt etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari, *ut nihil inveniatur in eo, quod perceptioni gloriæ repugnet;* et ideo addit Jacobus quod, si *in peccatis sit, mittentur ei. Unde manifestum est, quod hoc sacramentum est ultimum et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur.* Unde et Extrema Unctio nuncupatur.“ Hæc veritas s. Doctori tam certa est, ut ea in sequentibus utatur tamquam principio, ex quo deducat omnia, quæ de illa materia dicenda sunt.

Duns Scotus s. Thomæ, cuius doctrinam toties acri crisi subicit, in asseveranda eadem veritate plene consentit. Utitur autem etiam hac in re ea argumenti forma, quæ in quæstione de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione facta est celeberrima. Consulamus tantum „Reportata Parisiensia“ in textum Magistri, qu. unic. „Primo ostendam, quod possibile sit Deo, *finaliter* remittere peccata venialia et ad hoc instituere aliquod signum, quod id efficaciter significet. Secundo ostendam, congruum esse tale signum institutum.“ Cum de primo non sit dubium, videamus, qua ratione secundum ostendat. „Cum de lege communi non oporteat venialia deleri per Pœnitentiam sacramentum, quia Pœnitentia est secunda tabula post naufragium ordinata in remedium contra naufragos et peccatum mortale, quod submergit, et non necessario contra illos, qui sunt intra navem Ecclesiæ et navem charitatis, quia illi, etsi habent peccata venialia, possunt salvari sine Pœnitentia; *cum autem non possit homo esse gloriosus nec intrare beatitudinem, cum habeat venialia, quæ retardant eum a gloria,* quia nullus potest simul esse miser et beatus, *congruum fuit, Deum, qui nunquam reliquit hominem sine aliquo remedio ad salutem, ordinare aliquod sacramentum, quod efficaciter et de proximo et plene significaret in suscipiente ipsam remissionem finalem omnium peccatorum venialium, per quam introduceretur ad salutem incorruptibilem vitæ æternæ.* Et congruum fuit dari et recipi ab infirmo laborante in extremis, quia tunc in ianuis mortis, quando spiritus exit, potest recipiens liberari a peccato, quod retardaret eum a gloria, nisi amoveretur et deleretur virtute sacramenti. Istud autem ita factum esse patet Jacobi V: *Inducant super eos presbyteros etc. et si in peccatis sit, remittentur ei.“* Hac veritate sic stabilita Doctor subtilis in sequentibus simili modo ac s. Thomas utitur ad alias quæstiones particulares solvendas. Unum liceat proponere exemplum. Obiecerat sibi secundo loco, omne Sacramentum novæ Legis esse unum, istud vero non esse unum, cum tam materia propinqua (unctiones) quam forma sit multiplex. Respondet: „Est sacramentum unum, quia habet tam unam materiam quam unam formam totalem, quæ sunt unum signum totale unius effectus totalis, sc. *plenariæ innocentiæ restitutæ per remissionem totalem omnium peccatorum* venialium. Licet enim plures sint formæ partiales et multæ tales materiæ, ut septem partes corporis, et multi partiales effectus, ut remissiones peccatorum venialium commissorum in parte tali vel tali, ut ore vel manu, tamen una est totalis materia et totalis forma, quæ sunt *signum totale totalis remissionis et plenariæ iustificationis ab omni peccato veniali.* Prolatis ad hoc illustrandum exemplis ex natura et arte concludit: „Sic Deus facta depuratione omnium venialium in diversis partibus hominis restaurando sibi fructus illis debitos et *plenam innocentiam præmiat eum uno præmio essentiali, quod est ipse visus et amatus.“*

Petrus a Tarantasia (Innocentius V.) qu. II, a. 2 in textum Magistri inquirit „an sacramentum Extremæ Unctionis debeat conferri sanis dumtaxat et adultis.“ Resolvit: „Duplex est effectus huius sacramenti: unus sanitas spiritualis, alter sanitas corporalis, quæ etiam signat spiritualem. *Quia vero non quælibet sanitas spiritualis est effectus huius sacramenti,* sed *ultima et perfecta, quæ disponit immediate ad actum gloriæ,* nec in qualibet necessitate corporali subvenit virtus divina nisi in extrema deficiente auxilio humano, ideo sacramentum hoc propter utrumque effectum non debet dari nisi adultis infirmis in periculo mortis constitutis.“ Hac ve-

ritate utitur sicut doctores iam citati ad varia dubia removenda.

Ne *Durandus* quidem, doctor resolutissimus, qui maxime in materia de sacramentis proprias vias ingreditur, in quæstione nostra a præcedentibus doctoribus recedit. In IV. sent. dist. II, qu. 2 ratione probans septenarium numerum sacramentorum ostendit baptizatis duo sacramenta necessaria esse contra peccatum: „Necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem curatio est duplex: una quæ sanitatem restituit, et loco huius in vita spirituali est Pœnitentia. Alia est, quæ pristinam valetudinem [i. e. perfectam sanitatem] reddit, et loco huius in spirituali vita est *Extrema Unctio, quæ removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam.*" Unde cum (in IV. dist. XXIII, qu. 2) sibi obicit, oleum non esse convenientem materiam „quia istud sacramentum immediate ordinat hominem ad gloriam incorruptionis", quæ melius repræsentaretur per chrisma, non negat principium, cui obiectio innititur, sed recte respondet: „Incorruptio gloriæ non est res contenta in hoc sacramento [quod per se patet] nec per sacramentum immediate facta" (est enim finis eius).

Postquam principes scholarum vidimus consentientes in nostra doctrina asserenda, sufficiet ex posterioribus theologis, qui ante Tridentinum Concilium floruerunt, præcipuos quosdam addidisse ex iis, qui de Extrema Unctione scripserunt. Inter hos facile principem locum meretur *Richardus a Media Villa* (Middleton). In commentario ad IV. dist. XXIII, scribit a. 1, qu. 3: „Effectus principalis huius sacramenti est peccatorum venialium curatio *immediate introducens*, nisi sit aliud, quod obstat (obex), *ad supereminentem sanitatem vitæ æternæ,* ad cuius ingressum sufficit conscientia pura. Et quia oleum multum valet ad curationem plagæ . . et maxime oleum de olivis, in quo perfectius inveniuntur proprietates olei quam in alio oleo: ideo materia huius sacramenti est oleum de olivis. Et quia balsamum repræsentat bonam famam, ideo non est mixtum balsamo *ad significandum, quod ad ingrediendam sanitatem vitæ æternæ sufficeret sine fama puritas conscientiæ* et nitor, qui per oleum designatur . . et *ad significandam illius sanitatis supereminentiam debet esse consecratum per sacerdotem supereminentis dignitatis,* i. e. *per episcopum.*" Hinc a. 2, qu. 3 infert: „Cum *effectus principalis huius sacramenti sit venialium remissio* non quæcunque, sed *plena et perfecta de proximo introducens ad incorruptibilem sanitatem vitæ æternæ,* ideo nulli sano hoc sacramentum debet conferri, nec infirmo nisi sic aggravato, quod probabile sit, ipsum esse in periculo mortis de proximo imminentis."

Aureolus, princeps Scotistarum, eundem textum Lombardi commentans, a. 2 exponens effectus Extremæ Unctionis scribit: „*Magni et mirabiles sunt effectus huius sacramenti;* propter quod debet infirmus quilibet illud sollicite et cum devotionis affectu maximo postulare. Sunt autem septem effectus." Sex priores, de quibus postea nobis est agendum, sunt média, quæ animam præparant ad septimum, qui est „protestatio decedentis infirmi, quod permansit in fide Ecclesiæ militantis; et ideo *securus egreditur ad populum triumphantem. Sicut sub signo sacramenti Baptismi ingreditur homo ad populum militantem, sic sub signo Extremæ Unctionis ingreditur ad Ecclesiam triumphantem*, portans secum testimonium signi, quod fideliter mansit in Ecclesia militante."

Petrus de Palude (Paludanus), eximius Thomista, tractatum de effectibus Extremæ Unctionis (In textum Magistri, qu. 4) concludit verbis: „*Ut* (homo) *pugnans in fine vincat et vincens purgatus sine alio purgatorio in cœlum intret, propter hæc duo inungitur.*"

Gersonius, notissimus cancellarius Universitatis Parisiensis (Regulæ morales, r. 155), idem, etsi minus secure, asseverat: „Extrema Unctio rite suscepta delet venialia, immo videtur, quod absolvit ab omni culpa coniuncta petitione recipientis, ita quod digne recipiens *etiam ab omni pœna liberetur,* tum virtute sacramenti tum quia petit pie perseveranter pro se et iuste."

Dionysius Carthusianus, qui in variis operibus de Extrema Unctione agit et veritatem, de qua tractamus, asserit, docet in Summa fidei orthodoxæ, ut solum hoc opus citemus, l. IV, a. 146: „Unctio Extrema ad peccatorum remissionem

operatur, ordinatur atque pertingit, quemadmodum Jacobi V. habetur; et ideo sacramentum est. *Et quoniam Unctio Extrema immediate ad gloriæ ingressum disponit, idcirco* non habuit in veteri lege figuram seu sacramentum sibi respondens. Nondum enim tunc aderat tempus introitus gloriæ." Art. 150 habet: „Cum hoc sacramentum sit *ultimum medicamen Ecclesiæ velut immediate disponens ad introitum gloriæ* per hoc, quod peccatorum reliquias tollit: idcirco dandum est in tali infirmitate, quæ nata est mortem inferre, dumque de periculo formidatur."

Capreolus, princeps Thomistarum, ut eandem veritatem ostendat, multos textus s. Thomæ, quos solum ex parte protulimus, congerit et tandem concludit (In textum Magistri qu. I, a. 3, ad 5): „Ex quibus patet, quod *effectus principaliter intentus* in hoc sacramento non est fortificatio contra ultimam tentationem, nec remissio venialium quoad culpam aut pœnam, sed *præparatio ad gloriam animæ et corporis per sublationem reliquiarum peccati inhabilitantium ad gloriæ susceptionem et dedicationem animæ et corporis ad gloriam."* Complures iam audivimus doctores scholasticos, qui asserunt, Extremam Unctionem non solum disponere animam ad immediatam consecutionem beatitudinis, sed etiam corpori conferre consecrationem pro futura gloria. Censent ergo, s. oleo digne delibutum obtinere speciale ius ad gloriosam resurrectionem.

Tandem transitum ad doctrinam Concilii Tridentini nobis parent verba celeberrimi cancellarii Lovaniensis, acerrimi defensoris catholicæ veritatis contra novatores sæculi XVI. et insignis theologi in ipso Concilio Tridentino, *Ruardi Tapper,* qui t. II. explicationis articulorum Lovaniensium, a. 12 (p. 225) ait: *„Magnum revera beneficium Dei est,* quod nobis in alterum sæculum migraturis providit de sacramento et adiutorio, *quo purgari possimus ab omni macula et reatu, qui ab ingressu regni cœlestis et Patris conspectu remorari possit;* et iam confessis, absolutis et viatico Eucharistiæ munitis adhuc de Extrema providit Unctione, ut *ablatis omnibus impedimentis hilariter hinc ad Patrem accedamus."*

Assertio IV. Documenta ecclesiarum orientalium eandem Traditionem testantur.

Eundem fuisse sensum ecclesiæ græcæ huius temporis, ostendit imprimis unicus auctor orientalis, qui latius de euchelæo tractat, *Symeon Thessalonicensis,* qui in suo opere „de sacro ritu s. olei" magnificis verbis effectus salutaris mysterii celebrat. Postquam descripsit ritus sacros, quibus euchelæon in ecclesia græca administratur, concludit verbis:[1]) „Ita ergo in fronte, prout dictum est, inunctus ab omnibus presbyteris *mente sanctificatur.* Deinde in formam crucis in facie sensuum gratia delinitur et tandem manus purificant sacerdotes per sanctum oleum in Christo misericorde, *coinquinatas sensationes animasque precibus emundantes* et *absolutam sanctificationem* exhibentes signo et gratia *(ἁγιασμὸν ὁλοτελῆ, penitus perfectam sanctificationem)."* Unde effectus euchelæi iam citatis verbis complectitur: „Istud quidem est merum oleum, sed oleum sanctum per sacram sanctificationem et repletum divina virtute. Et dum sensibiliter delectat, potest simul animas illuminare et sanctificare corpus quoque et spiritum et vulnera adimere necnon infirmitates sanare et a luto peccatorum emundare, Dei quoque misericordiam et iucunditatem nobis comparare."

Manuel Calecas, auctor græcus sæculi XIV., consanguineus patriarchæ Constantinopolitani Joannis Calecæ (1333—1347), post reditum ad Ecclesiam catholicam ingressus Ordinem Prædicatorum,[2]) in opere: *Περὶ πίστεως καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν τῆς καθολικῆς πίστεως,* cap. 6 enumeratis variis euchelæi effectibus pergit:[3]) *„Sacramentum hoc ad salutem homini datum est; quo nimirum eius susceptione id impleat, quod ad illius curationis, quam præstat Pœnitentia, perfectionem desiderabatur,* eiusque damnationis reatu liberetur *(ἐλευθεροῦσθαι τῆς καταδίκης τῆς ὀφειλομένης αὐτῷ),* cui idcirco obnoxius est, quia pœnitentiæ canonem [canonicam pœnitentiam] non peregit: *ut scilicet nihil in eo residuum sit, quo animus*

---

[1]) M. 155, 127.
[2]) Conf. Hurter, Nomenclator[3] t. II, p. 740 ss.
[3]) M. 152, 607.

excedens futuram gloriam consequi impediatur . . Unde liquet, sacramentum hoc extremum *(τελευταῖον)* esse, velut scilicet *spiritalis omnis sanationis signaculum (ἐπισφράγισμα)*; esseque his, qui morbo laborant, adhibendum; ac præcipue illis, qui eius, cuius rei erant, canonem non expleverunt."

Maxime vero variæ ecclesiæ Orientis fidem suam de efficacia mysterii s. olei manifestant ipsis Ordinibus illud ministrandi. Pauca quædam testimonia ex diversis his Ordinibus proferamus.

„Ordo lampadis" Syrorum Jacobitarum exhibet hanc orationem:[1]) „Ut sit, o Domine, unguentum hoc unguentum lætificans et unguentum sanctificans, *indumentum regale,* scutum destruens et debellans omnem virtutem inimici: Domino supplicemus. Kyrie eleison. Lætitia cordis, *gaudium æternum,* ut ungatur eo tamquam *unguento innovante,* quod non terreat illos, qui ex eo sumunt, et *resplendeant tamquam stellæ,* quæ in cœlo nitent; sit ad expiationem debitorum, ad veniam peccatorum, Domino supplicemus."

In eodem Ordine Extremæ Unctionis Jacobitarum hac precatione benedicitur oleum:[2]) „Verbo tuo, Domine et Deus noster, benedic hoc oleum et sana per misericordiam tuam omnem eum, qui eo ungitur, eumque munda, et sanctifica animam et corpus eius, *neque prævaleat adversus eum oppressor* nec *quidquam noxium et molestum,* et *hæreditare fac eum delicias Eden* in sæculum sæculorum. Amen."

In antiquo ritu Extremæ Unctionis apud Armenos septimus sacerdos precabatur:[3]) Domine, cui nomen magnum, et qui facis mirabilia et inscrutabilia, exaudi preces nostras et sanctifica oleum istud per Filium tuum unigenitum Jesum Christum cum Spiritu Sancto, ut ab infirmo hoc et ab omnibus, qui unguntur cum eo, expellat infirmitates omnes: sit eis in remissionem peccatorum, in salutem corporis et animæ, *in communione cum Spiritu Sancto, in hæreditatem regni cœlorum,* in adventum gratiæ, propter misericordiam tuam etc." Dia-

[1]) Denzinger, ritus Orientalium t. II, p. 509.
[2]) Ibid. p. 515.
[3]) Ibid. p. 522.

conus pergit: „Pro ægrotis et afflictis Dominum precemur Salvatorem nostrum Jesum Christum, ut misereatur secundum magnam misericordiam suam, et curet omnem immunditiam et infirmitatem animarum et corporum servorum suorum et *in perfecta salute perducat omnes ad sempiternam et inin-quinatam vitam,* qui missus est a Patre ad curandum genus humanum . ."

Ordo lampadis Alexandrinus concluditur per orationem: . .[1]) „Rogamus et obsecramus te et benignitatem tuam, o amator hominum, pro anima servi tui N., miserere eius, sana eam ab omnibus plagis et libera eam, quia tu Deus solvis vinctos omnes et elevabis eos a casibus eorum, *spes eorum, quibus non est spes;* qui venit per te, miserere ejus per te, dimitte animam servi tui N. in pace. Et si sit voluntas tua, ut vivat, o Domine noster, dona ei salutem et fortitudinem . . Et si mandasti accipere spiritum eius, *feratur per angelos duces viæ ad lucem in habitationes tuas æternas, ut cantet cum sanctis in regno cœlorum* in Christo Jesu Domino nostro . ."

Summa autem claritate ecclesiæ ritus græci suam persuasionem, euchelæon destinari ad hoc, ut animam plene paratam reddat ad immediatam perceptionem coronæ gloriæ, exprimunt ipso *„Officio s. olei".* Adscribamus unam orationem ex hoc pulcherrimo et magnifico officio. Primus sacerdos ante unctionem prolixam dicit orationem.[2]) „Principii successionisque expers, sancte sanctorum, qui Filium tuum unigenitum misisti sanantem omnem morbum et omnem infirmitatem animarum et corporum: emitte Sanctum tuum Spiritum oleumque hoc sanctifica: et ungendo huic servo tuo illud in *perfectam liberationem peccatorum eius et in regni cœlorum hæreditatem percipiendam* effice." Deinde celebrat efficaciam et dona Baptismi; tum transit ad mysterium olei et precatur: „Fiat, Domine, oleum hoc *oleum exultationis,* oleum *sanctificationis, regium indumentum,* virtutis thorax, omnis diabolici machinamenti depulsio, *sigillum insidiis liberum, cordis gaudium, lætitia sempiterna: ut et in hoc uncti fiant regenera-*

[1]) Ibid. p. 500 s. [2]) Goar, Euchologium, p. 337 s. Cfr. Maltzew, Sacramente p. 488 ss. vel Εὐχολόγιον τὸ μέγα (editio romana a. 1873) p. 189 s.

tionis oleo (τῷ τῆς ἀναγεννήσεως ἐλαίῳ) adversariis tremendi, et in sanctorum splendoribus effulgeant non habentes maculam aut rugam, et in æternam requiem admittantur et supernæ vocationis præmium percipiant. Quia tuum est misereri et salvare nos, Christe Deus noster, et tibi gloriam referimus . ." Hæc oratio quot membra tot fere habet testimonia, euchelæon, quantum est in ipso, restituere illam plenam puritatem, quam in Baptismo accepimus, et reddere perfecte idoneos æternæ beatitudinis. *Arcudius* Corcyræus, ipse homo græcus (De concordia ecclesiæ occidentalis et orientalis in 7 sacramentorum administratione l. V, c. ultimo), respiciens ad hanc orationem scribit: „In precatione huius olei recitantur ista verba: *ἵνα οἱ τούτῳ χριόμενοι τῷ τῆς ἀναγεννησίας ἐλαίῳ φοβεροὶ ὦσι τοῖς ὑπεναντίοις:* Ut qui hoc oleo regenerationis unguntur, formidolosi fiant adversariis. Dicitur autem *oleum regenerationis*, ut hoc obiter observemus, quia cum per illud reliquiæ peccatorum tollantur, *æger adeo purus evadit, acsi denuo esset generatus*", vel accuratius: acsi denuo esset baptizatus; sicut enim in priore parte orationis Baptismus vocatur *λουτρὸν παλιγγενεσίας*, sic in altera parte celebratur *τῆς ἀναγεννήσεως ἔλαιον*.

ARTICULUS III.

DOCTRINA CONCILII TRIDENTINI ET SYNODORUM ATQUE THEOLOGORUM SUBSEQUENTIUM DE FINE S. UNCTIONIS INFIRMORUM.

Assertio V. Quæ Concilium Tridentinum de Extrema Unctione docet, clare ostendunt, eius finem esse, ut anima e corpore recedens immediate introeat in gloriam æternam.

Concors doctrina Scholæ de fine sacramenti relucet etiam in decretis Conciliorum huius ævi. Concilium provinciale Claromontense (a. 1268) monet sacerdotes,[1]) ut „doceant, quod sic dicit b. Jacobus: per Extremam Unctionem venialia dimittuntur et quandoque alleviatur infirmus. Etiam mentis alacritas infunditur, ut sic *mens ipsa ad æternum gaudium elevetur.*"

[1]) Harduin, VII, 602.

Concilium Florentinum decreto pro Armenis docet: „Effectus [Extremæ Unctionis] est *mentis sanatio;* et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis." Effectus ergo est sanatio *simpliciter,* sive, ut audivimus Innocentium V. dicentem, „ultima et perfecta, quæ disponit immediate ad actum gloriæ." Hæc tamen seorsim spectata relinquunt dubium. Quod plene excluditur per Concilium Tridentinum.

Prob. assertio primo. Synodus œcumenica doctrinam de Extrema Unctione his verbis orditur: „Visum est autem sanctæ synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adiungere ea, quæ sequuntur de sacramento Extremæ Unctionis: *quod non modo Pœnitentiæ, sed et totius christianæ vitæ,* quæ perpetua pœnitentia esse debet, *consummativum existimatum est a Patribus.*" Concilium igitur affirmat, sane comprobando, hoc sacramentum consummativum Pœnitentiæ existimatum esse a Patribus.

Quid desit sacramento Pœnitentiæ, docemur sess. XIV, c. 2: „Per Baptismum Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per *sacramentum Pœnitentiæ* sine magnis fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus." Si igitur Extrema Unctio est consummativa Pœnitentiæ ideoque supplet, quod huic deest, eam sanitatem perfectam plena et integra peccatorum remissione restituat oportet, quam per Baptismum accepimus. Profecto in homine sano Pœnitentia est consummata, cum plenam præstitit satisfactionem et eluit cum peccato omnem pœnam temporalem. Ergo etiam in infirmo Pœnitentia est consummata, si dispositus est remissione omnis reatus culpæ et pœnæ ad introitum gloriæ æternæ. Quare cum docemur, Extremam Unctionem esse consummativam Pœnitentiæ, ad hunc statum dicenda est perducere hominem, qui eius efficaciæ non ponit obicem, sed convenientem præstat cooperationem. Præterea ne unus quidem textus Patrum stricte dictorum superest, in quo Extrema Unctio vocetur consummativa Pœnitentiæ. Quapropter Concilium vel nomine Patrum comprehendit etiam ss. Doctores subsequentis ævi vel supponit, doctrinam scho-

lasticorum, qui illo termino utuntur, ex Traditione esse haustam. S. Doctores Scholæ autem s. Unctionem vocarunt consummativam Pœnitentiæ, quod immediate disponat ad gloriam. Immo vix dubium est, Patres tridentinos imprimis præ oculis habuisse textum *s. Thomæ* supra (p. 194) allatum: „Manifestum est, quod hoc sacramentum est ultimum et quodammodo *consummativum* totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur.“

Prob. secundo. De effectu Extremæ Unctionis Concilium docet c. 2: „Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: ‚*Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*‘ *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit etc.*“ Igitur abstergit peccata eorumque reliquias. Quænam sunt reliquiæ peccatorum? Reliquiæ peccatorum, sensu theologico non sunt sequelæ per se physicæ peccatorum, e. gr. paupertas, mala fama, morbus (de quo Concilium postea specialiter loquitur), neque propensiones physicæ, quæ ad modum habituum per actus frequentes sunt acquisitæ; generatim ea, quæ neque per Baptismum tolluntur. Sed cum peccatum mortale sit aversio hominis a Deo, reliquiæ peccatorum sunt omnia illa, quæ hominem per Pœnitentiam iustificatum adhuc quocunque demum modo separant a Deo. Huiusmodi sunt peccata venialia per pœnitentiam non sublata, reatus pœnæ temporalis, imbecillitas moralis, qua homo facile passionibus cedit, indignitas specialis illius providentiæ divinæ, qua Dominus servos suos fideles gubernat, uno verbo: quidquid obstat, quominus offensa Dei possit dici penitus extincta. Inquirunt non sine acri controversia multi theologi, quænam harum reliquiarum per s. Unctionem abstergantur. Respondet catechismus romanus: „Est s. Unctionis utilitas, quod animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et *a ceteris omnibus peccati reliquiis* liberat.“ Revera cum Concilium indefinite loquatur, indefinite est intelligendum.

Advertit *Suarez* (Disp. 41, s. 1. n. 17) specialiter agens de remissione reatus pœnæ temporalis: „Optime inter reliquias peccatorum numerari potest reatus pœnæ post remissionem

culpæ relictus, esto aliæ etiam peccatorum reliquiæ. Locutio autem Concilii, cum sit indefinita et doctrinalis, universaliter est intelligenda. Imo licet aliæ sint peccatorum reliquiæ, in nullas alias tam proprie cadit verbum *abstergit*, sicut in reatum pœnæ; ille enim proprie tollitur, aliæ vero reliquiæ non ita proprie.“ Quam recte hoc sit dictum, ostendit totus contextus c. II. Docemur enim, per s. Unctionem *abstergi delicta, si quæ adhuc sint expianda*, ergo peccata quævis, etiam venialia et hæc maxime, quia agitur de sacramento vivorum; *ægroti animam alleviari et confirmari magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando*, sanari igitur infirmitatem illam ex peccatis relictam et restitui specialem benevolentiam divinam; *peccati reliquias abstergi;* qui effectus aliis connumeratus aliquid contineat oportet, quod in ceteris non continetur, nempe reatum pœnæ temporalis. Quare doctrina Concilii Tridentini comprehendit, quod supra *b. Albertum* asserentem audivimus: „Unctio propter hoc, quod tollit reliquias, valet ad immediatam evolationem“ sive, ut *s. Thomas* ait: „Extrema Unctio removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam.“

Assertio VI. Eadem veritas confirmatur auctoritate Conciliorum provincialium et magnorum theologorum post Concilium Tridentinum.

Doctrina communis Scholæ de fine Extremæ Unctionis poterat videri firmiter stabilita, postquam gravissimum pondus ei addidit auctoritas Concilii œcumenici. Nihilominus hæc doctrina post Concilium a multis theologis neglecta, in dubium vocata vel aperte negata est. Ad explicandum hoc factum primo aspectu mirum conditiones temporis complures rationes suppeditant. Est primo *antagonismus contra Protestantismum.* Cum ex theoriis protestantium quivis prædestinatus statim a morte transeat in cœlum, theologi catholici adigebantur, ut multum inculcarent existentiam et necessitatem purgatorii. In defendenda autem veritate non pauci eo usque progrediebantur, ut assererent, rarissimum esse casum quo homo sine purgatorio perveniat ad gaudium æternum. Hi non poterant affirmare, Christum Dominum instituisse Extremam Unctionem eo fine, ut animas immediate introducat

in gloriam; hoc enim affirmare idem fuisset ac dicere, Dominum medium ineptum elegisse ad finem intentum. Hanc consequentiam ipse *Suarez* potest videri vix effugere. Statuit (Disput. 41, sect. 1, n. 14) assertionem: „Dico secundo, ad finem seu effectum per se institutum [intentum?] per hoc sacramentum pertinere ultimo præparare animam, et quantum in ipso est, eam proxime disponere ad introitum gloriæ". Hanc assertionem vere eximie probat ex Concilio Tridentino, ex effectibus sacramenti, ex indigentia hominis morientis, ex convenientia talis finis. Hinc infert, remitti etiam reatum pœnæ temporalis, „quia non solum culpa, sed etiam reatus pœnæ non remissus impedit introitum gloriæ; sed hoc sacramentum institutum est ad tollenda omnia hæc impedimenta, quantum in ipso est, et proxime præparandum hominem ad gloriam." Quod iterum confirmat ex forma Extremæ Unctionis et ex Tridentini verbis relatis. Inopinato pergit n. 17: „Quantum vero pœnæ per hoc sacramentum tollatur, Deus novit. Non existimo tamen asserendum, *statim* auferri omnem reatum pœnæ sicut per Baptismum; nullum enim fundamentum habemus ad hoc asserendum multumque repugnat veritati et necessitati purgatorii, quo etiam fideles post susceptionem huius sacramenti diu purgantur, quod tamen ita non esset, si hoc sacramentum statim omnem reatum pœnæ remitteret; consequenter enim dimittendo culpam *semper* dimitteretur tota pœna; nihil ergo purgandum relinqueret." Vix est dubium, hæc verba Suaresii fuisse causam non ultimam, cur a non paucis theologis relinqueretur assertio, quam præ aliis firmiter probaverat; ad hæc enim verba provocant, ut ostendant, sacramentum ex se non remittere omnem pœnam temporalem ideoque non disponere ad immediatum introitum gloriæ. At *immerito Doctorem eximium testem suæ opinionis faciunt.* Imputant enim ei hanc doctrinam nimis absurdam: „Extrema Unctio instituta est, ut tollat omnia impedimenta immediatæ assecutionis gloriæ. Ergo ex se tollit etiam omnem reatum pœnæ temporalis; omnis enim reatus pœnæ relictus est impedimentum immediatæ assecutionis gloriæ. Non tollit autem omnem reatum pœnæ; secus enim immediate assequerentur gloriam digne hoc sacramentum recipientes; ad quod asserendum nullum habemus fundamentum, quamvis modo

probatum sit, Extremam Unctionem ad hunc finem esse institutam. E contrario constat, etiam tales, qui digne receperunt sacramentum piissimæ misericordiæ, diu torqueri in purgatorio." Jam vero ne parvo quidem theologo tam absonas contradictiones licet imputare sine cogente causa.

Suarez vero clare indicat, quid proprie intendat. Dicit enim, se existimare non asserendum hoc sacramentum *statim,* id est ipso momento, quo perficitur, auferre omnem pœnam. Hoc autem verissimum est. Ostendemus enim infra, requiri ad desiderandum illum finem plene obtinendum seriam cooperationem cum gratia sacramentali, quod in Baptismo non exigitur. Cum hanc cooperationem homines varias ob causas non raro omittant, etiam fideles aliqui post receptionem Extremæ Unctionis „diu purgantur, quod tamen non esset, si hoc sacramentum *statim* omnem reatum pœnæ remitteret." Si enim hoc fieret, nemo, qui immediate post s. Unctionem digne acceptam moreretur, vel minimam pœnam temporalem subiret, etiamsi ex sua parte vix quidquam fecisset, ut fructus s. mysterii in se derivaret. Dicendo autem, sacramentum non *statim* remittere omnem pœnam, implicite Suarez affirmat, id postea, si obex non ponatur, fieri idque in hac vita, quod per se patet. Immo ne excludit quidem, id plerumque fieri. Concludit enim: „Dico igitur, remittere quidem reatum pœnæ ex opere operato iuxta dispositionem et devotionem recipientis [ad quam excitandam ordinatur gratia sacramentalis] ideoque *non semper totum* auferre." Produnt tamen verba Doctoris eximii iam nescio quem metum, ne per veritatem propugnatam *„necessitas* purgatorii" nimis restringatur.

Altera ratio, cur veritas thesi asserta a quibusdam theologis in dubium vocata vel negata sit, est *rigor iansenisticus.* Notum est, quam intolerabile onus iansenistæ pœnitentibus imposuerint ad obtinendam absolutionem in tribunali Pœnitentiæ. Non poterat theologis magis minusve infectis per errores Jansenismi arridere doctrina, secundum quam misericordia divina morientibus tam suave medium paravit ad eliminandas non tantum culpas, sed et omnes pœnas. *Juénin* e. gr. (Commentarius de sacramentis, diss. VII, qu. 8, c. 2) negat, ullam pœnam temporalem remitti: „Non remittit pœnam tem-

poralem, quæ in hoc sæculo exsolvenda superest pro peccato iam quoad culpam dimisso; alioquin nulla satisfactio esset iis infirmis iniungenda, qui post confessionem Extremæ Unctionis sacramento donantur. Quod tamen est falsum . ." [1]) Quam tristem influxum hic rigor hæreticus exercuerit in mentes theologorum sincere catholicorum, potest videri ex recenti decreto s. Sedis de Communione quotidiana.

Tertia ratio est *defectus cognitionis doctrinæ antiquæ Scholæ.* Theologi enim, qui affirmant, Extremam Unctionem ex ipsa dispositione divina ordinari tantum ad partem pœnæ remittendam, nullo verbo produnt, se nosse suam oppositionem ad firmam persuasionem s. Thomæ aliorumque magnorum magistrorum mediæ ætatis. Unde cum decisiones tridentinas considerarent seiunctas a præcedente theologia, non videbant, eas contrarias esse suis opinionibus.

Quarta et forsitan non minima ratio, quæ tamen cum prioribus cohæret, sunt *revelationes privatæ,* quæ in quæstionibus theologicis multum dependent ab influxu opinionum, quæ quovis tempore vigent. Sane in vita celeberrimæ *Mechtildis* Magdeburgensis narratur, eam accepisse revelationem, plures animas christianas immediate evolare ad cœlum quam pereant.[2]) Talis revelatio, ni fallor, frustra quæretur post ortum Protestantismum. Igitur quæstio theologica rationibus theologicis est solvenda.

His præmissis **assertionis probatur I. pars:** Concilium provinciale *Neapolitanum*[3]) (a. 1699) sancit: „Cum callidus

[1]) Rationem istam iam solverat s. Thomas (Supplem. qu. 30, a. 1, ad 2): „Reatum pœnæ temporalis diminuit, sed ex consequenti, in quantum debilitatem tollit, quia eandem pœnam levius portat fortis quam debilis. Unde non oportet, quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura;" aliis verbis: facit, ut opera satisfactoria specialiter conferant ad plenam purgationem. Idem dicendum de orationibus, sacrificiis, indulgentiis aliisque mediis, quibus Ecclesia ex providentia divina morientibus subvenit.

[2]) Christus Dominus ei dicit: „Ich sage dir bei meiner göttlichen Treue — dass deren mehr in der heiligen Christenheit seien — die von Mund zu Himmel fahren — als deren, die zur ewigen Hölle fahren." Cfr. *Michael,* Geschichte des deutschen Volkes t. III, p. 198.

[3]) Collectio Lacensis t. I, 187.

serpens calcaneo fidelium insidiaturus veniet habens iram magnam, tunc maxime sacramentorum præsidio muniendi sunt milites Christi, ut, cum bonum certamen certaverint cursumque consummaverint, ad coronam pervenire, quam reddet Dominus, iustus Judex, et *detersis peccatorum vestigiis in eam civitatem ingredi mereantur, in quam nihil intrabit coinquinatum.* Quare constitutas a ss. canonibus pœnas aliasque arbitrarias dabit parochus, cuius negligentia ægrotus sine sacro Extremæ Unctionis antidoto decesserit."

Synodus nationalis *Albana*[1]) (a. 1703) pastores animarum instruit: „In extremo vitæ agone dæmonis calcaneo insidiantis feralia tela evitaturi Extremæ Unctionis sacramentali clypeo præmunimur, ut, quamvis corpore debiles, spiritu tamen fortes ad prœliandum bella Domini ac paratos promptosque in acie nocturnus insidiator inveniens pertimescat. In huius plane sacramenti ministerio stat non exigua pastoralis curæ ratio, ut *tantis munita præsidiis anima* Deo reconciliata inter ingruentium tentationum tempestates *ad æternæ salutis portum feliciter adducatur.*"

Concilium provinciale *Avenionense*[2]) (a. 1725) docet: „Quodsi contracta peccati labes aut ægritudinem animabus nostris aut mortem intulit, per Pœnitentiam sanamur spiritualiter ac reviviscimus. *Tum per Extremam Unctionem, quæ peccati reliquias delet, accedit quodammodo totius spiritualis curationis complementum* et corporali sanitati, prout animæ expedit, restituimur."

Prætermissis illis Conciliis, quæ effectus et finem s. Unctionis verbis Tridentini parum tantum mutatis proponunt, et illis, quæ magnificis quidem verbis efficaciam eius extollunt, at nostram thesim non directe enuntiant, addamus ex sæculo XIX. Concilium provinciæ *Halifaxiensis*[3]) (a. 1857): „Benignus et misericors Deus, qui per alia sacramenta ad iuste et pie vivendum dat gratiam, sacramentum Extremæ Unctionis pro ultimo militiæ nostræ super terram conflictu instituit, ut in *hora mortis hostem vincere* et *cursu feliciter consummato coronam legitime certantibus promissam recipere mereamur.*"

[1]) L. c. 305. [2]) L. c. 520. [3]) L. c. t. III, 745 s.

Omnes hi textus nulla indigent explicatione; clare enim enuntiant, quod intendimus.

Animadversio prævia ad II. partem. Jam dictum est, post Concilium Tridentinum non amplius haberi consensum communem in asserenda thesi nostra, cum non pauci theologi, præsertim moralistæ, contradicant. Qui tamen vix quidquam opponunt præter anxium timorem, ne nimis multi Extrema Unctione muniti evadant purgatorium, si concedatur, eam ex ipsa institutione sua ordinari ad plenam purgationem hominis ab omni reatu. At hæc ratio nihil prorsus probat, nisi simul vel a priori demonstretur, clementissimum Redemptorem non potuisse Ecclesiæ suæ dare remedium tantæ efficaciæ, ut plurimi illud suscipientes evadant purgatorium, vel a posteriori ostendatur, de facto relative paucos eo provisos immediate admitti ad beatitudinem cœlestem. Nullum inveni auctorem, qui vel unum vel alterum probare tentaret. — Cum vero hæc assertio VI. addita sit tantum ad confirmandas priores, maxime argumentum ex Concilio Tridentino, sufficiet adducere præcipuos quosdam Doctores e diversis scholis, et quidem solum tales, qui ob auctoritatem Tridentini veritatem thesis propugnant.

Probatur II. pars. Omisso *Suaresio,* cuius doctrinam de nostra quæstione iam expendimus, audiatur

Didacus Nugnus O. Pr., qui ceterum acriter quasdam propositiones Suaresii circa effectus Extremæ Unctionis vituperat. Enumeratis effectibus particularibus pergit (in Add. ad III. p. s. Th. qu. 30, a. 1): „Totum hoc simul appellatur a *Concilio Tridentino* et Florentino sanitas animæ, quæ est proprius effectus istius sacramenti. Itaque sicut Baptismus et Pœnitentia habent expellere peccatum causando primam gratiam, ita similiter hoc sacramentum habet expellere reliquias peccatorum causando istam specialem gratiam. *Unde specialiter etiam habet hoc sacramentum, præparare animam et eam proxime disponere ad introitum gloriæ,* quantum est ex parte ipsius sacramenti, siquidem non tantum tollit peccatum communi ratione sicut alia sacramenta, sed etiam peccatorum reliquias."

Gonet O. Pr., celebris auctor clypei thomistici (t. V, tract. 6, disp. 2, § 3) ex effectibus sacramenti deducit corollarium „*proprium esse sacramenti Extremæ Unctionis ultimo disponere hominem ad introitum gloriæ,* cum per auxilia iam explicata illum iuvet ad resistendum tentationibus dæmonis et ad perseverandum in bono tunc, cum mors imminet, roboretque spem magnamque, ut ait *Tridentinum*, in eo misericordiæ divinæ fiduciam excitet. Unde sicut Baptismus et Confirmatio dicuntur sacramenta fidei, Confessio sacramentum pœnitentiæ et Eucharistia sacramentum amoris, ita Extrema Unctio sacramentum spei merito appellari potest."

Consentiunt *Al. Natalis* (Theologia dogm. et mor. lib. II. de Extrema Unctione, c. 2) aliique Thomistæ in Comm. ad s. Thomam. Post Thomistas liceat proferre testimonia aliquot theologorum Societatis Jesu.

Cornelius a Lapide explicans textum s. Jacobi secundum interpretationem ipsius Concilii Tridentini inter alia, quæ nostram thesim confirmant, hæc habet: „*Extrema Unctio ad hoc peculiariter est instituta et parata in finem vitæ, ut amoveat omnia impedimenta, quæ animam evolantem e corpore ab ingressu cœli remorari possunt.* Quocirca nulli est negligenda, quia multi per eam salvantur, qui alioqui damnarentur; *multi recta in cœlum evolant* aut breviter in purgatorio expiantur, alioqui diu in eo excruciandi. Ita *passim interpretes* et Bellarminus de Extrema Unctione c. 8."

Laymann, qui multos æquat moralistas (Theologia moralis l. V, tr. 8, c. 5): Rectissime, inquit, dictum est in *Tridentino Concilio* (l. c.), quod sacramentum Extremæ Unctionis sit non modo Pœnitentiæ, sed et totius christianæ vitæ consummativum; *quia eo fine a Christo Domino misericorditer institutum est, ut tollat, si quæ adhuc restant, peccatorum reliquias et salutis impedimenta, adeoque præparet hominem atque expeditum reddat ad introitum regni cœlestis,* nisi magis expedire videatur, ut homini salus corporis restituatur ad vitam diutius in hac terra agendam."

Becanus (De sacramentis in specie c. 27, qu. 6) scribit: „*Hoc sacramentum est secundario institutum* (i. e habet finem non proximum) ad *disponendam et præparandam animam,* quantum in ipso sacramento est, ad *introitum glo-*

riæ, ut *colligitur ex Tridentino* sess. XIV. in proœmio. Nota ergo, duo esse, quibus potest homo proxime præparari ad introitum gloriæ. Unum perfecta animæ sanctificatio, quæ præter gratiam sanctificantem consistit in ablatione omnis mali ex peccato provenientis. Alterum est perseverantia in bono usque ad mortem.“ Utrumque conferri, si non ponatur obex, ostendit modo simili quo Suarez.

Sylvester Maurus, non minor theologus quam philosophus, ait (Opus theologicum t. III, l. 13, qu. 253, n. 8): „*Infertur, sacramentum Extremæ Unctionis institutum etiam fuisse primario ad præparandam animam ægroti in mortis articulo constituti ad introitum gloriæ.* Quia enim homo in eo articulo maxime indiget hac præparatione, convenientissimum fuit, ut ad hunc finem sacramentum speciale institueretur. Quia vero ut homo disponatur ad introitum gloriæ, requiritur perseverantia in gratia et ablatio impedimentorum, ideo dat auxilia specialia ad perseverandum et aufert peccata non ponenti obicem tali ablationi, ideoque *Tridentinum* dicit, hoc sacramentum esse totius humanæ vitæ consummativum, et ad hoc sacramentum spectare delere peccata et peccatorum reliquias, si sint.“

Wirceburgenses (t. V, de sacr. Extremæ Unctionis c. 2, n. 322): „*Finis* et effectus secundarius *est, per se proxime disponere animam ad introitum gloriæ.* Probatur: Extrema Unctio dicitur a Patribus sacramentum exeuntium et totius christianæ vitæ consummativum, ut habet proœmium et c. III. doctrinæ de Extrema Unctione in Concilio *Tridentino. Ergo eius effectus secundarius est proxime disponere ad introitum gloriæ.*“

Scotistæ fideliter sequuntur suum Magistrum.

Frassen in introductione ad disputationem de Extrema Unctione (Scotus academicus t. IV, tract. 1, disput. 3) necessitatem complementi Pœnitentiæ his explicat: „Necessarium erat aliud remedium, quo homini in extremis posito nec sibi iam per proprios actus succurrere valenti concederetur sacra medicativa virtus, quæ nedum peccatorum ac morborum reliquias extergeret, sed et *integram ac perfectam animæ sanctitatem restauraret. Id vero præstantissimum est sacræ morientum Unctionis munus.* Nam ut præclare ait *Tridentinum* c. 2: ‚Res et effectus huius sacramenti gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint expianda, ac peccati reliquias abstergit‘ . . . Quemadmodum Pœnitentiæ sacramentum secunda est post naufragium tabula, qua fideles ad innocentiæ portum in Ecclesia militante feliciter pertingunt: ita *per Extremam Unctionem ad Ecclesiæ triumphantis et æternæ felicitatis portum aspirante divinæ gratiæ aura felici successu appellunt.*“

Mastrius (Theologia moralis, disput. XXII, qu. 4, a. 1) tres enumerat effectus s. Unctionis. „Unus est dimissio peccatorum venialium in extremo vitæ periculo, unde sacramentum hoc non est institutum absolute ad peccata venialia dimittenda, sed ad *illa dimittenda in extremo vitæ, ne sint impedimentum retardativum gloriæ consequendæ.*“ Videt hanc assertionem auctoritate *Tridentini* firmatam.

Addamus *Antonium Castelli,* Præpositum Generalem O. Serv. B. M. V., qui in posthumo opere de septem Ecclesiæ sacramentis edito a Canali (L. VI, disp. 2, qu. 4, c. 2): „Ultimo quæres, ait, an hoc sacramentum disponat hominem ad gloriam? Respondeo, *sine dubio disponere.* Patet ex *Tridentino* dicente, hoc sacramentum esse totius vitæ christianæ consummativum, auferre quoque peccata et peccatorum reliquias.“

Omissis auctoribus recentibus, qui in dogmaticis tractatibus asserunt, istam veritatem esse expressam in doctrina Concilii, concludamus verbis *s. Alphonsi Liguori* (Homo apostolicus, appendix II, § 4, n. 3), qui instructionem de administratione s. Unctionis his orditur: „*Extrema Unctio,* uti est ultimum sacramentum, ita ex divo Thoma *est vitæ spiritualis corona; ipsa homo munitus ad cœlestem patriam ingredi disponitur.*“

Complectamur tandem paucis omnia hoc capite dicta. Doctrina, finem primarium Extremæ Unctionis esse perfectam sanctificationem animæ e corpore migraturæ, qua idonea et parata fiat, ut sine pœnali mora admittatur ad visionem Dei, multum commendatur consideratione benignitatis et misericordiæ piissimi Dei et Salvatoris nostri, „qui omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat“ et „abundantia pietatis suæ et merita supplicum excedit et vota“. Eandem

doctrinam Patres pro numero et brevitate testimoniorum suorum satis innuunt, maiore vero claritate antiqui libri liturgici indicant; semper autem lex supplicandi habita est lex credendi. Magni doctores Scholæ, finem s. Unctionis infirmorum esse immediatum introitum animæ in gloriam, tradiderunt tamquam veritatem plane certam et fundamentalem; eandem persuasionem produnt ecclesiæ orientales medii ævi, præsertim per solemnes suos Ordines ministrandi mysterium s. olei. Traditionem priorum sæculorum auctoritas œcumenici Concilii Tridentini eximie confirmavit. Quare doctrinam Concilii sequentes non paucæ synodi recentioris temporis et plurimi theologi insignes scholarum in aliis quæstionibus sibi adversarum firmiter propugnant, supernaturalem medicinam a b. Jacobo commendatam habere vim et virtutem conferendi animæ christiani graviter infirmi perfectam sanitatem spiritualem, cum qua connexum est ius post mortem continuo ingrediendi in regnum gaudii æterni. *Profecto felices essent theologi, si omnes veritates, quas defendere tenentur, tanto pondere argumentorum possent probare!* — Ex dictis clare cernitur, quantum beneficium sacerdotes populo christiano impertiant, si eum sedulo instruant de beato fine s. Unctionis, si cum periculo decumbentes mature permoveant, ut recipiant cœleste antidoton contra omnia vera mala præsentia et in futuro timenda, et si eos doceant, quomodo debeant cooperari cum gratiis sacramentalibus, ut percipiant plene pretiosos omnes fructus, quos dulcissima misericordia Redemptoris eis offert sub olei symbolo eo fine, ut cursu feliciter consummato statim ad Patris amplexum admittantur.

Constituto fine supernaturalis medicinæ — perfecta sanitate animæ — transeamus ad considerandam eius essentiam.

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI.

Quid doctrina catholica de materia Extremæ Unctionis contineat, Concilium Tridentinum citato textu s. Jacobi his complectitur: „Quibus verbis, ut ex apostolica Traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, *materiam esse oleum ab episcopo benedictum:* nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægroti inungitur, repræsentat.“ (Doctr. de Extrema Unctione c. 1.)

ARTICULUS I.

DE MATERIA REMOTA EXTREMÆ UNCTIONIS.

A. Materia maxime remota est oleum simpliciter dictum sive liquor expressus ex baccis olivarum. De hac re nulla unquam controversia alicuius momenti extitit. Nestoriani quidem infirmis adhibent massam quandam compositam ex oleo, aqua et pulvere seu reliquiis alicuius sancti, quam vocant Hanana seu Taibutha i. e. gratiam talis sancti.[1]) Hic tamen ritus paulatim substitutus est sacramento.

Convenientia huius materiæ. Sacramenta sunt signa efficacia gratiæ. Ideo Christus Dominus pro iis sacramentis, quæ voluit confici per materiam proprie dictam, eas res designavit, quarum proprietates et vires habent singularem analogiam cum specialibus gratiis, quæ per illa sacramenta tribuuntur. Extrema Unctio est instituta, ut iis, qui ob infirmitatem corporalem versantur in periculo mortis, ea auxilia spiritualia afferat, quibus maxime indigent. Ut appareat, quam apta materia talis sacramenti sit oleum, audiamus iam hic pauca quædam effata Patrum de virtute olei.

S. Hieronymus exponens caput 45 Ezechielis significationem olei, quod in sacrificiis V. T. adhibebatur, describit:[2]) „Hin vero, inquit, quæ olei certa mensura est, assumitur in sacrificio vituli et arietis, ut fomentum luminis sempiterni et requiem laboris et lassitudinis sanitatem post placationem peccatorum accipere possimus.“ His verbis s. Doctor omnes effectus s. Unctionis infirmorum comprehendit; oleum viribus suis naturalibus analogos effectus producere, notum supponit.

[1]) Cf. Assemannus, Bibliotheca orientalis t. III, ps. II, p. 277 s.; Benedictus XIV., Opera inedita publicata a Heiner p. 359; Denzinger, Ritus Orientalium t. I, p. 184; t. II, p. 517 ss.

[2]) M. 25, 456.

S. Gregorius Nyssenus (Hom. III. in Canticum Canticorum) ait:[1]) Oleum est „lucis materia, recreat lassitudinem, relaxat laborem, caput exhilarat et ad certamina opem fert iis, qui legitime certant.“ Hinc oleum est optimum symbolum bonorum, quibus homo ad exitum vergens opus habet. Est etiam symbolum misericordiæ divinæ, quæ hæc bona largitur; quod edicit s. *Gregorius M.* (Expositionum in l. I. Regum, l. 4, c. 5):[2]) „Ipsas olei virtutes videamus attentius. Oleum quippe liquoribus aliis superfertur, oleum ignem fovet, oleum vulnera curare consuevit. Per illud ergo misericordiæ bonum significat, quia scriptum de Domino est: *Miserationes eius super omnia opera eius* (ps. 144, 9).“ *Theophylactus* (Enarratio in evang. Marci) interpretans verba: *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent; et dæmonia multa eiciebant et ungebant oleo multos ægros et sanabant* (VI, 12 s), omnia colligit, quæ sancti Patres de significatione olei docuerunt:[3]) „Quod unxerint oleo apostoli, solus Marcus narrat, quod et frater Domini Jacobus in catholica epistola dicit: *Infirmatur quis*.. Est igitur oleum et ad labores (*πρὸς κόπους*) utile, et lucis fomentum et hilaritatis effectivum, significatque misericordiam Dei et gratiam Spiritus, per quam a labore liberamur et lucem ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus.“

S. Thomas (Suppl. qu. 29, a. 4) pulchre adducit etiam alias quasdam proprietates olei, ut ostendat, quam sit conveniens materia s. Unctionis infirmorum: „Spiritualis sanatio, quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; et lenis, ut spes, quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia huius sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant, ideo oleum olivæ etiam debet esse, quod assumitur in materiam huius sacramenti.“

Ritualis aliqua diversitas in sacramentali usu olei observatur. In ecclesia latina, si non ab initio, certe ab immemorabili tempore adhibetur oleum purum sine admixtione al-

[1]) M. 44, 963. [2]) M. 79, 278. [3]) M 123, 550.

terius liquoris. *S. Thomas* l. c. ad 1 reddit rationem, cur non addatur balsamum: „Quia balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, qua de cetero non indigent propter se exeuntes; sed indigent tantum nitore conscientiæ, qui per oleum significatur.“ Ad 2 ostendit, cur Ecclesia oleo non admisceat vinum secundum exemplar boni Samaritani: „Vinum sanat mordendo, sed oleum leniendo: et ideo curatio per vinum magis pertinet ad Pœnitentiam quam ad hoc sacramentum.“ — Nihilominus in *compluribus ecclesiis Orientis,* e. gr. in tota Russia, oleo parva quantitas vini adicitur. Magnum Euchologium exhibet rubricam: *Ἰστέον, ὅτι ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ ἀντὶ ὕδατος οἶνον εἰς τὴν κανδήλαν τοῦ εὐχελαίου βάλλουσιν.* Unde apparet, in aliis ecclesiis loco vini aquam admixtam esse. *Archangelskij*[1]) affirmat, usum aquæ, quæ oleo in signum puritatis per Baptismum acceptæ sit adiecta, nunc esse abolitum; vinum affundi ad imitationem boni Samaritani et ad repræsentandum sanguinem Christi, a quo Unctio habet suam vim sanctificantem. Idem auctor testatur, manuscripta ritualia Russiaca XV. et XVI. sæculi admixtionem vini nondum commemorare; incertum esse, quo tempore hic ritus ortus sit. In ecclesia græca mixtio olei et vini est certe satis antiqua. *Metrophanes Critopulus* agens de officio euchelæi scribit:[2]) „Proponitur in mensa vasculum, in quo vinum et oleum, propterea quod hæc etiam in parabola Samaritanus ei, qui in latrones incidit, attulit. Dicit enim: *infundens ei oleum et vinum;* quæ significabant suavem illam et lætificantem gratiam divinam.“ Et diu ante Metrophanem *Symeon Thessalonicensis* (de s. euchelæi ritu) applicata ad Christum parabola de Samaritano narrat:[3]) „Unde nonnulli in vasculum ante oleum infundunt vinum.“

B. Ut oleum elevetur in validam materiam Extremæ Unctionis, ex institutione divina necessaria est eius consecratio.

Aliquam sanctificationem olei valde convenientem esse, ex consideratione subiecti Extremæ Unctionis continuo elucet.

[1]) Inquisitio de evolut., p. 113 ss.
[2]) Confessio (ed. Kimmel, app. p. 154).
[3]) M. 155, 523.

Nam iis tantum infirmis administrari potest, qui per Baptismum Christo sunt consecrati, sunt membra corporis eius mystici, sunt sancti sanctitate saltem ontologica. Est insuper s. Unctio sacramentum vivorum. Supponit ergo per se, subiectum esse in statu gratiæ et filiationis divinæ, esse simpliciter sanctum. Jam parum convenire videtur, ut ad augendam sanctitatem hominum sanctitate supernaturali ontologica et morali atque dignitate filiorum Dei præditorum adhibeatur materia profana, maxime si perpendamus, quæ de ista profana materia Ecclesia per formulas benedictionum cum suis exorcismis nos docet. *S. Thomas* tres alias rationes huius convenientiæ proponit: „Potest, inquit, triplex ratio assignari, quare exigitur materiæ sanctificatio in hoc sacramento et in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit. Et ideo sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo; sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus nec aliqua corporali unctione: et ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ et infirmitatem corporalem. Tertia est ex hoc, quod effectus eius corporalis, sc. sanatio corporalis, non causatur ex materiæ naturali proprietate: et ideo oportet, quod hæc efficacia ei per sanctificationem detur" (Suppl. qu. 29, a. 5). Non est necessarium, ut inquiramus, num hæ rationes Doctoris angelici rem evincant. Concedimus enim, ad certitudinem pariendam requiri argumenta Traditionis.

Ut omnia in una propositione colligamus, quæ certis documentis de necessaria consecratione olei infirmorum probantur, sit

Propositio VI. Ut oleum sit materia apta Extremæ Unctionis, requiritur, ut benedictione episcopali sanctificetur, idque vel per episcopum ex potestate propria vel per presbyterum potestate delegata.

Benedictionem olei per sacerdotem — abstrahendo, utrum sit episcopus an presbyter — esse necessariam necessitate

præcepti, nulli dubitationi subest; omnes enim libri rituales eam exigunt. Magna autem inter theologos fervebat controversia nondum plene dirempta, num benedictio olei sit necessaria necessitate sacramenti, sive num requiratur ad evehendum oleum ad materiam validam. — Hanc necessitatem inter alios negant *Victoria* (Summa sacramentorum n. 219), *Juénin* (Comment. hist. et dogm. de sacram. diss. VII, qu. 3, c. 1), *De Sainte-Beuve* (De Extr. Unct. disput. III, a. 1), *Drouven* (De re sacramentaria contra hæreticos l. VII, qu. 2, c. 1, §. 2), immo *Berti,* (De theologicis disciplinis l. XXXV, c. 4, propos. 4) quamvis ipse dissentiat, fatetur, iuniores theologos communi fere consensu hanc necessitatem negare.

Theologorum, qui essentialem iudicant benedictionem, quidam censent, benedictionem ex iure divino ita reservari solis episcopis, ut ne Papa quidem simplices presbyteros ad hanc functionem possit delegare. Horum duces sunt *Suarez* (Disp. 40, s. 1, n. 8) et *Estius* (In IV, dist. 23, § 9), quibus etiam insignes quidam theologi posteriores accesserunt. — *Propositionem per partes probemus.*

I. Benedictio olei necessaria est necessitate sacramenti.

Probatur primo ex doctrina Patrum et theologorum ante Concilium Tridentinum.

1. Est factum indubium, in administratione s. infirmorum Unctionis semper adhibitum esse oleum benedictum. Cum de posteriore tempore, in quo benedictio olei expresse ad Traditionem apostolicam refertur,[1]) nulla sit contradictio, expendantur, quæ in textibus libro primo relatis dicunt Cassiodorus (p. 25), Innocentius I. (p. 48), Dynamius Patritius (p. 37), Callinicus in vita s. Hypatii (p. 40), generatim omnes auctores, ex quibus adduximus exempla administrati huius s. ritus, quibus addantur pro ecclesia syriaca Isaac Antiochenus (p. 28), patriarcha Joseph (p. 26), pro ecclesia armena episcopus Koriun (p. 40). Termini diversi: oleum sanctum, benedictum,

---

[1]) Cfr. e. gr. supra (p. 12) Concil. Aquisgranense et (ibidem) Concil. Cabillonense II.

consecratum, mysticum omnes significant benedictionem, de qua agimus. Hinc inferimus cum s. Augustino: „Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum recte creditur.“

2. Patres, quamquam benedictionem aquæ baptismalis ad Traditionem apostolorum referebant et magnificis verbis vim huius benedictionis celebrabant, non omittebant tamen docere, eam non esse essentialem ideoque in casu necessitatis debere adhiberi aquam simplicem. At vero nemo ex tempore ante sæculum XIV. vel unum textum adducet, quo de oleo infirmorum idem asseratur.

3. Simul ac systematice de nostro sacramento tractari cœptum est, magni doctores scholastici sine ulla hæsitatione essentialem dixerunt benedictionem olei. *Petrus Lombardus* (L. IV, dist. 23): „Unctio illa, inquit, fieri non potest nisi de oleo ab episcopo consecrato; ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur.“

Albertus Magnus (In IV, dist. 23, a. 3, ad qu. 1) de Confirmatione, Ordine et Extrema Unctione affirmat: „Essentialem sibi habent materiæ suæ sanctificationem nec in alia materia fieri possunt.“

S. Thomas in eundem textum Magistri (Suppl. qu. 29, a. 5) scribit: „Materia huius sacramenti est oleum sanctificatum.“ Eum per oleum sanctificatum intelligere materiam essentialem, præter rationes, quas in corp. art. affert, ostendit responsio ad secundum: „Illa efficacia, quæ est ex ipsa institutione sacramenti, applicatur huic materiæ per sanctificationem.“ Nec contradicit *Scotus* (In eundem textum Magistri): „Oleum etiam debet sanctificari ab episcopo tantum, quia . . oleum lucet in aqua et ideo ad significandum illius sanctitatis eminentiam debet consecrari per sacerdotem supereminentis gradus et dignitatis in Ecclesia, ut per episcopum; aliter enim non esset materia proxima huius sacramenti.“ — Scoto præierat Doctor Ecclesiæ sui Ordinis. Scribit enim *s. Bonaventura* (Comment. in textum Magistri a. 1, qu. 3, ad 4): „Ad illud, quod obicitur, quod in oleo non consecrato, si fiat unctio, est significatio et sanctificatio, dicendum, quod falsum est: primo enim deficit *significatio*, quæ non tantum exigit *repræsentationem*, sed etiam *institutionem:* sic autem institutum est fieri. Secundo vero deficit *sanctificatio*, quia non habet verbum efficaciam, nisi habeat competens elementum.“ Omissis aliis *Durandus*, doctor resolutus, carpit quidem argumenta, quæ suo tempore adducebantur ad firmandam necessitatem benedictionis; in re autem plane consentit aliis doctoribus Scholæ (In textum Magistri qu. 2, ad 2): „Oleum debet esse consecratum,“ idque ad valorem materiæ, „quia non est simile de Baptismo et Extrema Unctione. Quia sicut non est de necessitate Baptismi, quod minister sit ordinatus, ita consecratio materiæ non est de necessitate Baptismi. E contrario autem est in sacramento Extremæ Unctionis“.

Principes scholarum secuti sunt disciplui usque ad sæculum XVI.

Jam vero hæc tanta scholarum discrepantium unanimitas in firma persuasione de necessitate benedictionis olei, cuius unanimitatis fundamentum non possunt esse rationes discrepantes et parum moventes, quibus rem declarare conantur, ostendit, doctrinam scholæ antetridentinæ inniti in Traditione dogmatica Ecclesiæ.

Probatur secundo ex Concilio Tridentino, quod loco initio huius capitis citato ex apostoli Jacobi textu deducit: „Quibus verbis, ut ex apostolica Traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum.“

Unde 1. Concilium nos instruit, *materiam* Extremæ Unctionis esse oleum ab episcopo benedictum. Concilium autem per materiam sacramenti intelligit partem essentialem. Quod apparet ex determinatione materiæ Baptismi (Sess. VII. de Baptismo can. 1), ex silentio de materia Confirmationis et Ordinis ob controversias theologorum, quæ materia sit essentialis in his sacramentis, quas dirimere noluit.

2. Ecclesia ex Traditione de sensu verborum s. Jacobi *„intellexit“*, materiam esse oleum ab episcopo benedictum. Ergo nec ipsa benedictionem instituit nec eam abrogare potest. *Drouven* l. c. ad hoc argumentum respondet: „Ex Patrum Tridentinorum mente hoc unum apostolica Traditione didici-

mus, b. Jacobum docuisse, oleum sc. esse Extremæ Unctionis materiam, non vero oleum benedictum. Quomodo enim docuit apostolus, quod non dixit? Porro de oleo benedicendo altum in eius contextu silentium est.“ Hac interpretatione admissa Concilium docendo, materiam esse oleum benedictum, nos instruit, oleum esse Extremæ Unctionis materiam, non vero oleum benedictum. Ad rationem, quam dictus auctor addit, respondemus, Ecclesiam ex Traditione didicisse, verba: *ungentes eum oleo in nomine Domini,* non tantum significare, presbyteros unctionem sacram peragere auctoritate Domini, sed etiam olei sanctificationem necessariam esse.

Argumenta allata confirmantur ex eo, quod post Concilium Tridentinum fervente iam controversia de quæstione nostra *Paulus V.* die 13. Januarii 1611 propositionem, „quod nempe sacramentum Extremæ Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari *valide* possit“, declaravit esse „temerariam et errori proximam.“[1]) Ultro quidem fatemur, hanc declarationem, quæ est approbatio decreti s. Officii non esse definitionem ex cathedra. Notum tamen est, quanta sit vis talis declarationis, cum versatur circa obiectum mere religiosum.

Adversarii contra omnia argumenta hucusque allata excipiunt: Si hæc argumenta quidquam valerent, ostenderent etiam necessitatem benedictionis olei per *episcopum.* Jam vero apud Orientales ex antiquis temporibus presbyteri ipsi oleum infirmorum benedicunt. Nihilominus non licet infitiari, eos valide administrare sacramentum. — Quæ exceptio sane est gravis. Unde

II. Benedictio requisita, ut oleum sit materia apta Extremæ Unctionis, est benedictio episcopalis.

Probatur ex iisdem fontibus atque assertio præcedens.

1. *Innocentius I.,* cuius instructionem in collectiones canonum receptam esse vidimus, scribit Decentio: Ægrotantes „sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod *ab episcopo confectum* non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet“. *Concilia* libro primo adducta, cum ministrum benedictionis commemorant, solum nominant episcopum. *Magna synodus Aquisgranensis* (Cf. p. 12) ordinat: „Statutum etiam est, ut . . unctio sancti olei, in qua salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates *ab episcopis* non negligatur, sicut nunc usque neglectum est, sed cum omni devotione *iuxta Traditionem apostolicam* ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur“. Concilium Cabillonense II. (Cf. p. 12) docet: „Secundum *b. Jacobi documentum,* cui etiam *documenta Patrum consonant,* infirmi oleo, quod *ab episcopis* benedicitur, ungi debent“.

[1]) Denzinger, Enchiridion n. 1494.

2. Doctores scholastici eadem securitate, qua asserunt, benedictionem olei esse de necessitate sacramenti, affirmant, potestatem benedicendi spectare ad episcopum. Audivimus supra *Lombardum* (p. 120): „Unctio illa fieri non potest nisi de oleo ab *episcopo* consecrato; ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur.“

Albertus M. (In textum Magistri a. 3, ad qu. 2) præmisso, Extremam Unctionem quærere abundantiam gratiæ pergit: „Et ideo non sufficit . . materia nisi consecrata ab eo, in quo secundum suum gradum est abundantia gratiæ, sc. ab *episcopo,* licet forte careat gratia, in quantum est hic homo, eo quod forte peccator sit.“

S. Thomas (Suppl. qu. 29, a. 6): „In omnibus sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit per *episcopum* et usus quandoque per sacerdotem, ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata.“ *Scotus* textu supra (p. 120) allato manifesto docet, benedictionem episcopalem de necessitate sacramenti requiri.

S. Bonaventura (L. c. ad 7): „Tanta est potestas in ministris Ecclesiæ, quantam distribuit Dominus membris; nec oportuit potestatem consecrandi oleum ita communicari sacerdotibus sicut conficiendi corpus Christi, quia unus episcopus faciliter toti provinciæ potest unctionis oleum consecrare.“

Consentiunt ipse *Durandus* aliique magni doctores Scholæ. Qui consensus eo maioris momenti est, quod vix probabile est, scholasticis ignotum mansisse tum usum Græ-

corum tum opinionem oppositam iam sæculo XI. a *Bonizone*[1]) in libello de sacramentis expressam, qui scribit: „Hoc [oleum infirmorum] omni tempore inter missarum solemnia a presbyteris in eo loco, ubi sic legitur: ‚per quem hæc omnia bona creas', solebat consecrari. Nunc vero a solis episcopis in eodem loco missæ in Cœna Domini consecratur." Cuius quidem praxis nec ex Occidente nec ex Oriente ullum testimonium produci potest.

3. Argumentum, quod ex Concilio Tridentino et ex declaratione Pauli V. duximus, æque ac necessitatem benedictionis ipsius probat, in ministro requiri potestatem episcopalem. Æque enim unum ac alterum asseritur. Hoc argumentum confirmatur ex decreto s. Officii dd. 14. Sept. 1842 approbato a *Gregorio XVI.*[2]): „In congregatione generali habita in conventu s. Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad *validitatem* sacramenti Extremæ Unctionis uti possit oleo a se benedicto, iidem Eminentissimi decreverunt, negative ad formam decreti fer. V. coram SS. die 13. Januarii 1611" (supra relati p. 122).

Unde: Concilium Tridentinum docet, materiam Extremæ Unctionis esse oleum ab episcopo benedictum; Paulus V. declarat expresse, episcopalem benedictionem requiri, ut oleum sit materia valida; Gregorius XVI. addit, oleum a presbytero benedictum non esse validam materiam.

Ut exceptionem adversariorum ex consuetudine ecclesiarum orientalium removeamus, asserimus

III. Presbyteri orientales ecclesiarum unitarum oleum in ordine ad Extremam Unctionem valide benedicunt potestate episcopali delegata.

Prob. I. pars. Certum esse, presbyteros orientales catholicos[3]) valide benedicere oleum Extremæ Unctionis, rationes sequentes clarissime ostendunt.

[1]) M. 150, 864.
[2]) Denzinger, Enchiridion n. 1495.
[3]) Quid de presbyteris schismaticis censendum sit, inquiremus infra agentes de ministro sacramenti.

1. Complura saltem sæcula ante exortum schisma apud Orientales iam vigebat consuetudo, ut presbyteri benedicerent oleum infirmorum. Cuius rei testimonium præbet „Pœnitentiale" *s. Theodoro*, Cantuariensi archiepiscopo (sæculo VII.), adscriptum, quod c. 3 refert[1]): „Secundum Græcos presbytero licet virginem sacro velamine consecrare, et reconciliare pœnitentem, et facere oleum exorcizatum et *infirmis chrisma,* si necesse est. Secundum Romanos non licet, nisi episcopo soli." Alia argumenta huius antiquæ praxis vide apud Benedictum XIV. de syn. diœces. (L. VIII, c. 1, n. 4). Jam vero ne minimum quidem extat vestigium, unquam romanos Pontifices vel alios episcopos occidentales exprobrasse Græcis hunc morem.

2. Cum posteriore tempore celebrarentur Concilia pro unione ecclesiarum efficienda, puncta dissensionis accurate discutiebantur, maxime in Concilio Florentino. Nunquam autem Orientalibus obiectum est, eos non habere sacramentum Extremæ Unctionis eo, quod presbyteri benedicerent oleum.

3. Inter „decreta Synodi provincialis provinciæ Russiæ ritus græci uniti" *Zamoscii* a. 1720 celebratæ tit. III, § 6 de Extrema Unctione habetur:[2]) „Extremæ Unctionis materia est oleum, cuius benedicendi potestatem multis abhinc sæculis in orientali ecclesia sacerdotibus concessam præsens Synodus nequaquam adimendam existimavit".

„Constitutiones et Canones s. Synodi *Montis Libani*" celebratæ a. 1736, p. I, c. 8[3]) præter alia postea afferenda sanciunt: „Quum tam in ritu græco quam in syriaco nostro usus antiquus invaluerit, ut non solum a sacerdote in ipsa sacramenti Extremæ Unctionis administratione benedicatur oleum infirmorum, sed etiam idem oleum ab episcopo semel in anno, in fer. V. mai. hebd. una cum chrismate solemniter consecretur, ideo utrumque ritum retineri permittimus, et sacerdotibus quidem illud oleum benedicendi potestatem confirmamus in eo casu, quo benedictum ab episcopo oleum propter frequentem illius usum deficere contigerit."

[1]) M. 99, 929.
[2]) Cfr. Collectio Lacensis t. II, p. 36.
[3]) Ibidem 150.

„Canones *Concilii patriarchalis Græco-Melchitici Catholici*“ celebrati a. 1812 præscribunt can. 5,[1]) „ut in hoc sacramento administrando accurate serventur omnia, quæ in euchologio præscripta sunt de olei sancti consecratione coram ægroto a sacerdotibus facienda.“

Quam accurato autem examini decreta maxime Synodi Zamoiscensis et Montis Libani Romæ subiecta et quanta cum auctoritate a romanis Pontificibus sint approbata, ostendunt excerpta ex constitutionibus apostolicis ad has synodos pertinentia, quæ exhibet Collectio Lacensis t. II, p. 479 ss.

4. *Clemens VIII. pro Italo-Græcis a. 1595 edidit decretum:* „Circa oleum sanctum infirmorum non sunt cogendi presbyteri græci olea sancta præter Chrisma ab episcopis diœcesanis latinis accipere, cum eiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ac benedicantur“. „Quod Clementis decretum, inquit Benedictus XIV,[2]) fuit a nobis totidem fere verbis renovatum et confirmatum in nostra Constitutione 57, § 4 nostri Bullarii t. I, p. 172. Neutiquam autem id tolerandum fuisset, si oleum, simplicis sacerdotis benedictione sacratum ne per potestatem quidem a romano Pontifice sive expresse sive tacite eidem sacerdoti factam esset materia idonea ad conficiendum sacramentum Extremæ Unctionis“. Conferri possunt insuper „Excerpta ex litteris apostolicis ss. Pontificum et decretis ss. Congregationum romanarum de ritibus orientalibus“ in Collectione Lacensi t. II, p. 502 ss., et quæ Leo XIII. in litteris apostolicis „de disciplina Orientalium conservanda“ [3]) mandat. Theologi, qui adhuc negant vel in dubium vocant potestatem presbyterorum benedicendi oleum infirmorum, expendant verba Benedicti XIV. in encyclica ad clerum ritus græci: „Ex quo primum“ a. 1756 [4]): „Iniusta et fallax Ecclesiæque paci atque unitati contraria est eorum iudicandi ratio, qui latinorum tantummodo ritualium notitiam habentes nec aliud scientes præter ea, quæ tradiderunt nonnulli ex nostris scriptoribus nostrarum quidem rerum periti, sed græcarum consuetudinum

[1]) Coll. Lac. t. II, p. 582.
[2]) De Syn. diœces. l. VIII, c. 1, n. 4.
[3]) Cf. Acta s. Sedis t. 27, p. 257 ss.
[4]) Coll. Lac. t. II, p. 538 s.

rudes eiusque rationis ignari, quam semper cum ipsis secuta est apostolica romana Sedes, non dubitarunt damnare, quæ cum latino ritu conformia et consentanea non reperiebant.“

Prob. II. pars. 1. Ex assertione II. materia valida Extremæ Unctionis est tantum oleum benedictione episcopali consecratum. Ex parte prima huius asserti presbyteri orientales rite oleum infirmorum benedicunt. Ergo necessaria consequentia eo deducimur, ut dicamus, presbyteros hoc officium peragere potestate episcopali sibi delegata. Et sane: Clemens VIII. confirmat presbyteris Græco-Italis potestatem, de qua agitur. Paulus V., eius successor fere immediatus, temerariam et errori proximam declarat propositionem, valide administrari posse Extremam Unctionem oleo episcopali benedictione non consecrato. Post 30 annos Benedictus XIV. renovat decretum Clementis VIII. et omni studio, tum qua Pontifex tum qua doctor privatus, antiquos ritus ac consuetudines Orientalium tuetur. Cum tempore turbarum gallicarum exeunte sæculo XVIII. s. Sedes rogaretur, ut presbyteris concederet inter alia facultatem consecrandi oleum infirmorum, Pius VI. respondit,[1]) hoc non expedire, „cum deprehensum fuerit, *insuetum* esse in ecclesia *latina* huiusmodi potestate simplices presbyteros ab apostolica Sede insigniri, a qua quidem regula eo minus recedi non debere iudicatum est, quod impossibile non sit, triplex oleum a catholico episcopo benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem diœcesibus habere.“ Concedit ergo hic Pontifex, in ecclesiis Orientis simplices presbyteros ab apostolica Sede potestate consecrandi oleum usui sacramentali destinatum insigniri. Unde petitionem reicit solum ob reverentiam antiquæ consuetudinis latinæ ecclesiæ et ob defectum necessitatis. Mox Gregorius XVI. approbat decretum s. Officii, quo censetur, ne in casu quidem necessitatis parochum valide uti posse oleo a se benedicto.

Quare cum etiam abstractione facta ab assistentia Spiritus Sancti vere absurde diceretur, romanos Pontifices in re tanti momenti sibi continuo contradixisse, manifestum est, eos iudicasse, de essentia sacramenti requiri benedictionem olei potestate episcopali; hanc potestatem episcopum per ipsum

[1]) Mühlbauer, Decreta authentica Congr. ss. rituum t. II, p. 426.

suum Ordinem possidere, presbyterum vero eumque solum per suum Ordinem esse subiectum capax, cui potestas episcopalis ad hoc officium delegetur.

2. *Eundem esse sensum episcoporum Orientis, clare ostendunt constitutiones Conciliorum Zamoiscensis et Montis Libani.* Prius l. c. asserit, potestatem benedicendi olei multis abhinc sæculis sacerdotibus esse concessam, et existimat, nequaquam esse adimendam. Ergo non vi solius Ordinis illam potestatem habent. Clarissima vero sunt, quæ Synodus Montis Libani l. c., c. 8, n. 2 habet: „Olei benedicendi potestas *primario* et *principaliter* penes episcopum residet et ab hoc in ecclesia occidentali una cum aliis ss. oleis benedicitur quotannis fer. V. in Cœna Domini; per *delegationem* vero oleum infirmorum presbyteri simplices consecrant in ecclesia orientali. . . . Sacerdotibus quidem illud oleum benedicendi potestatem confirmamus". .[1])

3. Rationem internam optimam suppeditat *s. Thomas* cum scribit (Suppl. qu. 29, a. 6): „Minister sacramenti non inducit effectum sacramenti propria virtute ut principale agens, sed per efficaciam sacramenti, quod dispensat: quæ quidem efficacia primo est a Christo et ab ipso in alios descendit ordinate, sc. in populum mediantibus ministris, qui sacramenta dispensant, et in ministros inferiores mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant. Et ideo in omnibus sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit per episcopum, et usus quandoque per sacerdotem, ut *ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata,* secundum illud (ps. 132, 2): *Sicut unguentum in capite,* sc. in Christo, *quod* prius *descendit in barbam Aaron,* deinde

[1]) Ex hoc decreto a s. Sede confirmato videtur recte inferri, per se posse episcopos delegare; nec iure divino nec iure ecclesiastico pro ecclesiis Orientis hanc facultatem reservari summo Pontifici. Parum etiam probabile est, patriarchas aliosve episcopos Orientis antiquissimis temporibus a Sede apostolica delegationem presbyterorum postulasse et obtinuisse. Minus etiam deficiente omni argumento possumus dicere, hanc consuetudinem illegitime cœpisse et per omnes ecclesias orientales divulgatam esse tandemque consensu tacito vel expresso Pontificum legitimam evasisse. Cæterum res practicum momentum vix habet, cum omnia legibus et ordinationibus s. Sedis sint determinata.

usque ad oram vestimenti." Quæ ratio ostendit, potestatem consecrandi esse episcopalem; eam non posse delegari, ratio sane non evincit nec s. Doctor affirmat.

C. De modo benedicendi oleum hæc dicenda esse videntur:

1. *In quavis ecclesia certe valet formula in ea legitime præscripta.*

Christum Dominum ipsum non præscripsisse determinatam formulam benedicendi oleum infirmorum, manifestum est ex magna diversitate orationum, quibus ab antiquissimis temporibus episcopi et presbyteri utebantur. *Retulimus* (p. 55) *orationem ex collectione Serapionis. Testamentum D. N. Jesu Christi*[1]) *præscribit:* „Si sacerdos consecrat oleum ad sanationem eorum, qui patiuntur, ponens ante altare vas illud (continens oleum) dicat submisse ita: Domine Deus, qui concessisti nobis Spiritum Paraclitum, Dominum, nomen salutare, (spiritum) immobilem, qui absconditur a stultis, revelatur vero sapientibus. Christe, qui sanctificasti nos, qui sapientes effecisti misericordia tua famulos tuos, quos elegisti sapientia illa tua; qui nobis peccatoribus misisti scientiam Spiritus tui, per sanctitatem illam tuam, cum concessisti nobis virtutem Spiritus tui; qui sanator es cuiusvis morbi et passionis; qui dedisti charisma sanationis illis, qui per te illo dono digni effecti sunt: emitte super oleum istud, quod est typus pinguedinis tuæ, complementum tuæ beneficæ commiserationis, ut liberet laborantes, sanet ægrotantes et sanctificet redeuntes, cum ad fidem tuam accedunt: quoniam tu es fortis et gloriosus in sæcula sæculorum. Amen." — *Sacramentarium Gelasianum* iam fere ad verbum habet hodiernam benedictionem:[2]) „Emitte, quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olei, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis et corporis. Et tua sancta benedictio sit omni ungenti, gustanti, tangenti tutamentum corporis, animæ et spiritus, ad evacuandos omnes dolores, omnem infirmitatem, omnem ægritudinem mentis et corporis. Unde unxisti sacer-

[1]) *Rahmani,* Testamentum D. N. Jesu Christi p. 49.
[2]) M. 74, 1100.

dotes, reges, et prophetas et martyres: chrisma tuum perfectum a te, Domine, benedictum, permanens in visceribus nostris in nomine D. N. J. Ch."

Euchologia græca omnia, tum antiqua tum recentia, tum catholicorum tum schismaticorum præscribunt orationem: „Domine, qui in misericordia et miserationibus tuis animarum corporumque contritiones curas, ipse, Domine, hoc oleum sanctifica, ut in medelam omnis passionis carnalis et spiritualis inquinamenti et omnis denique mali depulsionem ex illo unctis fiat, ut in eo glorificetur ss. nomen tuum Patris et Filii et Spiritus Sancti nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen."

Apud Coptos hæc formula erat in usu: „Domine miserator, sanator vulnerum animarum nostrarum et corporum nostrorum, sanctifica hoc oleum, ut sit omnibus, qui unguntur ex ipso, salus ex contaminationibus spiritus et doloribus corporis, ut et in hoc glorificetur nomen sanctum tuum."[1])

Cum nemini possit venire in mentem, solam formam benedicendi oleum in ecclesia latina usitatam esse validam, omnes autem vel explicite vel implicite in generali confirmatione rituum Orientis a Sede apostolica sint æque probatæ, sequitur, in quavis ecclesia certe valere formulam in ea legitime præscriptam.[2])

2. *Benedictio ab episcopo peracta ubique valida est, si serventur, quæ omnibus formulis approbatis sunt communia.*

Formulæ allatæ et aliæ, quæ afferri possunt, in magna diversitate hoc habent commune, quod a divina bonitate petitur sanctificatio olei, ut ægrotantibus fiat in salutem animæ et corporis. Unde recte videtur dici, a Christo Domino

---

[1]) Denzinger, ritus Orientalium t. II, p. 487.

[2]) Est quæstio implexa, num primis temporibus oleum Confirmationis habuerit admixtionem balsami. Si negatur, ulterius quæritur, utrum oleum una eademque benedictione sit consecratum pro utroque sacramento et pro unctione catechumenorum, an tria olea diversis orationibus sint consecrata. Graves rationes extant pro utraque sententia. Sed hæc controversia nihil attinet ad nostram quæstionem. Quia etsi dicatur, idem oleum consecratum esse ad triplex officium, vix non certum est, exoratam esse sanctificationem olei ad effectus utriusque sacramenti etc. Cf. *Löffler,* die Weihe der hl. Öle p. 30 ss.

ipso esse præscriptum, ut benedictio fiat in ordine ad hoc sacramentum. Cum vero episcopi vi sui Ordinis habeant plenam potestatem benedicendi oleum infirmorum, videtur sequi, spectato solo valore episcopos nulli formulæ alligari, sed benedictionem ab episcopo peractam ubique validam esse, si serventur ea, quæ omnibus formulis approbatis sunt communia. De presbyteris idem dici nequit, cum delegatio eis possit concedi sub conditione, ut ritus præscriptus accurate servetur. Per se etiam fingi potest, Christum Dominum constituisse, ut ne episcopi quidem valeant oleum consecrare nisi modo a summo Pontifice approbato. Sed qui novit, quanta libertate episcopi maxime Orientis primis sæculis in re liturgica potiebantur, hoc vix probabile esse concedet.

3. *Oleum alia benedictione episcopali consecratum est materia dubia.*

Ex modo dictis ratio satis gravis fulcit sententiam, Christum Dominum ipsum constituisse, ut oleum consecretur in ordine ad Unctionem infirmorum. Convincens tamen hæc ratio non est, quia prudenter potest excipi, quamvis Christus præscripserit tantum benedictionem episcopalem qualemcunque, tamen naturam rei secum tulisse, ut in omnibus formulis, quæ supersunt, imploraretur divina bonitas, ut sanctificaret oleum ad salutem mentis et corporis. Unde sequitur, chrisma Confirmationis et oleum catechumenorum esse materiam dubiam.

ARTICULUS II.

DE MATERIA PROXIMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

Scribit *Bellarminus* (de Extrema Unctione c. 10) usitatum esse, „ut ungantur septem corporis partes, nimirum oculi, aures, nares, os et manus propter quinque sensus; deinde renes, ubi est sedes concupiscentiæ; et tandem pedes ob vim progressivam et executionem. Ita præscribit Concilium Florentinum. Sed ex his unctionibus aliqui putant, nullam esse de essentia, sed sufficere, ut quovis loco ungatur ægrotus, quoad sacramenti essentiam: reliqua ad ritum et solemnitatem pertinere. *Hæc tamen opinio singularis est et ideo minus tuta.* Quidam vero existimant, omnes illas unctiones esse

de essentia. *Sed communior opinio*, quam etiam sequitur s. Thomas, *est, ut ad essentiam solum pertineat unctio quinque sensuum.* Ibi enim est origo omnium peccatorum: vis enim appetitiva pendet a cognoscitiva, vis autem progressiva sive executiva ab utraque. Et sane ratio honestatis in feminis id postulare videtur, ut renes non ungantur. Itaque Concilium non præscribit, ut partes illæ omnes ungantur, sed solum enumerat omnes partes, quæ inungi solent iuxta varium ecclesiarum ritum.“

Ex adverso scribit *Drouven* (De re sacramentaria l. VII, c. 2, § 2): „Unctio quinque sensuum in speciali ad essentiam sacramenti non pertinet. *Ita censent nostræ ætatis eruditi pœne omnes*, voluntque unicam unctionem cum forma universali coniunctam ad essentiam sacramenti sufficere. Nec immerito. Scriptura enim præcipit equidem unctionem, sed in plerisque partibus iterandam non imperat. Ergo per unicam satisfit præcepto Jacobi seu verius Christi ipsius ore apostoli promulgato: *ungentes eum oleo*, quomodo unica ablutione Domini mandatum impletur: *baptizantes eos etc.* Deinde non est dubium, Extremæ Unctionis sacramentum vere a Græcis et Orientalibus observari. Quod si quis infitias iret, non Græcis tantum, sed et summis Pontificibus et Conciliis, a quibus ritus eorum probati sunt, iniuriam faceret. Porro Græci, ut prædiximus, quinque sensuum organa non inungunt. Præterea Latini olim Extremæ Unctionis sacramentum vere habebant; atqui in plerisque ecclesiis una tantum unctio fieri consueverat . .“

His textibus habemus expressas duas sententias de materia proxima Extremæ Unctionis cum rationibus præcipuis utriusque partis. Controversia post sæcula nondum est finita. Quantumvis enim valida argumenta theologi positivi ex documentis historicis congesserunt pro opinione, quæ iudicio Bellarmini est „singularis ideoque minus tuta“, multi theologi scholastici et moralistæ non sunt ausi recedere ab auctoritate principum Scholæ, quos putant stare pro thesi, unctionem organorum quinque sensuum esse de necessitate sacramenti. Recentissime adhuc *Billot* (De Ecclesiæ sacramentis t. II, p. 231): „Unctio, ait, quinque sensuum est certo sufficiens, sed et probabilius etiam essentialis: quamquam non improbabiliter, speculative loquendo, aliqui dicant, unctionem unam cum generali forma correspondente, per se solam sufficere.“

Cardinalis *Pallavicinus* in Concilii Tridentini historia (l. XII, c. 10, n. 18) narraturus, quomodo confecta sint decreta de sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis, præmittit: „De fundamentis, supra quæ stabiliendæ erant sententiæ, idem repetebatur, quod ante præcedentem sessionem iniunctum fuerat: nimirum, ut ea forent sacræ Litteræ, apostolicæ Traditiones, Concilia comprobata, Constitutiones auctoritatesque romanorum Pontificum ac ss. Patrum et Ecclesiæ consensio. Etenim non modo in cunctis fidei sanctionibus loca maxime propria atque intima sunt, quæ ab auctoritate petuntur; sed præcipue in rebus, quæ tunc tractabantur, de sacramentis, in aperto erat, cuncta pendere ab arbitraria Dei institutione, nulla fere humanæ ratiocinationi relicta opera, quæ certas ipsa per se consecutiones conficeret.“

Propositio VI. Certum est, unctionem organorum quinque sensuum non esse a Christo Domino institutam. Unde sequitur, ritum ungendi, qui nunc in ecclesia latina observatur, non esse necessarium necessitate sacramenti.

Probatur. Ritus ungendi organa quinque sensuum in ecclesiis orientalibus nunquam latius in usu fuit; in ecclesia vero latina tandem sæculo XVII. factus est communis. — Si hanc assertionem probaverimus, nemo negabit, ni fallor, certum esse, quod propositio asserit.

1. *In ecclesiis Orientis nunquam latius fuit in usu unctio quinque sensuum. Theodulphus*, sæc. IX. episcopus Aurelianensis, in suo Capitulari [1]) ritum Græcorum, qualis diu ante schisma fuit, his describit: „Apostoli ungentes oleo infirmos non amplius quam tres cruces cum oleo super eos faciebant. Unde Græci, qui ipsam Traditionem apostolorum imitantur, similiter tres tantum cruces cum oleo faciunt fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum super caput et vestimenta et totum corpus infirmi, incipientes crucem a capite usque ad pedes, in transverso a manu dextera usque ad

[1]) M. 105, 221.

brachia et pectus usque ad sinistram manum, semel dicentes ad ipsas tres cruces: ungo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut oratio fidei salvet te et alleviet te Dominus et si in peccatis sis, remittantur tibi." Hunc ritum, si unquam apud Græcos universalis fuit, non perdurasse, ostendit Ordo eiusdem sæculi IX. a *Goar* editus (Euchologium p. 348), quo præscribitur unctio frontis, aurium et manuum. *Symeon*, Thessalonicensis archiepiscopus (sæc. XV.), in opere „De sacro ritu s. olei"[1]) late tractans de euchelæo ea, quæ ad materiam proximam spectant, his verbis colligit:[2]) „Ita ergo in fronte inunctus ab omnibus presbyteris mente *(τὸν νοῦν)* sanctificatur. Deinde in formam crucis in facie sensuum gratia *(διὰ τὰ αἰσθητήρια)* delinitur, et tandem manus purificant sacerdotes per sanctum oleum in Christo misericorde coinquinatas sensationes animasque *(τὰς μολυνθείσας αἰσθήσεις καὶ τὰς ψυχάς)* precibus emundantes, et absolutam sanctificationem exhibentes signo et gratia."

Arcudius presbyter (sæc. XVII.), homo græcus, sed fervens catholicus, in opere „De concordia ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione" l. V, c. 7 modum unctionis suo tempore sequentem fuisse narrat: „Græcorum sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis: deinde pectus, tum manus idque ex utraque parte, postremo pedes." Non tamen fuisse communem hunc ritum toti ecclesiæ græcæ, testis est *Metrophanes* Critopulus, Arcudii coævus, qui in sua Confessione c. 13 scribit: „Uno ellychnio tincto in oleo ægrotum ungit [presbyter] in fronte, in pectore, in manibus et pedibus, ubique figura crucis."

Recentissimo tempore Græci schismatici modo ungunt frontem, nares, genas, os, pectus, partem interiorem et exteriorem manuum; modo frontem, genas, labia, pectus et manus; modo frontem, mentum, genas, manus.[3])

---

[1]) M. 155, 515 ss.

[2]) l. c. 527.

[3]) Cf. G. *Jaquemier*: „l'Extrême Onction chez les Grecs" in „Echos d'Orient" a. 1899, p. 194. Auctores russiaci omnes assignant ut membra ungenda frontem, nares, genas, pectus et ambas partes manuum. Cf. c. gr. *Archangelskij*, Inquisitio . ., p. 135 ss. Hic auctor notat, græcum rituale de

Hæc testimonia sufficiunt, ut manifestum sit, in ecclesia græca neque ante neque post schisma in usu fuisse unctionem quinque sensuum. Quod attinet ad parvas sectas Orientis, scribit *Denzinger* (Ritus Orientalium t. I, p. 186): „Quænam sint partes corporis, quæ apud Orientales unguntur, nullibi indicatum invenimus, nisi quod Bernatus de Coptis tradit: unicam unctionem memorat, quæ in fronte fiat. Sed et Vanslebius de unica unctione loquitur, quæ a sacerdote seniore peragatur.[1]) Ex rituali autem Gabrielis patriarchæ apud Renaudotium et euchologio Tukiano et codice Vaticano 78

---

hac re nullas rubricas habere; sacerdotes unctionem peragere, quomodo dicerint. Secundum *Ralli* (O. c. p. 119) materia proxima est *ἡ σταυροειδὴς διὰ τοῦ ἡγιασμένου ἐλαίου χρῖσις τῶν κυριωτέρων αἰσθητηρίων καὶ μελῶν τοῦ σώματος, ὀφθαλμῶν, ὤτων, μυκτήρων, στόματος, μετώπου, χειρῶν καὶ ποδῶν.* Non videtur hic ritus concordans romano valde esse diffusus; apud nullum alium auctorem quem vidi, invenitur indicatus.

[1]) Idem testatur *Sollerius* in tractatu præliminari ad t. 27. Junii Act. SS. de patriarchis alexandrinis cum appendice de initiis, erroribus institutis Copto-Jacobiticis (p. 123). Valde autem eruditissimus Bollandista videtur falli, cum pergit: „Seriis ludicra intersero, quæ non possint non insulsa et absurda censeri. Vide sis, quæ stupidos homines agitent intemperiæ. Non satis est sacramenti ministro, quod ægrum unxerit; id etiam diacono præstat et assistentium cuilibet. Rogatus sacerdos Coptus, quæ demum tam ridiculæ praxeos ratio redderetur, dignam dedit Copto responsionem. ‚Cum per Unctionem,' inquiebat, ex ægri corpore fugatus sit cacodæmon, facile corpus alicuius ex circumstantibus occupasset; ut itaque tota domo expellatur, ii etiam ungendi sunt, ad quos se nequam ille potuisset recipere'." Fuerit insulsa responsio sacerdotis in angustiis positi. Res vero ipsa in Oriente est antiquissima. *Archangelskij* (Inquisitio . ., p. 81 ss.) existimat, dictum morem ascendere ad sæculum VI. vel V., et variis documentis ostendit, sæculo IX. eum vulgatissimum fuisse. Profert rituale, secundum quod presbyteri post infirmum primo seipsos ungebant, deinde omnes, qui id cupiebant. Quod iam *s. Joannes Damascenus* testatur in opere „De his, qui in fide dormierunt" (opus recentissime iterum habetur genuinum) dicens: „Quocirca, Patres et Fratres, ne quis putet, omnia, quæ cum fide Deo offeruntur, non magno fenore rependi illi et pro quibus offeruntur. Velut enim, qui unguento *(μύρου)* aliove s. oleo ægrotum cupit ungere, *primum ipse, qui ungit, unctionem* participat, tum qua *unctione est delibutus*, ægroto impertit." Cf. Goar, euchologium p. 349. Conferebatur nempe hæc unctio non ut sacramentum, sed ut sacramentale, nec magis erat absurda quam nunc aspersio circumstantium aqua benedicta. Analogon dicti usus in Oriente erat usus in ecclesia latina concedendi fidelibus oleum infirmorum ad usus privatos.

omnes sacerdotes ungunt, utrum in diversis partibus non est expressum et ideo neque videtur admittendum." — Non recte contra dicta opponeretur praxis quarundam ecclesiarum unitarum ungendi organa quinque sensuum. Talis enim praxis ab eis relicto more antiquo ob reverentiam ritus romani est assumpta.

2. *In Ecclesia latina antiquitus non fuit in usu communi unctio quinque sensuum.*

Sacramentarium Gregorianum editum a *Menardo*[1]) præscribit: „Perungat [presbyter] infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo et gutture et inter scapulas; et in pectore seu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur." Post formam aliasque orationes sequitur nota: „Multi sacerdotum infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis, i. e. in superciliis oculorum et in naribus deintus et in narium summitate sive exterius, et in labiis exterius et in manibus exterius, i. e. deforis." Unctio hæc sensuum proponitur tamquam opus supererogatorium, aurium unctio omittitur.

Ritus, qui in sacramentario Gregoriano statutus est, recurrit in compluribus Ordinibus, quos collegerunt *Martène*[2]) et *Launoi*[3]). Iidem auctores proferunt antiquos Ordines, in quibus unus vel complures sensus prætermittuntur. Præscribit v. gr. vetustus codex ecclesiæ *Catalaunensis,* ut „ungatur ægrotus in pectore et retro sive scapulas et in vertice necnon et intus manibus et planta pedum."

In *veteri codice Ratoldi* ungendæ dicuntur aures, nares, labia, pectus, scapulæ, manus, pedes. E contrario in libro sacramentorum Gregorio M. adscripto, qui Romæ Sixto V. Pontifice est editus, dicitur: „Faciat ei [infirmo] signum crucis in capite de oleo benedicto dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sit tibi hæc perunctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis."

[1]) M. 78, 235.

[2]) De antiquis Ecclesiæ ritibus t. I,[2] p. 842 ss.

[3]) Opera omnia, t. I, p. 574 ss.

Ordo quidam ecclesiæ *Turonensis* ex sæculo X. ordinat: „Perungat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo, in gutture et inter scapulas; et in pectore seu loco, ubi dolor imminet, amplius perungatur."

Ordo ecclesiæ *Rhemensis* ex eodem tempore sancit: „Perungatur infirmus oleo sanctificato primitus in vertice capitis, in superciliis oculorum, in auribus deintus, in narium summitate, in labiis exterius, in planta pedum." Omittuntur manus, quod rarum est, ubi unctio sensuum præscribitur.

„Ordo ad visitandum vel perungendum infirmum" secundum antiquum ritum *mozarabicum* præscribit[1]): „Ingrediens sacerdos ad infirmum, *facit ei signum crucis in capite de oleo benedicto,* dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in sæcula sæculorum. Amen." Quis in animum inducet, ut existimet, ecclesias Hispaniæ usque ad sæculum XI., quo ritui dicto mozarabico subrogatus est ritus romanus, non habuisse sacramentum Extremæ Unctionis, eo quod unctionem quinque sensuum non adhibuerint?

Quare verissime *Benedictus XIV.* (Opera inedita vulg. a Heiner p. 362) censet, posse dubitari, num sæculo XI. iam fuerit satis stabilita in ecclesia latina consuetudo ungendi quinque sensus. Unde infert, non posse improbari ritum divergentem Græcorum et consentit P. *Carbignano,* qui in appendice ad tractatum de Extrema Unctione notat: „Patet, Græcos aliosque Orientales tot unctionibus huiusmodi sacramentum administrare debere, quot accepta ab eorum ecclesiis Euchologia præcipiunt, nec a Latinis improbari posse aut reprehendi, quod numerum modumque unctionum non servent, quem latinus ritus designat."

Quid, quod ne libri quidem rituales, qui supersunt e sæculo XVI. in modo unctionis conveniunt! Proferamus pauca exempla.

Ritualis liber *Virdunensis* ecclesiæ editus a. 1554 præscribit: „Sacerdos primo faciat in collo, in gutture, et in loco,

[1]) Monumenta Ecclesiæ liturgica (ed. *Cabrol* et *Leclercq*) vol. V: Le liber Ordinum en usage dans l'église Wisigothique et Mozarabe d'Espagne du 5.—11. siècle (publié etc. par D. Marius *Férotin*) p. 71.

ubi dolor infirmi plus imminet, ad caput, ad oculos, ad aures, ad labia, ad scapulas, ad pectus, ad manus, ad pedes." Desunt nares.

Ritualis liber *Tullensis* ecclesiæ ed. a. 1559 ordinat, unctionem esse faciendam „ad caput, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad collum, ad guttur, ad scapulas sive medium locum scapularum, ad pectus, ad manus, ad pedes, ad locum, ubi plus dolor imminet." Idem prorsus habet rituale *Viennense* ex a. 1500, item *Gebennense* ex a. 1612.

Ritualis liber *Venetensis* ecclesiæ in Italia editus a. 1555 enumerat caput, oculos, aures, nares, labia, pectus, scapulas, manus, pedes.

Ritualis liber *Ambianensis* ecclesiæ editus a. 1541 ordinat, ungendum esse ægrotum „signum crucis faciendo in dextro tempore et sinistro, non in fronte nec in vertice, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, super humeros, ad manus intus et foris; sed si fuerit presbyter intus tantum; ad pedes super."

Concordat Rituale *Catalaunense* ex a. 1529, nisi quod addit: „et sub plantis." Item *Noviomense,* quod addit: „renes viri vel umbilicum mulieris;" quod etiam habetur in compluribus antiquis Ordinibus. — Possunt conferri multi alii huiusmodi libri rituales, quos exhibet Launoi opere cit. p. 575 ss.

Porro verum quidem est, pleraque ritualia sæculi XVI. iam statuere unctionem organorum quinque sensuum. Sed multa intermiscent unctionem aliorum membrorum cum eadem forma. Vix autem quisquam sibi persuadebit, episcopos hoc præscribere ausuros fuisse, si putassent, unctionem quinque sensuum esse essentialem. Accedit, quod non pauci horum librorum ritualium sine ulla significatione dubii de valore sacramenti constituunt, ut unica unctio cum formula generali conferatur, si timendum sit, ne ægrotus moriatur ante finitum totum ritum.

Unde recte concludimus, de necessitate sacramenti spectata materia proxima esse solum veram unctionem. Necessitate præcepti in quavis ecclesia servandum esse ritum in libris ritualibus et euchologiis approbatis constitutum, per se patet. In cæremoniis principalem locum obtinet unctio in modum crucis, quam omnes Ordines omnium ecclesiarum omnium temporum

præscribunt. Quare hæc longe fortiore ratione posset ad essentiam sacramenti trahi quam unctio quinque sensuum. — Ad *valorem* non referre, utrum unctio fiat manu an instrumento ut apud Orientales, theologi conveniunt.

3. *Restat, ut paucis respondeamus rationibus, quæ producuntur pro sententia adversa.*

a. Eugenius IV. in decreto pro Armenis dicit:[1]) Infirmus „in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem." — At clarum est, his contineri præceptum Armenis datum, nec quidquam decerni de essentia sacramenti. Secus etiam adversarii cogerentur dicere, Pontificem errasse, qui eodem modo mandat unctionem pedum et renum quo quinque sensuum. Unde non est necessarium, ut recurramus ad ea, quæ in universum de vi illius instructionis pro Armenis theologi disputant.

b. Rationes internæ, quas scholastici in commentariis ad sent. IV, distinct. 23 ad ostendendam necessitatem unctionis quinque sensuum adducunt, evincunt, eam esse essentialem. — Sed ut omittamus, quid Patres Tridentini de valore rationum speculativarum iudicaverint (Cf. supra p. 133), illæ rationes probant, convenientem esse modum, qui nunc in ecclesia latina viget, non probant positive inconvenientem esse omnem alium modum, minime omnium probant, alium modum reddere sacramentum invalidum ex lege a Domino ipso constituta. Et sane, audiatur s. *Thomas* (Suppl. qu. 32, a. 6): „Principia peccandi in nobis sunt eadem, quæ et principia agendi, quia peccatum consistit in actu. Principia autem agendi in nobis sunt tria: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva; secundum est imperans, scilicet vis appetitiva; tertium est exequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi, ideo inunguntur loca quinque sensuum . . et propter appetitivam inunguntur

[1]) Denzinger, Enchiridion n. 595.

(ab) aliquibus renes; pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius eius instrumentum. Et quia primum principium operationis humanæ est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti. Sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant, quæ fit ad pedes, et non quæ ad renes, quia appetitiva et motiva sunt secundaria principia." Obiectioni primæ: „Sapiens medicus curat morbum in radice. Sed *de corde exeunt cogitationes, quæ coinquinant hominem*, ut dicitur Matth. XV, 19; ergo in pectore debet fieri inunctio", respondet s. Doctor: „Cogitatio a corde non exit nisi per aliquam imaginationem, quæ est motus a sensu factus . . Et ideo cor non est prima radix cogitationis, sed organa sensuum, nisi quatenus cor est principium totius corporis. Sed hoc principium est radix remota." Ex eodem principio deducuntur solutiones aliarum difficultatum.

Porro ratio s. Thomæ certe probat, quod probandum sibi proponit, nempe „convenienter" determinari partes ungendas. Sed per se est clarum, ex eo, quod peccata a sensibus incipiunt, Christum Dominum non fuisse compulsum, ut faceret unctionem sensuum essentialem. Neque ullam rationem ad hoc probandum s. Doctor profert, sed caute dicit: „Illa unctio ab omnibus [utique quos novit] observatur, quæ fit ad quinque sensus, *quasi* de necessitate sacramenti."

c. Tertio opponitur auctoritas Scholæ. Omnes doctores scholastici censebant, unctionem quinque sensuum esse de necessitate sacramenti. Atqui talis consensus supponit eum derivari ex Traditione Ecclesiæ. Unde non licet ab eo recedere. — Huic rationi omnis vis subtrahitur negando suppositum. Magni enim doctores Scholæ affirmant quidem, debere inungi quinque sensus iuxta consuetudinem, quam norant; sed utrum hoc requiratur necessitate sacramenti an præcepti tantum, plerique ne inquirunt quidem. Ita Albertus, Bonaventura, Scotus, Richardus a Media Villa in suis commentariis in libros sententiarum Magistri.

Quare defensoribus sententiæ, unctionem quinque sensuum essentialem esse, nihil remanet, nisi ut quærant subsidium a celebri doctrina, Christum Dominum essentiam quorundam sacramentorum non determinasse in infima specie, sed ius huius determinationis dedisse Ecclesiæ, ita ut modus diversus ab eo, quem Ecclesia illo iure usa constituerit, non solum sit illicitus, sed etiam invalidus. Hac enim doctrina non pauci theologi suas opiniones de essentia Confirmationis, maxime vero Ordinationis contra argumenta historica tuentur. Pari ergo cum fundamento videtur posse dici, Ecclesiam eodem iure circa Extremam Unctionem potiri ideoque ex lege ecclesiastica unctionem quinque sensuum saltem a tempore Eugenii IV. ad essentiam sacramenti esse necessariam.

Verum illud ius Ecclesiæ ex nullo fonte revelationis deducitur, sed tantum confictum est ad salvandam opinionem, essentiam Ordinationis consistere in traditione instrumentorum cum verbis respectivis; clare excluditur per doctores Scholæ, præcipue per s. *Thomam* (e. gr. III. p. qu. 64, a. 2, ad 1), et ab ipsa Ecclesia non admittitur (Trid. sess. 21, c. 2). Ceterum non est opus, ut ingrediamur in quæstionem, quæ pertinet ad tractatum de sacramentis in genere. Nam *quod attinet Extremam Unctionem, Concilium Tridentinum perspicuis verbis declarat, nihil ad eius essentiam requiri, nihil ut essentiale in ecclesia romana observari præter ea, quæ s. Jacobus in sua epistola præscribit.* Docet enim Concilium (Doctr. de Extr. Unct. c. 3): „Nulla ratione audiendi sunt . . ., qui dicunt, ritum et usum, quem s. romana ecclesia in huius sacramenti administratione observat, Jacobi apostoli sententiæ repugnare atque ideo in alium commutandum esse . . *Nec profecto ecclesia romana*, aliarum omnium mater et magistra, *aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quæ huius sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod b. Jacobus præscripsit.*" Ergo Ecclesia solemniter reicit crimen, quod in administratione s. Unctionis infirmorum præter ea, quæ apostolus promulgando sacramentum tradidit, quidquam ut essentiale observet. Quod valet tam de materia quam de forma. S. Jacobum in sua epistola unctionem quinque sensuum ut substantialem præscripsisse, nemo unquam affirmavit.

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

VARIÆ FORMÆ EXTREMÆ UNCTIONIS.

Vidimus capite præcedenti, theologos non mediocriter inter se dissentire de materia sacramenti. Maior controversia tum inter antiquos scholasticos tum inter theologos posttridentinos de eius forma essentiali fervebat. Ut acquiramus firmum fundamentum inquisitionis, considerandæ sunt imprimis variæ formæ diversis temporibus in diversis ecclesiis adhibitæ.

I. Formæ ecclesiarum orientalium.

1. Magnum Euchologium Romæ a. 1873 impressum sequentem orationem a singulis sacerdotibus inter ungendum recitandam præscribit p. 190 s.: *„Πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων, ὁ πέμψας τὸν μονογενῆ σου Υἱὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, πᾶσαν νόσον ἰώμενον, καὶ ἐκ θανάτου λυτρούμενον·, ἴασαι καὶ τὸν δοῦλόν σου (τόνδε) ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας,*[1]) *διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου· καὶ ζωοποίησον αὐτὸν κατὰ τὸ σοὶ εὐάρεστον τὴν ὀφειλομένην σοι εὐχαριστίαν ἐν ἀγαθοεργίᾳ ἀποπληροῦντα· πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· προστασίαις τῶν τιμίων ἐπουρανίων Δυνάμεων ἀσωμάτων· δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ Σταυροῦ· τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου Προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου· τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων· τῶν ἁγίων καὶ καλλινίκων Μαρτύρων· τῶν ὁσίων καὶ θεοφόρων Πατέρων ἡμῶν· τῶν ἁγίων καὶ ἰαματικῶν ἀναργύρων*[2]) *Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, Κύρου καὶ Ἰωάννου, Παντελεήμονος καὶ Ἑρμολάου, Σαμψὼν καὶ Διομήδους, Μωκίου [Φωτίου;] καὶ Ανικήτου, Θαλλαλαίου καὶ Τρύφωνος· τῶν ἁγίων καὶ δικαίων θεοπατόρων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης· καὶ πάντων τῶν ἁγίων. Ἀμήν.* Sequitur doxologia.

[1]) Magnum Euchologium Venetiis impressum a. 1851 a voce *ἀσθενείας* usque ad *ἀποπληροῦντα* breviorem textum habet, sc.: *καὶ ζωοποίησον αὐτὸν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου.* Cf. Echos d'Orient 1899, Avril-Mai, p. 195.

[2]) De sanctis *ἀναργύροις* cfr. *Nilles,* Zeitschrift für katholische Theologie 1894, p. 739 ss.

Quam late hæc forma per ecclesias orientales cum romana unitas sit diffusa, ostendunt complura Concilia provincialia.

a. Synodus provincialis Ruthenorum habita Zomosciæ a. 1720, titulo III, § 5[1]) decernit: „Quod ad formam attinet, ea servetur ubique, quæ hactenus in usu fuit et est in ecclesia orientali hisce verbis expressa: ‚Sancte Pater, medice cœlestis animarum et corporum, qui Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum misisti sanantem omnem infirmitatem et a morte liberantem, sana per hanc unctionem servum tuum ab omni corporis et animæ infirmitate, qua detinetur, et vivifica illum per gratiam Christi tui, precibus Sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ et omnium Sanctorum tuorum: quia tu es fons omnium curationum, Deus noster, et tibi gloriam referimus, cum unigenito Filio tuo et consubstantiali Spiritu Sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.‘ Hæc autem forma, ut iuxta præceptum D. Jacobi sacerdotes orent, ungentes eum in nomine Domini, iungatur unctioni singularum partium, tamquam materiæ proximæ huius sacramenti, atque ita verba proferantur, ut eorum pronuntiatio non ante inchoetur nec finiatur quam ipsa unctio.“

b. Synodus provincialis Montis Libani a. 1736 celebrata, p. II, c. 8, n. 5[2]) docet: „Forma huius sacramenti sunt verba illa, quæ dicit sacerdos, dum infirmum oleo sancto inungit; et in antiquis quidem ritualibus, etsi non uno modo descripta sint, omnia tamen hunc sensum reddunt, iuxta ecclesiæ Græcæ praxim: ‚Sancte Pater, medice animorum et corporum, qui Filium tuum D. N. Jesum Christum misisti, ut sanaret omnem infirmitatem et a morte liberaret, sana per hanc unctionem servum tuum hunc ab omni animæ et corporis infirmitate per gratiam eiusdem Christi tui, cum quo tibi convenit gloria una cum Sancto Spiritu nunc et semper et in sæcula. Amen.‘ In recentioribus autem ritualibus ex more sanctæ romanæ ecclesiæ forma hæc recitatur ac repetitur, dum singulos infirmi sensus sacerdos inungit: ‚Per

[1]) Collectio Lacensis t. II, p. 37.

[2]) L. c. p. 151.

istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum sive per auditum etc. deliquisti.‘ Monendi sunt tamen parochi, dum priorem formam ex more ecclesiæ orientalis dicunt, ita verba proferantur, ut eorum pronuntiatio non ante inchoetur nec ante finiatur quam ipsa unctio.“

Canon V. *Concilii patriarchalis Græco-Melchitici Catholici* habiti a. 1835 inter alia statuit:[1]) „Ut in eodem [sacramento] administrando accurate serventur omnia, quæ in euchologio præscripta sunt de olei sancti consecratione coram ægroto a sacerdotibus facienda; qui quidem quasi unus minister censentur, et una pronuntiare debent consecrationis formulam, quæ sic incipit: Domine sanans in misericordia tua, itemque orationem illam: Pater sancte, medice animarum et corporum etc., qua continetur sacramenti forma.“

In usu relatæ formæ ecclesias ritus græci a centro unitatis separatas cum unitis convenire, ostendunt eorum libri rituales et testantur theologi harum ecclesiarum. Consulantur e. gr. *Macarios* (Orth. dogm. theologia[5] t. II, p. 472), *Archangelskij* (Inquisitio .. p. 147—150), maxime *Maltzew* (Die Sacramente der Orthodox-Katholischen Kirche des Morgenlandes p. 493 s.). *Mesoloras* (*Ἐγχειρίδιον Λειτουργικῆς τῆς ὀρθοδόξης ἀνατολικῆς ἐκκλησίας* p. 222) refert: *ὁ ἱερεὺς · · χρίει τὸν ποιοῦντα τὸ εὐχέλαιον, λέγων τὴν εὐχὴν· Πάτερ ἅγιε κ. τ. λ.* Ad hæc notat: *Σήμερον μετὰ τὸ τέλος τῶν εὐχῶν γίνεται ἡ χρῖσις.* Hanc formam in ecclesia græca ex antiquis temporibus in usu esse, omissis auctoribus catholicis ostendit *Symeon* Thessalonicensis, qui in opere „de sacro ritu sancti olei sive euchelæi“[2]) late describens ritus mysterii olei post alias orationes ponit illam, quæ incipit:[3]) *Πάτερ ἅγιε*, quam ab unoquoque sacerdote ministrante dicendam esse docet, et addit: „Hanc igitur dicit dextera capiti pœnitentis imposita, ostendens se ad imitationem Domini sanationem facere, qui manum infirmis imponebat, tactu sanabat necnon se vi divinæ gratiæ operari, cum sit manuum impositione sanctificatus tactuque manus purificans et sanctificans. Verum in fine orationis oleo ungit in formam crucis frontem eius etc. dicens quoties

[1]) Collectio Lacensis p. 582. [2]) M. 155, 515 s. [3]) L. c. 526 s.

signat: ‚Adiutorium nostrum in nomine Domini‘, testans a nullo alio nisi a solo misericorde Deo adesse adiutorium.“

Hac eadem forma adhibita in ecclesia græca iam ante exortum schisma sacramentum esse administratum, demonstrat „Ordo servandus, cum pro ægrotis septem sacerdotes advocantibus oleum sanctum vespere faciendum est“, editus a *Goar*,[1]) qui iudicio virorum eruditorum saltem ad sæculum IX. pertinet. Præscribit enim iam orationem: *Πάτερ ἅγιε κ.τ.λ.* Hanc formam ascendere usque ad tempora ss. Patrum, recte ex eo deducimus, quod in usu est vel fuit in ecclesiis coptica, iacobitica et armena. Consuli possunt ea de re *Denzinger* (Ritus Orientalium t. II, p. 483 ss.) et *Maltzew* (Die Sacramente . ., p. CCCXXIX ss.) Differentias textus illius orationis, quæ maxime spectant ad nomina sanctorum, quæ vel omnia ponuntur vel contrahuntur vel penitus omittuntur, substantiam deprecationis non mutare, sed esse mere accidentales, a nemine negatur.

2. *Theodulphus Aurelianensis* in suo Capitulari supra (p. 133 s.) posito talem formam Græcorum refert: „Ungo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut oratio fidei salvet te, et alleviet te Dominus, et si in peccatis sis, remittantur tibi.“

Denzinger dicit,[2]) Bernatum formam copticam indicare, quæ sonet: „Deus te sanet in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“

Archangelskij[3]) proponit ex rituali serbico sæculi XV. formam: „Benedictio Domini Dei Salvatoris nostri in sanationem animæ et corporis servo Dei N. N. semper, nunc et in æternum.“ Eandem dicit adhibitam esse sæculo XIV. in administratione sacramenti secundum Ordinem hierosolymitanum. In quodam manuscripto bibliothecæ Sophiæ e sæculo XVI. secundum eundem auctorem forma erat: „Sanctificatur servus Dei N. N. oleo lætitiæ in sanitatem et salutem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“

[1]) Euchologium p. 346 ss.
[2]) Rit. orient. t. I, p. 187.
[3]) Op. cit. p. 152 s.

At crediderim, omnes has preces non exhibere proprie formas, sed præmissa oratione: *Πάτερ ἅγιε,* inter ungendum dictas esse breviter colligendo, quæ forma essentialis continebat, quemadmodum in ritu a Symeone Thessalonicensi descripto sacerdos post orationem: *Πάτερ ἅγιε,* inter ungendum dicebat: „Adiutorium nostrum in nomine Domini."

II. Formæ ecclesiarum occidentalium.

Cum ecclesiæ orientales a remotissimo tempore in usu formæ eiusdem fere conveniant, antiqui libri rituales ecclesiarum Occidentis magnam discrepantiam ostendunt. *Morinus, Menardus, Martène, Launoi* aliique plurimos collegerunt Ordines administrandi infirmis s. Unctionem, ex quibus aliquot formas proposuisse fini nostro sufficiet. Vocamus autem hic formas orationes inter ungendum dictas inquisituri articulo sequenti, num omnes adhibitæ sint ut partes essentiales Extremæ Unctionis. Juvat eas distribuere in quasdam classes.

1. Formæ, quæ æque ac græca sunt precationes proprie dictæ.

a. Ordo VIII. apud Martène[1]) „ex ms. libro sacramentorum s. Gregorii Papæ . ., qui fuit olim monasterii s. Germani a Pratis" post complures orationes præscribit: „Ungues eum oleo sancto, et dices: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi in virtute Spiritus Sancti, unus in Trinitate Deus, miserere huic famulo tuo, et tribue ei remissionem omnium peccatorum, et recuperationem ab imminenti ægritudine per hanc sanctam unctionem, et nostram supplicem deprecationem. Qui vivis. . ."

b. Ordo XI. apud eundem Martène „ex vetustissimo libro sacramentorum monasterii Moisacensis . . annorum circiter 800" (e sæculo X.) inter ungendum has preces a sacerdote ministro fundendas ponit: „Oratio. Deprecamur clementiam tuam, omnipotens Deus, ut huic famulo tuo, quem in tua fidentes misericordia sanctificati liquoris effusione præsumimus unguere, oleum doni cœlestis prosit ad emendationem mentis et corporis salutarem, ut percepta divinæ unctionis sospitate cunctas insidiatoris mortiferi machinationum fraudes invicta virtutis tuæ potentia valeat superare. Per . ." Simul duo alii sacerdotes dirigunt preces ad Christum Dominum et Spiritum Sanctum. Tum sequuntur speciales orationes recitandæ in unctione singulorum organorum, quæ posterius additæ esse videntur.

[1]) De antiquis Ecclesiæ ritibus t. I, p. 867.

2. Formæ optativæ.

a. Huc pertinet imprimis illa, quæ paulatim locum omnium aliarum obtinuit et a sæculo XVII. sola adhibetur in tota ecclesia latina: „Per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum etc. deliquisti". Notum est, hanc formam in unctionibus diversorum membrorum mutatis mutandis repeti.

b. Binterim (Denkwürdigkeiten, 6. Bd. 3. Teil, p. 339) refert antiquam formam: „Hæc Unctio per signum sanctæ crucis, et per oleum sanctificatum, et per donum Sancti Spiritus fiat tibi ad sanitatem."

c. Ordo X. apud Martène „ex ms. insignis ecclesiæ B. M. Remensis" (sæc. X.) habet formam: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis in vitam æternam. Amen."

3. Formæ indicativæ.

a. Primo loco ponamus formam, quæ antiquitate omnes, quæ nobis sunt conservatæ, longe superare videtur. Invenitur apud *Warren* (The Liturgy and Ritual of the Celtic Church, p. 168 et 223) et est talis: „Ungo te de oleo sanctificato in nomine trinitatis, ut salveris in sæcula sæculorum," sive: „Ungo te de oleo sanctificato, ut salveris in nomine patris, et filii, et spiritus sancti in sæcula."

b. Sacramentarium Gregorianum a *Menardo* editum exhibet formam:[1]) „Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus Sancti, quatenus per huius operationem my-

[1]) M. 78, 235.

sterii, et per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam et immelioratam recipere merearis sanitatem. Per eundem . .“

c. Libri sacramentorum ecclesiæ *Turonensis* (sæc. X.) similem formam continent:[1]) „Ungo te de oleo sancto: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Dei ac Domini nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus et salus: quatenus per huius operationem mysterii et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam et immelioratam recipere merearis sanitatem. Amen.“

d. Ordo IX. apud Martène „ex ms. libro sacramentorum . . qui fuit olim monasterii s. Dionysii in Francia“, offert formam, quæ a scholasticis sæpe ut Ambrosiana citatur: „Ungo te oleo sanctificato in nomine Domini, ut more militis uncti præparatus ad luctam, possis aëreas superare catervas. Per . .“

4. *Formæ imperativæ.*

a. Pontificale *Narbonense* sæculi XI. præscribit, ut sacerdos inter ungendum dicat: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, regnantis in sæcula sæculorum. Accipe sanitatem corporis et remissionem omnium peccatorum tuorum.“[2])

b. De Sainte-Beuve narrat (De sacr. Unctionis infirmorum Extremæ, disp. 4, a. 2): „In veteri Suessionensis ecclesiæ rituali typis mandato ante 100 annos, quando auris dextra inungebatur, sacerdos dicebat: ‚In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, accipe sanitatem in nomine Domini. Amen.‘ Et ad pedes: ‚Accipe sanitatem in nomine Domini nostri Jesu Christi, surge et ambula‘.“

5. *Formæ mixtæ.*

a. Pontificale ms. *s. Prudentii, Trecensis* episcopi (sæc. IX.), ordinat:[3]) „Accepta ampulla cum oleo dicat: ‚Per istam unctionem et Dei benedictionem mundentur ab omni sorde pec-

---

[1]) Inveniuntur ap. *Martène,* Ordo IV—VI.
[2]) Martène, Ordo XIII.
[3]) Idem, Ordo III.

cati, et sanctificentur manus, et os, cor quoque, tactus, odoratus, sensus, visus, auditus et gustus, totum corpus et anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum in nomine eiusdem Dei nostri. Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, et spiritu principali confirmet te, Spiritum Sanctum innovet in visceribus tuis, et ne auferat illum a te, sed benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, quæ copiosa supra defluat, et in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque te repleat atque circumdet, et sit semper tecum. Amen.‘ Sic denique ungat ægrotum dicens has orationes vicissim: ‚In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis.‘ Item: ‚In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ungo te oleo sancto in remissionem tuorum omnium peccatorum in vitam æternam. Amen.‘ Oratio in superciliis oculorum: ‚Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, huius olei unctione expietur. Per Dominum‘.“ Hæc oratio præscribitur repetenda in unctione aurium, narium, labiorum, manuum, pedum, paucis mutatis. Tunc pergit: „Deinde ungatur in gutture, in collo, in scapulis, in umbilico, seu in loco, ubi plus dolor imminet, perungatur . . . et tunc dicantur istæ orationes super eum: ‚Inungo te oleo sancto‘ etc.“ ut supra in Sacramentario Gregoriano.

b. Rituale sacramentorum sæculi XIII. olim ecclesiæ s. Laurentioli Mediolani, quod recentissime editum est (Cf. p. 41) statuit: „Primum ungue eum in pectore, postea manus, deinde pedes, de oleo benedicto hæc verba dicendo: ‚Ungeo te oleo sanctificato, ut more militis unctus et præparatus ad luctam aerias possis superare catervas. Operare creatura olei: † In nomine Patris omnipotentis, † et Filii † et Spiritus Sancti: ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum huius hominis (fœminæ); sed operetur in eo virtus Christi Filii Altissimi, qui cum æterno Deo Patre vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.‘ Quando tu unxisti in pectore, dic: ‚Quidquid peccasti per cogitationem cordis, parcat tibi Deus‘. Deinde quando unxisti in manibus, dic: ‚Quidquid peccasti per operationem manuum tuarum, parcat tibi Deus‘. Tertio quando unxisti in

pedibus, dic: ‚Quidquid peccasti per ingressum pedum, parcat tibi Deus'."

c. Speciminis gratia addamus unam ex prolixis formis mixtis, quarum non paucæ ex medio ævo nobis sunt conservatæ. *Launoi* ex Pontificali libro ms. bibliothecæ „Dominicanorum Parisiensium ad portam s. Jacobi" sequentem modum administrandi s. Unctionem profert[1]): „Ordo compendiosus et consequens ad ungendum, intincto namque pollice in oleo infirmorum, sacerdos in ægro corpore, signum crucis facit in certo, vel aliquantis locis, dicens ita:

(Ad caput.) ‚In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Ungo hanc frontem tuam, ut merearis pristinam sanitatem recipere, atque recuperare: Per divinam clementiam. Amen.'

(Ad aures.) ‚Ungo has aures de oleo sancto, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad luctamen, possis aereas superare catervas. Per etc. Oremus. Benedicat te Dominus cœli, adiuvet te Christus Filius Dei, corpus tuum in suo servitio conservari faciat, mentem tuam illuminet, sensum tuum custodiat, gratiam suam ad perfectionem animæ tuæ in te augeat, ab omni malo te liberet, dextera sua te defendat; qui sanctos suos semper adiuvat, ipse te adiuvet et conservet. Qui vivit etc.'

(Ad oculos.) ‚Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, huius olei unctione expietur. Per . . Oremus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sit tibi unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis, ad munimen et defensionem contra iacula immundorum spirituum. Per.'

(Ad nares.) ‚Ungo has nares oleo sacro, ut quidquid noxio sapore contractum est, vel odore superfluo, ista emundet medicatio. Per . . Oremus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis, et misericordia Dei, quæ per oleum significatur, custodiat omni tempore, et pietas illius subsequatur te omnibus diebus vitæ tuæ. Qui vivit . .'

1) Opp. t. I. pars I, p. 498.

(Ad labia.) ‚Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quidquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per . . Oremus. Benedicat cor et corpus tuum, medelam suam conferat tam cordi quam corpori tuo, augeat vitæ sensum spiritalem, et ad patriam æternalem perducat te Dominus Jesus Christus, qui vivit . .'

(Ad pectus.) ‚Ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis. Per . . Oremus. Benedictio illa in te descendat spiritalis, quæ descendit super angelos, et gratiam suam super te corroboret. Qui vivit. .'

(Ad scapulas.) ‚Ungo has scapulas, sive medium scapularum oleo sacrato, ut ab omni parte spiritali protectione munitus, iacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni iuvaminis repellere. Per . . Oremus. Virtus Christi altissimi, et benedictio quæ descendit super caput et verticem Joseph Nazarei, ita descendat super dorsum et verticem tuum et confirmet cor tuum in spe regni cœlestis. Qui cum Patre . .

(Super manus.) ‚Ungo has manus oleo sanctificato, ut quidquid noxio et illicito opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per . . Oremus. Benedictio cœlestis amplificetur super te, et opera manuum tuarum dirigat in bono, benedictio Domini copiosa illustret mentem tuam, et sensum tuum dirigat. Qui vivit . .'

(Ad pedes.) ‚Ungo hos pedes oleo benedicto, ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, ista aboleat unctio. Per . . In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti accipe sanitatem mentis et corporis. Amen. Hæc tibi unctio per istud signum sanctæ et vivificæ crucis, et per oleum sanctificatum, et per donum sancti spiritus fiat ad sanitatem et sempiternam salutem. Amen. Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, amen; Filius, qui te redemit, amen; Spiritus Sanctus, qui in te fusus est, amen. Remissionem et indulgentiam omnium peccatorum tribuat tibi Dominus in præsenti sæculo, et in futuro vitam æternam concedat. Amen. In no-

mine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti accipe sanitatem mentis et corporis. Amen. Concede nobis, Domine, famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicamus. Per . . Pater noster, libera nos a malo, et custodi nos semper in omni bono, Christe Jesu, auctor omnium bonorum, qui vivis . .“

ARTICULUS II.

DE ESSENTIA FORMÆ SACRAMENTALIS.

I. Formæ propositæ magnam ostendunt inter se diversitatem. Nam præter eam discrepantiam, secundum quam eas in varias classes distribuimus,

1. Pleræque commemorant actionem ministri sive materiam proximam, at non omnes; omittunt eam imprimis forma græca, inter latinas Narbonensis, de qua tamen confer. p. 162.

2. Secundum partem Ordinum unica forma semel profertur, dum varia organa unguntur; secundum quosdam ad singula organa propriæ formæ recitantur; alii eandem formam in singulis unctionibus (mutatis mutandis) repetendam præscribunt.

3. Magna est etiam discrepantia formarum in commemorandis effectibus sacramenti. Nostra latina explicite solum indulgentiam delictorum per sensus admissorum voto exoptat, dicta Ambrosiana unctionem tantum ad confortationem refert, græca sanitatem corporis et confortationem adprecatur, antiqua hiberna generatim salutis mentionem facit, Turonensis solam sanitatem enuntiat, aliæ petunt remissionem peccatorum et sanitatem, aliæ commemorant omnes effectus, quos infra enumerabimus.

4. Forma unius ecclesiæ non raro in alia recitatur inter orationes, quæ unctionem præcedunt vel sequuntur; quædam ecclesiæ complurium aliarum formas collegerunt omnesque adhibent distribuendo eas inter variorum membrorum unctiones; exemplum præbet Ordo ultimo loco relatus.

In tanta formarum discrepantia videtur esse difficile detegere aliquod elementum commune, quod tamquam divinitus determinatum ideoque essentiale designetur. Quare non est mirum, quod simulac systematice de sacramentis tractari cœptum est, inventi sunt theologi, qui assererent, Extremam

Unctionem non habere formam essentialem. *B. Albertus* refert (In textum Magistri a. IV, qu. 1): „Dixerunt quidam, quod non habet formam extra seipsum: quia ipsa unctio tali oleo facta est sibi forma; et ad hoc inducunt rationes has: 1. Omne illud, cuius forma sacramentalis non uno modo tenetur et exercetur ab Ecclesia, non habet formam sacramentalem; sed istud sacramentum est tale: ergo etc. Primam autem probant: quia cum forma sit de essentia sacramenti, contingeret, quod qui aliter celebrarent, sacramentum non perficerent. Mediam autem probant per hoc, quod quædam ecclesiæ tenent indicativam orationem, quædam autem deprecativam.“ Aliæ rationes, quas illi theologi ad firmandam suam sententiam adducebant, nullius sunt momenti. B. Albertus de hac opinione fert iudicium: „Dicendum sine præiudicio, quod, ut puto, prima opinio inducta novitas præsumpta est contra observationem Ecclesiæ et sententiam omnium antiquorum: et ideo puto, illam esse incautam, et sine periculo erroris non posse sustineri.“ Quod iudicium confirmat auctoritas *s. Thomæ*: „Prædicta opinio præsumptuosa videtur et erronea“ (Suppl. qu. 29, a. 7). Falsitas istius opinionis constat ex universali doctrina, sacramenta qua talia essentialiter componi ex rebus tamquam materia et verbis tamquam forma. Ceterum hanc compositionem de Extrema Unctione speciatim docet Concilium Tridentinum textu mox expendendo.

II. Theologi scholastici dissentiebant, cum quærebatur, qualem formam esse oporteat, quamquam conveniebant omnes in asserenda necessitate formæ ad valorem sacramenti. Principes Scholæ — *Albertus M., s. Bonaventura, s. Thomas, Scotus — exigebant formam deprecativam,* ad quam referebant etiam optativam, qualis est nostra latina. „Patet, inquit e. c. *Scotus,* quæ sit forma partialis, et quæ totalis. Partialis est unctio determinatæ partis corporis cum oratione optativa et deprecativa gratiæ et remissionis culpæ unius partis. Totalis est septenaria unctio in partibus corporis cum certis verbis optative significatis, et hoc est signum unum unius effectus totalis.“ At alii quidam eximii doctores Scholæ, ut *Richardus a Media Villa, Paludanus, Aureolus,* non negabant quidem valorem formæ deprecativæ, censebant autem, etiam per for-

mam *indicativam* sive absolutam valide conferri sacramentum. Priori sententiæ magnum auctoritatis pondus est adiectum per Eugenii IV. decretum pro Armenis et per ipsum Concilium Tridentinum. Sed postquam ab ineunte sæculo XVII. magni theologi positivi multos antiquos Ordines publicarunt, ex quibus apparebat, late quondam per Occidentem in usu fuisse formas indicativas (quibus ab utraque parte adnumerabantur modo imperativo prolatæ), revixit controversia, quæ etiamnum perdurat. — *Magna quoque extat diversitas sententiarum de iis, quæ in forma necessario debeant exprimi,* ut valeat sacramentum. Theologi cum hac de re tractant, fere tantum nostram formam latinam præ oculis habent et de singulis eius membris rationibus scholasticis determinare conantur, utrum sint essentialia necne. Verum istæ rationes non videntur esse valde firmæ, siquidem magna est sententiarum varietas. Communius essentialia habent hæc verba: Per istam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Recentissime s. Officium decrevit approbante Pontifice[1]): „In casu veræ necessitatis sufficere formam: Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen.“ Hoc decreto docemur, quæ verba vigentis formæ latinæ in casu veræ necessitatis tuto omitti possint; non dirimitur controversia, num omissio unius alteriusve vocis brevis huius formæ sacramentum reddat invalidum. Omnia, quæ de essentiali forma dicenda sunt, complectatur

Propositio VII. Ad valorem sacramenti Extremæ Unctionis ratione formæ requiritur et sufficit deprecatio sacerdotis pro infirmo sive formalis sive virtualis tantum.

Quæ ad probandam propositionem sunt dicenda, in aliquot assertiones distribuamus.

I. Secundum quemlibet Ordinum antiquorum, qui per documenta historica sunt conservati, rite administrabatur Extrema Unctio.

Probatur. Si expendamus formas modo prolatas, necessario adducimur ad iudicium, formam nostri sacramenti a

[1]) Cf. Il Monitore ecclesiastico, Jun. 1906, p. 145.

Christo Domino non fuisse in individuo determinatam et supremam auctoritatem ecclesiasticam episcopis etiam in Occidente magnam permisisse libertatem concinnandi ritus et præscribendi formas. Unde concludamus oportet, tam claram per Ecclesiam viguisse notitiam eorum, quæ ad essentiam sacramenti requiruntur, ut nullus fuerit timor, ne re permissa episcopis valor periculo exponeretur. Ad hoc manifestum esse videtur, non potuisse unum aliquem episcopum per ignorantiam tollere quidquam ex iis, quæ sacramento sunt essentialia, quin doctiores presbyteri et vicini episcopi reclamarent. Insuper haud potest contra unum ex illis Ordinibus fieri exceptio, quæ non simul tangat alios, etiam celeberrimos, quos s. Sedem latuisse plane est impossibile.

Vim huius argumenti bene ponderarunt scholastici antiquiores. „Si sint aliquæ ecclesiæ, inquit *Richardus a Media Villa,* (In textum Magistri a. I, qu. 4, ad 2), utentes forma indicativa, pie credendum est, quod modus exprimendi per modum imperativum determinate vel indicativum non est de necessitate sacramenti.“ *Paludanus* ait (In textum Magistri qu. I, a. 2, conclus. 3): „Quia nulla est forma ab ecclesia romana reprobata, sed tolerata et dissimulando approbata: ideo quælibet ecclesia debet tenere ritum suum; et sicut in immersione una vel trina, abstergendo vel immergendo debet fieri secundum consuetudinem, ita et hic de forma.“ Quæ conveniunt cum iis, quæ habet *Aureolus* (In textum Magistri a. 1): „Forma verborum indifferenter potest esse indicativa et optativa sicut de forma verborum Baptismi, quæ est apud Latinos indicativa, sed apud Græcos optativa; et ideo consuetudo in talibus est servanda et peccaret graviter, qui consuetudinem immutaret.“ Etiam *b. Albertus, s. Bonaventura,* et *s. Thomas* sollicite cavent, ne sua doctrina de necessitate formæ deprecativæ praxim aliquarum ecclesiarum damnare videantur. *S. Thomas* (Suppl. qu. 29, a. 8) statuit: „Forma huius sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi et ex usu romanæ ecclesiæ, quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione huius sacramenti.“ Sed huic conclusioni obstat, quod „in quibusdam ecclesiis dicuntur hæc verba in collatione huius sacramenti: Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris etc.“ Respondet s. Doctor: „Ad tertium dicendum, quod

verba illa indicativi modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma huius sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.“ Censet igitur s. Thomas, formas indicativas non sufficere quidem, ecclesias tamen, quæ illis utebantur, non caruisse sacramento, quod eis adiunxerint deprecationem necessario fundendam, ut valeat s. ritus. — *Launoi* vix sibi satisfacere potest in carpenda hac doctrina,[1]) quam etiam b. Albertus et s. Bonaventura tradunt. Postquam eruditus doctor gallicanus satis sugillavit defectum circumspectionis, neglectum studiorum liturgicorum, contradictiones etc., quæ principibus Scholæ, maxime s. Thomæ, vitio vertit, tandem ipse ea affert, quæ ostendunt, scholasticos, qui negabant valorem formæ indicativæ, recte simul sustinuisse, ecclesias, quæ tales formas adhibebant, rite administrasse sacramentum. Scribit enim: „Qui explicatam de unctione infirmorum traditionem sibi ante oculos constituet, et disputantes de Ambrosio et Gregorio, de indicativa et deprecativa forma scholasticos quosdam inspiciet magis ac magis, fateri cogetur, eos nec vidisse quæ videnda, nec ponderasse quæ diligenter ponderanda fuerant. Quapropter in tradendis huius sacramenti ritibus, qui formam attinent, nonnunquam errarunt, sed Ecclesia in eo administrando nunquam erravit. Nam sacerdotes, qui singulis ætatibus sacramentum illud ministrarunt, quod in ritualibus libris præscribebatur, id omne continuo fecerunt. His autem in libris quidquid ab antiqua traditione, quam Gregorius papa digessit, acceptum erat, continetur cum iis, quæ identidem addita fuere, ac proinde cum hæc dicantur omnia, id fit, quod fieri debet, nec ullus error admittitur. Neque in vetustis rituum codicibus, quos in medium adduximus, alia nominatim signantur, quæ ut formam dicant presbyteri, eoque tantum mentis aciem dirigant; alia vero, quæ alio proposito dicant. Consilium Ecclesiæ sequuntur et ad illud animum intendunt, quod illa in iis codicibus faciendum præscribit. In hac autem simplicitate cum sacerdotes ambulant et sacras partes obeunt, Ecclesiæ moribus ac institutis satisfit, et quibus ministratur sacramentum, iis idonea cautione providetur.“

---

[1]) Op. cit. p. 543 s.

Hæc sapienter sunt dicta, egregie confirmant assertum nostrum simulque ostendunt, recte fecisse duces Scholæ, cum quæstionem de valore formæ indicativæ accurate distinxerunt a quæstione de valore sacramenti administrati secundum antiquos Ordines, qui habent eiusmodi formam, si vocetur forma oratio inter ungendum dicta.

II. Essentia sacramenti exigit, ut eius materia proxima determinetur per orationem a presbytero ad Deum pro infirmo directam.

Probatur. 1. Concilium Tridentinum c. 1. de sacramento Extremæ Unctionis relato textu s. Jacobi pergit: „Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, *formam,* proprium ministrum et effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia . . ., formam esse illa verba: Per istam unctionem etc.“ Igitur omni claritate, quam desiderare possumus, Concilium nos instruit, s. Jacobum verbis: *orent super eum,* et: *oratio fidei* salvabit infirmum, designare formam sacramenti. Jam vero, ni fallor, exegetæ ad unum omnes illis verbis vident expressam orationem proprie dictam sive deprecationem a presbyteris ad Deum dirigendam pro infirmo. Hic est sensus, quem termini textus originalis: *προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτόν, ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως* primo offerunt. Hunc sensum unice admittit contextus. Versu 13 apostolus commendat: *Tristatur aliquis vestrum, προσευχέσθω,* i. e. petat auxilium a Deo; nam eum hortari ad orationem proprie dictam, ad deprecationem, manifestum est ex verbis statim adiunctis: *Æquo animo est, ψαλλέτω;* cum orare et psallere sibi opponuntur, prius non potest significare nisi veram deprecationem. Versu 14 s. tamquam remedium contra specialem afflictionem morbi iterum commendatur oratio, sed peragenda a presbyteris et cum s. ritu unctionis coniungenda. Cum etiam hæc oratio termino *προσεύχεσθαι, εὐχή* designetur, pariter veram deprecationem intelligamus oportet. Post declaratam efficaciam orationis sacramentalis apostolus transit ad describendam in universum vim orationis: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra et orate (εὔχεσθε) pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio (δέησις) iusti assidua.* Ergo oratio, de qua

frater Domini tota secunda parte capitis 5. agit, est oratio δεήσεως, vera deprecatio. Pergit: *Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit (προσευχῇ προσεύξατο) ut non plueret super terram,* et *non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit (πάλιν προσεύξατο),* et *cœlum dedit pluviam et terra dedit fructum suum.* Ergo etiamsi demus, quamvis formulam sacram, etiam formam sacramentalem mere indicativam, e. gr. „ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti", posse dici orationem, ad valorem Extremæ Unctionis ex institutione divina promulgata a s. Jacobo requiritur vera deprecatio.

2. *Concilium pronuntiat, Ecclesiam ex apostolica Traditione didicisse, formam esse illa verba: Per istam unctionem* etc. Verum evidens est, Concilium nolle nos certiores reddere, Ecclesiam ex apostolica Traditione scire, formam sacramentalem esse illa verba *materialiter* sumpta; secus enim nobis notum faceret, ecclesias orientales nunquam, maiorem saltem partem ecclesiarum occidentalium, romana probabilissime non excepta, per multa sæcula non habuisse sacramentum. — Insuper secundum Concilium Ecclesia ex apostolica Traditione non solum didicit, formam esse illa verba, vel s. Jacobum quomodocunque demum docuisse, dicta verba esse formam, sed didicit, apostolum *ipso illo textu,* quo promulgavit sacramentum, docere, formam esse verba: Per istam unctionem etc. Jam vero hæc forma latina est deprecatio pro infirmo, quæ continet commemorationem actionis ministri, misericordiæ divinæ et effectus sacramenti, qui est remissio delictorum per sensus admissorum. Cum autem apostolus tantum dicat, presbyteros debere orare super infirmum, illo textu nullo modo docet, eos debere fundere orationem, quæ contineat commemorationem actionis sacerdotalis, misericordiæ divinæ et certi alicuius effectus commendati ritus. Ergo hoc unum Ecclesia ex apostolica Traditione didicit, orationem, de qua loquitur apostolus, esse veram deprecationem pro infirmo, qualis est oratio: Per istam Unctionem etc. Si etiam hoc negatur, nihil plane reliquum est, quod ex illo fonte intelligentiæ s. Scripturæ de sensu ipsius textus s. Jacobi Ecclesia hauserit, quantum attinet ad formam latinam actualem.

3. *Assertum solide confirmatur ratione theologica.* Concedimus, in re sacramentaria non nimis fidendum esse rationibus mere internis, et scholasticos quosdam recentioris ætatis non immerito incurrisse irrisionem theologorum positivorum, quod manifestis argumentis historicis cum pervicacia opposuerunt rationes convenientiæ ab antiquioribus doctoribus acceptas. At postquam veritas est probata ex primariis fontibus theologicis, rationes internæ sæpe eximie iuvant ad meliorem eius intelligentiam. Igitur

a. Extrema Unctio primario instituta est in subsidium eorum, qui propriis viribus destituti morti appropinquant transituri in domum æternitatis suæ. Per s. Unctionem Ecclesia, a cuius auctoritate iamiam sunt recessuri, ultimum beneficium eis præbet reponendo eos in manu misericordiæ divinæ. Misericordia Dei maxime opus habet moriens; ut Ecclesia Deum efficaciter movere valeat ad agendum cum fidelibus morituris secundum multitudinem miserationum suarum, accepit a piissimo Salvatore sacramentum s. Unctionis. Quare summopere conveniens est, ut minister sacri officii personam intercessoris gerat neve tantum propriam auctoritatem promat. Qui enim miserum misericordiæ commendat, supplicatione utatur oportet.

b. Finis Extremæ Unctionis est immediatus introitus animæ in gloriam, nisi restitutio sanitatis sit ei magis expediens. Ergo sacramentum ad hoc ordinatur, ut animam plene a peccatis et ab omnibus eorum reliquiis liberet, quæ eam e corpore egressam retardarent a gloria. Jam vero ægroti raro ad cœleste remedium eam dispositionem afferunt, ut in ipsa eius susceptione plene beatum hunc fructum percipiant. Ideo necesse est, ut Deus extraordinariis gratiis aliisque specialibus auxiliis suppleat, quod deest, et animam continuo iuvet, ut tandem in momento mortis perfecte disposita statim transire possit in gaudium æternum. Ut autem Deus tanta misericordia morituro ultra eius dispositionem succurrat, precibus exorandum est. Vere pie *b. Albertus* ex hac ratione ostendit convenientiam formæ deprecativæ. „Aliam causam sine præiudicio dico esse magnitudinem rei istius sacramenti. Res enim sua est purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immediatum transitum ad requiem secundum animam et glori-

ficationem secundum corpus. Huiusmodi autem res tanta est, quod non potest tota effici gratia sacramentali, sed quod gratia sacramentalis operatur, adhuc exigit, quod residuum complens petatur per orationem a misericordia divina. Et quia istud sacramentum transmittit istum ad divinæ misericordiæ operationem, ideo forma sua est per modum deprecationis ad misericordiam, operationem sacramenti perficientem." (In textum Magistri a. 4 versus finem.) Eandem rationem indicat *s. Thomas*, (Summa ctr. gent. l. IV, c. 73).

III. Deprecatio sufficiens continetur in omnibus formis indicativis, quas exhibent antiqui Ordines nobis conservati; imperativæ autem tantum ad explicandam efficaciam orationis deprecativæ adiungebantur vel præmittebantur.

Certe non tantus numerus theologorum contra claram doctrinam s. Jacobi et contra auctoritatem summorum doctorum negassent, sacramento Extremæ Unctionis essentialem esse veram deprecationem, nisi putassent, in hac assertione includi, multas antiquas ecclesias caruisse sacramentali Unctione infirmorum. Hunc timorem non esse fundatum, iam ostendimus. Nam quidquid est de orationibus inter ungendum dictis, omnes Ordines nobis conservati habent ad minimum unam alteramve, plerique multas deprecationes, quæ abunde satisfaciunt mandato apostolico. Quare sacerdotes peragendo cum recta intentione totum ritum et fundendo preces præscriptas omnes, certe conferebant sacramentum.[1]) Hic timor etiam ideo vanus est, quia in omnibus formis indicativis sufficiens deprecatio continetur, imperativæ autem, ceterum paucissimæ, solum ad manifestandam efficaciam deprecationis addebantur.

[1]) Si nunc sacerdos administraret Extremam Unctionem cum intentione conficiendi sacramentum, omitteret autem consulto ad omnes sensus formam: Per istam Unctionem etc., gravissime quidem peccaret, sacramentum tamen esset validum, quia omnia necessaria, quæ habet forma, continentur etiam in prima oratione, quæ sequitur unctionem; estque hæc oratio satis coniuncta cum materia proxima, ut cum ea in unum signum sacramentale possit coalescere. De facto oratio, quæ secundum rituale romanum prima post unctionem dicitur, constituebat antiquitus formam essentialem ecclesiæ Narbonensis. Cf. p. 162.

Probatur. Utrum aliqua oratio sit deprecativa necne, non est unice decernendum ex constructione grammatica, sed plurimum pendet ab intentione loquentis manifesta ex circumstantiis, in quibus loquitur. Cum Martha et Maria miserunt ad Jesum dicentes: *Domine, ecce quem amas, infirmatur* (Jo. XI, 3), specietenus Salvatori tantum nuntiarunt, quid acciderit; re ipsa illa verba erant tenerrima deprecatio, quod non solum Dominus omniscientia sua novit, sed etiam quivis attentus lector evangelii facile intelligit. Si quis in angustiis positus et auxilium cœleste exoptans dicat e. gr. ter: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto etc., vel in honorem B. M. V. hymnum Magnificat vel symbolum apostolicum, nemo prudens ei ominabitur repulsam, quia non fecerit veram supplicationem. Exempla similia inveniuntur etiam in orationibus missalis romani. Unde nonnihil mirari licet, quod magni theologi omnes formas, quæ incipiunt: *Ungo te,* eo ipso reputarunt insufficientes. Hoc eo magis mirum videri potest, quod ipsa forma: Per istam s. Unctionem . ., de cuius valore nemo unquam dubitavit, non est deprecatio formalis, sed virtualis tantum. Sane si homini culto quidem, sed harum quæstionum ignaro proponantur duæ formæ: ea quæ nunc est in Occidente in universali usu et antiqua ecclesiæ Turonensis (sub 3, c): „Ungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Dei et Domini nostri, ut etc.", non est dubium, quin iudicet, hanc alteram multo magis habere rationem supplicationis quam priorem.

Ordo sacramentarii Gregoriani (3, b) habet rubricam, quæ etiam in aliis Ordinibus recurrit: „*Supplicando*, dum inungitur ægrotus, dicat unus ex sacerdotibus: Inungo te etc., ut non lateat in te spiritus immundus . ., quatenus per huius operationem mysterii, et per hanc sacrati olei unctionem atque *nostram deprecationem virtute s. Trinitatis medicatus* sive fotus pristinam . . recipere merearis sanitatem. *Per eundem* . ." Qui in hac forma non detegit deprecationem, nescio, quomodo eam inveniat in verbis: Per istam s. Unctionem . .

Idem dicendum est de omnibus formis indicativis; omnes enim incipiunt quidem modo absoluto, sed mox, plerumque

cum invocatione ss. Trinitatis, transeunt in votum, ut infirmus ope divina salvetur. „Colligo, inquit *Suarez* (Disp. 41, s. 3, n. 8), si quis utatur hac forma: Ungo te oleo sancto, ut Deus tibi remittat, quidquid peccasti etc., formam esse sufficientem, quia verbo indicativi modi adiungitur sufficiens deprecatio, quamvis non careret culpa gravi, illam mutationem efficere absque usu ecclesiæ romanæ.“ Idem iudicium de similibus formis fert *Benedictus XIV* (De synodo l. VIII, c. 2, n. 2): „Etenim, inquit, verba illa *ut* et *sit*, optativa cum sint, non incongrue referre possunt proferentis votum, orationem et preces.“ Memoria autem fefellit doctissimum Pontificem, cum addidit: „At nescimus, quo pacto possit deprecatio inveniri in aliis formis, ex plurimis antiquis ritualibus a Menardo et Martène productis, in quibus solum adhibetur verbum *ungo* absque alio additamento, e quo deprecatio colligi aut fingi queat.“ Nulla forma talis invenitur inter editas a Menardo et Martène. Gravius est, quod adicit: „Nec facile erit ad deprecativum sensum hanc detorquere, quæ extat in antiquo Pontificali Narbonensi: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in sæcula sæculorum, accipe sanitatem corporis, et remissionem peccatorum tuorum“ (Cf. 4, a). Ut appareat, quid de hac forma censendum sit, consideranda sunt ea, quæ illam præcedunt et eius sensum determinant. Immediate ante unctionem fit deprecatio, quæ in nostro Ordine ritualis romani constituit orationem primam post unctionem paucis verbis mutatis: „Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es dicens: *Infirmatur quis* [ponitur totus textus sacer], cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi, et eius sana vulnera, ac dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis ab eo expelle, et plenam ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus et sanatus ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per te, Salvator mundi, qui vivis.“ Sequitur rubrica: „Hic incipiat eum ungere sacerdos ... ita dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, regnantis in sæcula sæculorum. Accipe sanitatem corporis et remissionem omnium peccatorum tuorum.“ Igitur oratio prævia ita cohæret cum verbis modi imperativi inter ungendum dicendis, ut his infirmo cum fiducia ut concessa denuntientur bona, quæ precatione sacerdotali a Deo sunt postulata. Ergo essentialis supplicatio continetur in oratione, quæ fit immediate ante unctionem; verba imperativa sunt accessoria; cuiusmodi quondam etiam in ecclesiis orientalibus adhibita fuisse vidimus p. 145. Similis relatio inter deprecationem et verba imperativa occurrit in aliis Ordinibus, qui huc spectant. Secundum rituale Leodiense e. gr. a. 1553 editum sacerdos inungendo singula organa repetit: „Pax tecum. Et cum spiritu tuo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Accipe sanitatem. Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum (per auditum etc.)“. Orationem modi imperativi, quæ in hoc rituali præscribitur, non constituere formam essentialem, per se patet et in quadam rubrica satis clare indicatur. Cf. Martène, Ordo XVI. et XXXI. Idem iudicium ferendum est de formula, quam secundum *ritum mozarabicum* sacerdos inter ungendum proferebat: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in sæcula sæculorum. Amen.“ Hæc enim invocatio ss. Trinitatis consideranda est ut introductio ad sequentem deprecationem prolixam.[1])

Recte ergo concludimus: Deprecatio sufficiens continetur in omnibus formis indicativis, quas exhibent antiqui Ordines nobis conservati, imperativæ autem tantum ad explicandam efficaciam ritus essentialis serviebant.

IV. Forma sufficiens ad valorem Extremæ Unctionis est quævis deprecatio pro infirmo, sive formalis sive virtualis.

Hac assertione statuitur, ad hoc, ut forma sufficiat ad valorem sacramenti, non esse necessariam explicitam mentionem neque actionis ministri (per istam s. Unctionem), neque misericordiæ divinæ (et suam piissimam misericordiam), neque determinati cuiusdam effectus (indulgeat tibi Dominus, quidquid per sensus deliquisti), sed quamcunque orationem, etiamsi nihil eorum exprimat, quæ habet nostra latina, ad essentiam

[1]) Cf. Monumenta Ecclesiæ liturgica vol. V, p. 71 ss.

sacramenti sufficere, dummodo sit deprecatio formalis vel virtualis pro infirmo qua tali.

Probatur. Per Concilium Tridentinum novimus, s. Jacobum nos docere materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius salutaris sacramenti. Quoties vero minister proprius, presbyter, ungit infirmum fidelem „*oleo in nomine Domini*“, orans super eum oratione deprecativa, qualem in epistola canonica præscribi vidimus, totum præstat, quod s. Jacobus postulat; ergo etiam profert formam, quæ sacramento est essentialis. Qui hoc negat, eo ipso infitiatur, apostolum nos docere formam sacramenti.

Insuper validæ censendæ sunt omnes formæ deprecativæ et indicativæ, quæ continentur in Ordinibus nobis conservatis. Nam de deprecativis nullum unquam dubium est motum; de indicativis autem tantum ideo controvertebatur, quod multis theologis immerito videbantur carere omni deprecatione. Ergo nihil est dicendum necessarium ex parte formæ, quod non invenitur in omnibus. Atqui omnes solum unum elementum habent commune: deprecationem pro infirmo, quæ secundum quosdam Ordines est formalis, secundum alios virtualis. — Profecto præter hanc universalem rationem nihil extat in vigente forma latina, quod non in aliis quibusdam desideretur. Nam

1. „*Per istam sanctam Unctionem*“ nullo modo invenitur in forma ecclesiarum orientalium, prout nobis refertur a Symeone Thessalonicensi, Goar, modernis auctoribus ecclesiarum dissidentium et ab ipso Euchologio magno.[1]) Igitur cum theologi latini nunc satis communiter una ex parte agnoscunt valorem formæ græcæ, ex altera parte negant valere formam, quæ non exprimat actionem ministri (unctionem), nescio, an aperte sibi contradicant.

2. *Piissima misericordia Dei* in compluribus ex formis adductis (e. gr. 3, a, b, d) non commemoratur; ceterum hoc membrum paucissimi essentiale existimant.

[1]) Ecclesiæ unitæ Ruthenorum et Maronitarum inter verba: „sana servum tuum“ inseruerunt: „per istam unctionem“, puto, quia theologi occidentales eis scrupulum ingesserunt. Confer Benedictum XIV., Opera inedita (publ. Heiner) p. 364.

3. *Remissio peccatorum explicite* non petitur per formam græcam et complures latinas (e. gr. 3, a, b, c, d), quæ vel tantum sanitatem aut confortationem vel utrumque simul vel generatim salutem infirmo adprecantur.

Quare cum theologi catholici vix non unanimiter affirmant, essentialia esse saltem verba: „Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti“, distinctione opus est. Siquidem negandum est, necessariam esse explicitam petitionem remissionis delictorum; concedendum autem est, requiri aut explicitam aut implicitam. Una autem vel altera invenitur in omnibus formis; quin non potest abesse, si vera deprecatio pro infirmo fiat. Cum e. gr. forma, quæ dicitur Ambrosiana, petit confortationem ægroti, petit sacramenti effectum principalem, cum quo per se cohærent effectus secundarii secundum legem divinitus statutam; ergo implicite omnes effectus secundarii, inter hos remissio peccatorum exoratur. Cum antiqua forma ecclesiæ Turonensis solam sanitatem adprecatur, petit effectum maxime secundarium, qui per sacramentum obtineri non potest nisi mediante principali, qui per consequens implicite postulatur cum omnibus fructibus annexis, inter quos eminet remissio peccatorum. Cum antiquissima forma, quæ nobis tradita est (3, a), nullum effectum specialem commemorat, sed in genere salutem infirmi expetit, implicite omnes effectus particulares exoptat. Simile iudicium ferendum est de aliis formis.

Hinc dicendum est: essentia sacramenti exigit, ut omnes effectus eius vel explicite vel implicite oratione sacerdotis formaliter vel virtualiter deprecativa petantur. Hoc autem præstant formæ, quæ actu in Occidente et Oriente adhibentur, hoc præstiterunt omnes formæ, quæ ex antiquitate hodiedum supersunt, imo repugnat deprecatio pro infirmo qua tali, quæ hoc non præstet.

Tandem forma requiritur, ut determinet materiam ad sacramentum. „Omne sacramentum, inquit *s. Thomas,* efficit significando. Significatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum. Et ideo in omnibus sacramentis novæ legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet esse et res et verba“ (Suppl. q. 29, a. 7). Duo vero sacramenta, Confirmatio et

Unctio infirmorum, ex institutione divina habent materiam consecratam, quæ ipsa benedictione episcopali est ordinata ad certos effectus supernaturales. Unde per se solum necesse est, ut forma manifestet, materiam hic et nunc adhiberi ad eum finem, ad quem est consecrata. Hoc autem multis modis potest fieri. Hinc videmus, duo hæc sacramenta diversis temporibus et in diversis ecclesiis sub formis apparenter maxime discrepantibus esse perfecta. Nullius harum formarum valor rationibus a priori elidi potest. Liberum erat Domino, etiam Confirmationis et Extremæ Unctionis formas magis determinare, quam communis ratio sacramenti exigebat. Novimus, eum revera ob specialem finem s. Unctionis infirmorum constituisse, ut eius materia determinetur per verba deprecativa. Qui insuper postulat, ut deprecatio contineat expressam mentionem huius vel illius effectus particularis et actionis ministri, is tenetur, ut omissis rationibus speculativis clarum aliquod argumentum ex fontibus revelationis proponat. Hi vero fontes huiusmodi argumentum non præbent, sed clare talem opinionem excludunt.

Constitutis fine et essentia sacramenti iam quæstio satis impedita de eius effectibus est tractanda.

LIBER TERTIUS.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

T*homas Waldenis* O. Carm., malleus Wiclefitarum, longe ante Concilium Tridentinum omnes effectus s. Unctionis comprehendit scribens (Doctrinale antiquitatum fidei cath. Ecclesiæ t. II, p. 943 s.): „Oratio non cuiuscunque, sed fidei, puta communis Ecclesiæ, salvabit infirmum præsupposita fide et humilitate ægroti. Redimet eum a venialibus, salvabit eum a mortalibus, quibus non adhibuit pœnitentiam, et iam facultate privatus sensus aut verbi, fide cordis intus digne conteretur. Et præter hæc angelos beatos in suum citabit præsidium; occurrent Sancti Spiritus beatorum; fugient dæmones sacræ Unctionis odorem; intentio animi erit cœlis intentior, omnis affectus Deo devotior et mens fortior in omni bono, et ex interiori exuberante lætitia alleviatum se a Domino sensabit æger in membris; et ita, ut ex fide loquar, sicut credidit, fiet ipsi virtus intima sacramenti.“ Quod „doctor præstantissimus“ incensis verbis profert, id *summa auctoritate distincte Patres Tridentini docent* (Doctr. de Extrema Unctione c. 2): „Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.“

Quatuor igitur sunt effectus Extremæ Unctionis: 1. remissio peccatorum tum mortalium tum venialium; 2. abstersio reliquiarum peccati, maxime pœnæ temporalis; 3. alleviatio et confortatio animæ ægroti, qua valeat cum fructu perferre mala, quæ ex gravi morbo solent consequi, et tentationibus dæmonis resistere; 4. interdum, ubi saluti animæ expedierit, sanitas corporalis.

CAPUT I.

DE EFFECTIBUS SPIRITUALIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

In affirmandis enumeratis effectibus spiritualibus maxima pars theologorum iam ante Concilium convenit, quantumvis dissenserint de modo, quo singuli conferantur. Immerito a quibusdam, e. gr. *Dicastillo* (De sacramentis, tract. 7, dubit. 6) asseritur, s. Bonaventuram, Scotum, Richardum a Media Villa, Durandum, Almainum, Dom. Sotum aliosque ante Tridentinum, postea Vazquez negasse, s. Unctionem unquam efficere remissionem peccati mortalis. Verum quidem est, hos auctores non concedere, remissionem culpæ letalis esse effectum *proprium et per se intentum* sacramenti. Attamen aliqui eorum expresse affirmant, s. Unctionem *per accidens* conferre gratiam vel certo vel probabiliter. Scribit e. gr. *Sotus* (In IV, dist. 23, qu. 1, a. 2, concl. 3): „Extrema Unctio præsupponit spiritualem vitam, languidam tamen, debilem et infirmam; atque adeo non est instituta, ut *per se directe* tollat mortem originalis vel mortalis culpæ, sed hoc est ei *accidentarium* sicut omnibus sacramentis, si peccatum mortale sine obice inveniat. Quare Jacobus non dixit simpliciter, quod directe remittit peccata sicut Pœnitentia, sed quod, si infirmus in peccatis est, remittentur ei.“ *Vazquez* autem agens de doctrina Concilii Tridentini, s. Unctionem delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergere, „constat, inquit, nomine peccatorum [Concilium] aliud intelligere quam reliquias, nec de mortalibus hoc est intelligendum, *ut per accidens in attrito,* qui se putat contritum, remittantur; hic enim effectus est sub opinione, et assignari deberet in reliquis omnibus, cum tamen non assignetur. Loquitur ergo de effectu *per se* huius sacramenti

Concilium“ (Comment. in III. p. s. qu. 87, a. 3, dub. 2). Alii, ut s. Bonaventura, Scotus, Durandus etc. assignant ut effectum principalem et per se remissionem peccatorum venialium. Utrum per accidens mortalia remittantur an non, nec affirmant nec negant. Horum doctorum sententia eruenda est ex iis locis, in quibus generatim quæstionem tractant, num sacramenta vivorum conferant primam gratiam non ponentibus obicem, vel ex iis locis, in quibus eandem quæstionem solvunt, quod ad Eucharistiam spectat. Inde autem constat, Scotum et Durandum et qui eos sequuntur, remissionem mortalium per accidens etiam in Extrema Unctione concedere,[1]) mentem s. Bonaventuræ non liquere. Verum tamen est, omnes hos doctores nimis deprimere efficaciam sacramenti in delendis culpis letalibus. *Sotus* asserit de pœna temporali (L. c. concl. 4): „Ipsa sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, dum delent culpam, remittunt partem pœnæ, et reliqua pars non per Extremam Unctionem, sed per ignem purgatorii expurgatur“. Quod paucis posterioribus assensu dignum est visum. — Jam singuli effectus sunt considerandi.

ARTICULUS I.

REMISSIO PECCATORUM.

A. Ex doctrina Concilii Tridentini proposita et ex canone 2 addito: „Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; a. s.“, *de fide certum est, remissionem peccatorum esse effectum sacramenti.* — Clarissime hic effectus enuntiatur a s. Jacobo: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Formulæ consecrationis olei infirmorum omnes vel explicitis verbis[2]) vel æquivalenter[3]) postulant sanctificationem olei, ut fiat medium remissionis peccatorum. Ipsa forma in Occidente a longo tem-

---

[1]) Cf. hi auctores in l. IV. sent. dist. 9.

[2]) Formula euchologii Serapionis (p. 53) rogat Deum, ut mittat vim sanantem in oleum, ut fiat *εἰς χάριν ἀγαθὴν καὶ ἄφησιν ἁμαρτιῶν κ. τ. λ.*, formula ecclesiarum orientalium petit olei sanctificationem, „ut in medelam omnis passionis carnalis et *spiritualis inquinamenti* et omnis denique mali depulsionem ex illo unctis fiat“ (p. 118).

[3]) E. gr. antiquissima formula ecclesiæ latinæ; cf. supra p. 129.

pore usitata hunc unum effectum expresse commemorat: „Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum etc. deliquisti.“[1]) Idem saltem implicite continet forma ecclesiarum Orientis, qua invocatur Pater cœlestis, „medicus *animarum* et corporum“, ut sanet servum suum a circumdante eum infirmitate corporali et *spirituali.* Insuper omnes Ordines administrandi s. Unctionem nobis asservati et euchologium Græcorum exhibent orationes, ut Deus per sacramentum remissionem peccatorum concedat.[2])

Eadem veritas ex testimoniis Conciliorum et Patrum libro primo prolatis manifesta est.

Porro cum fontes revelationis modo indicati s. Unctioni vim delendi peccata vel indefinite tribuant vel diserte ad omnes culpas extendant, nunquam ad veniales restringant, certum est, Extrema Unctione dimitti peccata etiam mortalia. Idem confirmatur ex propria ratione ipsius sacramenti, quod a piissimo Salvatore institutum est, ut homini christiano in periculo mortis constituto omnia auxilia præstet, quibus in eo articulo, a quo æternitas pendet, indiget. Potest autem accidere et sine dubio non raro accidit, ut moribundus in gravi peccato constitutus Pœnitentiam quidem recipere non possit, sed infusioni gratiæ ope sacramenti obicem non ponat. Igitur per Extremam Unctionem obtinebit iustificationem. „Commendat hoc, inquit *Suarez* (Disp. 41, s. 1, n. 16), maxime Christi Domini prudentiam circa salutem æternam hominum illiusque desiderium; nam quia ab illo momento æternitas pendet et damnum, quod tunc incurritur circa æternam salutem, irreparabile est potestque multis de causis contingere, ut vel alia remedia applicari non possint, vel certe ut sine effectu

[1]) Alias formas quondam in Occidente usitatas concordare, vide supra p. 134.

[2]) Cf. *Martène* et *Launoi* ll. cc. Ipse ritus hodiernus præscribit orationem iam commemoratam: „Domine Deus, qui per apostolum tuum Jacobum locutus es: *Infirmatur quis in vobis?* etc. — cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, et *dimitte peccata,* atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia.“

applicata sint, ideo huic extremo remedio propriam virtutem tribuit ad supplendum hunc defectum subveniendumque homini in tanto periculo constituto. Quo fit, ut hæc virtus maxime necessaria fuerit propter periculum mortalium peccatorum; hinc vero consequenter et quasi a fortiori data est ad tollenda etiam venialia et frequentius circa hæc exercetur, quia facilius contingit superesse venialia peccata nondum remissa quam mortalia.“

B. De dispositione necessaria, ut infirmus per s. Unctionem obtineat remissionem peccatorum mortalium.

Est sententia theologorum communissima, cum Extrema Unctio sit sacramentum vivorum, ægrotum priusquam illam recipiat, per se teneri ad procurandum in se statum gratiæ per Pœnitentiam vel per contritionem perfectam; tantum in casu, quo infirmus propter impotentiam vel ignorantiam ab hac obligatione eximatur, hoc medium salutis peccata vere — sive actu sive habitu — attriti delere. *Unde inferunt, Extremam Unctionem delere peccata,* 1. si infirmo usu rationis privato, sed habitualiter attrito administretur, 2. si infirmus post ultimam validam confessionem vel post ultimum actum contritionis in peccatum mortale inciderit et hoc ipsum nesciat, elicuerit tamen actum attritionis post ultimam letalem culpam, 3. si se putet contritum, cum sit tantum attritus, vel si nesciat contritionem requiri. — P. *Billot* (De Ecclesiæ sacramentis t. II, p. 237, nota) ex eo, quod s. Unctio iustificationem per se et ex proprio suo fine inducat non secus ac duo sacramenta mortuorum, concludit, infirmum, qui confiteri non possit, non teneri ad eliciendum actum perfectæ contritionis in ordine ad Extremam Unctionem recipiendam, sed sufficere attritionem cum voto sacramenti Pœnitentiæ incluso. — Multo longius ex parte progressus Hermannus *Schell,* quondam professor Wirceburgensis, censet, si infirmus propter statum morbi nec contritionis nec attritionis sit amplius capax, Extremam Unctionem peccata mortalia tamquam *sacramentum naturæ* delere, dummodo ne infusioni gratiæ obex ponatur per peccatum contra Spiritum Sanctum habitualiter

perdurans.[1]) *Eius rationes pro hac sententia sunt:* 1. Extrema Unctio est sacramentum proprium et independens a Pœnitentia. Hoc autem non esset, si in omni casu attritio exigeretur.[2]) Quæ ratio ex eo confirmatur, quod non apparet, quomodo potestas principis huius mundi vere Christo sit subiecta, si negetur existere medium salutis pro infirmo peccatis mortalibus obnoxio et propriis actibus incapaci.

---

[1]) Katholische Dogmatik III. p. 629 ss.

[2]) Die letzte Ölung ist allerdings complementum pœnitentiæ, allein nicht wie ein ergänzender Bestandteil des Bussakramentes, sondern als eigentümliches und selbständiges Sakrament. — Die Busse fordert zur Tilgung der persönlichen Sünden die persönliche Bekehrung, Beicht und Genugtuung: so ist es den normalen Wesensverhältnissen des Menschen angemessen. Was die Persönlichkeit gesündigt hat, soll sie durch Leistung dessen, was sie vermag, zum geeigneten Gegenstande der Lossprechung vorbereiten und umgestalten. Daher sind die Materie des Bussakramentes die persönlichen Sünden, von reumütigen Herzen der Schlüsselgewalt in der Beicht unterstellt, d. i. die bereuten und gebeichteten Sünden. — Wenn indes diese Leistung der persönlichen Busse und damit die Herstellung der Materie für das Bussakrament einigermassen oder ganz unmöglich wird, wenn die sittliche Persönlichkeit von den Fesseln der Krankheit gebunden und von der Schwäche der zerfallenden Natur gelähmt wird, dann ist dieser normale Weg zur Sündentilgung erschwert oder versperrt. Es ist dabei zu beachten, dass Krankheit und Ohnmacht, welche als Vorboten des Todes die persönliche Bethätigung des Seelenlebens hemmen oder binden, Folgen und Überbleibsel der Sünde, und insofern Fesseln sind, mit denen Satan das Menschengeschlecht knechtet. Luc. 13, 16. Die Thatsache dieser Macht Satans, der Herrschaft des Todesfürsten ist noch im Bestand, wenn sie auch von der weitergreifenden Macht der Erlösungsgnade seit dem Gotteswort Gen. 3, 15 und Joh. 16, 33 im Prinzip überwunden ist, d. h. wie eine zernierte Festung umfangen und dem vollkommenen Triumph des Menschensohnes dienstbar gemacht wird. Dies würde nicht geschehen, wenn den teilweis oder ganz von dem Fürsten dieser Welt mittelst der verschiedenen Siechtümer gebundenen Menschen kein anderes Heilmittel zur Sündentilgung gespendet werden könnte, als das Bussakrament, dessen Gebrauch für sie durch ihre Gebundenheit erschwert oder unmöglich ist. Die letzte Ölung ist dieses Heilmittel, welches auch der gebundenen Persönlichkeit die Sündenvergebung bringt, wenn nur kein Riegel der Gnade den Weg in die Seele geradezu verwehrt — in habitueller (zuständlicher) Fortdauer der Sünde wider den hl. Geist“ (p. 631 s., cf. p. 634).

2. Ad valorem sacramenti Pœnitentiæ formalis attritio, formalis aversio a peccatis mortalibus requiritur, quia actus pœnitentis sunt materia sacramenti. Extrema autem Unctio non dependet ab actibus subiecti tamquam a materia sua, sed hos actus solum, si elici possint, ad dignam præparationem postulat. Si ægrotus per morbum impediatur, quominus illam præparationem exerceat, sufficit virtualis aversio a peccato, quæ habetur in proposito hominis catholici, qui religiose vivit, digne recipiendi in periculo mortis sacramenta Ecclesiæ.[1])

---

[1]) Da die Reue mit Beicht und Genugtuung die Materie des Bussakramentes bildet, so ist für die Giltigkeit des letzteren die formelle Erweckung der (unvollkommenen) Reue (Attrition), die formelle Abwendung von den begangenen Todsünden erforderlich. Die letzte Ölung ist jedoch nicht durch diese persönlichen Bussakte als ihre Materie vermittelt und bedingt, sondern fordert sie nur — im Falle der Möglichkeit — zur würdigen Vorbereitung. Hieraus ergiebt sich, dass die virtuelle Abwendung von der Sünde, welche in der religiösen Hinwendung zu Gott überhaupt liegt, zum giltigen Empfang der letzten Ölung mit der Gnadenwirkung des Sündennachlasses genügt. Es ist dies wichtig, weil Bewusstlosigkeit und Schwäche eben oft unvermutet den Menschen überfällt und nur noch den Empfang der letzten Ölung zulässt (auch bei Protestanten, für welche etwa die Hilfe eines katholischen Priesters angerufen wird und allein angerufen werden könnte). Ein Katholik, der religiös lebt, hat virtuell die Absicht und den unbedingten Entschluss, in der Todesgefahr die kirchlichen Sakramente nicht bloss zu empfangen, sondern würdig zu empfangen. Falls er also unvermutet von der Todesohnmacht überfallen würde und nur mehr die letzte Ölung empfangen könnte, ist jener virtuelle Wille die Grundlage der sakramentalen Wirkung auch ohne ausdrückliche und formelle Erweckung der Attrition: et si in peccatis (sc. mortalibus) sit, dimittentur ei. Es kann dies unmöglich beanstandet werden, dass Gott der hl. Geist den religiösen Sinn, wie er z. B. beim Eintritt eines Schlaganfalls infolge eines Aktes habituell vorhanden war, zum Stützpunkt seines Heilswerkes machen könne, da er ja in der Taufe der Unmündigen und in der Sündenvergebung der unvollkommen Reuigen noch Grösseres vollbringt: dort ohne den Stützpunkt eines Habitus überhaupt, hier ohne den Ausgangspunkt der von dem Gesetz geforderten Gottesliebe. Warum soll er nicht den von Krankheit Gebundenen mit Benützung der habituellen guten Willensansätze zur vollständigen Genesung der Seele bringen können und durch die letzte Ölung bringen wollen? Dies bringt die ganze Eigenart dieses Sakramentes und seiner Zweckbestimmung für die letzte Bedrängnis des Erlösten durch den Fürsten dieser Welt mit sich. Die Sünde und ihre Tilgung ist nach

Schell acriter invehitur in theologos catholicos, qui hanc novam theoriam admittere recusant. Non esse, ait, spiritum Dei, qui salutem animarum impediat, ut eam tutam reddat.[1]) Ceterum cum secundum eius doctrinam solum peccatum contra Spiritum Sanctum plene evolutum tam horrendum sit, ut post mortem eius remissio obtineri nequeat, et cum hoc unum peccatum habitu psychologico perdurans excipiat ab efficacia sacramenti naturæ, vis Extremæ Unctionis ab eo affirmata in eius systemate nihil videtur conferta ad salvandas animas. *Asserimus*

I. Infirmus peccato mortali obnoxius per se gravi obligatione tenetur, ut ante susceptionem Extremæ Unctionis per sacramentum Pœnitentiæ vel per contritionem perfectam in se statum gratiæ procuret.

Probatur. Communis fides Ecclesiæ et unanimis consensus theologorum tantum duo sacramenta mortuorum novit, Baptismum et Pœnitentiam. Unde Extrema Unctio ab omnibus numeratur inter sacramenta vivorum. Ex hac veritate *Suarez* assertionem nostram his rationibus probat (Disp. 41, s. 1, n. 19): „Non opinor facere hoc sacramentum ex attrito contritum eum, qui sciens et videns accedit ad hoc sacramentum cum sola attritione et absque sacramento Pœnitentiæ, etiamsi per eum non stet confessio, sed confiteri non possit; quia saltem per eum stat, quominus contritus accedat. Semper enim conteri potest et ad hoc tenetur per se loquendo, nec excusatur ratione ignorantiæ, ut supponimus, nec ratione

Jacob V, 15 der Zielgegenstand der hl. Ölung (bei persönlicher Gebundenheit); also kann das einfache Vorhandensein alter Todsünden an sich kein Hindernis der sakramentalen Wirkung sein, sondern nur das fortdauernde Widerstreben des Willens. Ist dies nicht vorhanden, so tilgt die letzte Ölung jede Sünde, die sie vorfindet (p. 633).

[1]) Immer regt sich die Versuchung, die Jonas (Jon. 4) und Elias (3. Reg. 19) erfuhren. Allein es ist nicht Gottes Geist, der die Rettung der Seelen erschwert, um sie sicher zu stellen; dieser Sitten- und Seeleneifer brächte es trotz all seiner gutgemeinten Strenge nach dem Prinzip: omne rarum carum nur dahin, dass die Hölle recht bevölkert würde.

huius sacramenti, quia ipsum, per se loquendo, est sacramentum vivorum licet debilium, et ideo per se supponit gratiam nec ex directa intentione institutum est ad illam primo conferendam. Est ergo contra institutionem huius sacramenti, quod quis sciens et videns, se esse mortuum, i. e. in statu peccati mortalis, ad illud accedat, quantumvis sit attritus. Item secluso sacramento Pœnitentiæ aut Baptismi obligat naturale præceptum contritionis, quia illud erat per se medium necessarium ad remissionem peccati, cuius necessitas non cessat nisi interveniente alio medio ad eundem finem per se primo institutum, quod de hoc sacramento sicut de aliis dici non potest; alias tam esset per se institutum sacramentum in remedium peccati sicut Pœnitentia, quod plane falsum est."

Aliis verbis: Christus Dominus Extremam Unctionem instituit tamquam sacramentum vivorum. Eo ipso vult, ut ægrotus eam recipiat vivus, i. e. in statu gratiæ. Ergo infirmus in peccato mortali existens, qui confiteri non potest, per se gravi obligatione tenetur ad præmittendam contritionem neque iustificabitur cum sola attritione, nisi impotentia aut ignorantia eum excuset. Quare assertio nostra communi consensu theologorum tamquam veritas indubia admittitur, etiam a *Schell*.

Ratio, quam Billot opponit, non videtur sufficere, ut tuto ab hoc consensu recedamus. Nam infirmum, qui confiteri non potest, non teneri elicere actum perfectæ contritionis in ordine ad Extremam Unctionem suscipiendam, ex eo infert, quod effectus iustificationis in hoc sacramento habeatur per se et ex proprio eius fine non secus ac in duobus sacramentis mortuorum, quæ sunt Baptismus et Pœnitentia. — At negari non potest, s. Unctionem hunc effectum non habere nisi ex *secundario* suo fine, cum ex primaria intentione divini institutoris non ad primam gratiam causandam, sed ad gratiam augendam cum iure ad specialia auxilia ordinetur. Ergo tantum in quibusdam circumstantiis confert remissionem culpæ letalis. Constat, quod statim probabimus, Dominum voluisse, ut hunc effectum habeat, si infirmus attritus nec confiteri nec contritionem elicere valeat. Unde autem probabitur, Dominum constituisse, ut hoc medio salutis ægrotus attritus primam gratiam consequatur, si confiteri non possit et *conteri*

simpliciter nolit? Sane si negetur, ægrotum per se obligari, ut pro posse in se procuret statum gratiæ, priusquam s. Unctionem recipiat, ne confiteri quidem, etiamsi valeat, omni in casu tenebitur. Confessio enim ab eo non poterit postulari ideo, quod s. Unctio sit sacramentum vivorum, secus deficiente facultate confitendi adigeretur ad contritionem; neque semper ideo, quod imminet periculum mortis, nam Extrema Unctio potest administrari in stadio infirmitatis, in quo peccator nondum sub culpa mortali ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ adstringitur; non ideo, quod Ecclesia positivo mandato præscribit confessionem præviam, cum rationes graves a præcepto positivo excusent.

Quare videtur esse permanendum in communi sententia, ægrotum gravis peccati reum, qui confiteri non' possit, per se obligari ad contritionem perfectam. — Ceterum si veram existimet sententiam, quam improbamus, saltem ob errorem eximetur ab hac obligatione et cum sola attritione per s. Unctionem iustificabitur.

II. Si infirmus peccati mortalis reus per impotentiam vel ignorantiam ab obligatione confitendi vel eliciendi actum contritionis perfectæ excusatur, per Extremam Unctionem iustificatur, dummodo saltem habitualiter sit attritus.

Probatur assertio, quæ pariter communem theologorum doctrinam pronuntiat. Certum est, Extremam Unctionem per secundariam intentionem Domini esse destinatam ad gratiam primam saltem tunc conferendam, cum infirmus, qui nec confiteri nec conteri valet, *actu* est attritus. Si enim ne in hoc quidem casu fructum gratiæ conferret, id nunquam præstaret. Jam vero dolor et detestatio peccati non pertinet ad essentiam ullius sacramenti nisi Pœnitentiæ. Ergo etiam in Extrema Unctione solum exigitur secundum universalem legem pœnitentiæ, secundum quam nullum peccatum remittitur, nisi prius sit retractatum. Hæc autem retractatio iam est posita ab eo, qui habitualiter est attritus, i. e. qui post ultimum peccatum mortale veram attritionem elicuit, quam non revocavit. Igitur si infirmus per impotentiam ab obligatione confessionis vel contritionis eximitur, per Extremam Unctionem iustificatur, dummodo saltem sit habitualiter attritus. *Ulterius:* ille, qui nescit se esse in statu peccati, vel qui putat se esse contritum, cum habeat tantum attritionem, vel qui existimat, contritionem in ordine ad s. Unctionem per se non postulari, uno verbo: infirmus, qui per ignorantiam ab obligatione eliciendi actum contritionis perfectæ excusatur, pariter est in impotentia non quidem physica, sed morali satisfaciendi præcepto contritionis qua tali, pariter indiget auxilio sacramenti, ad quod æque est dispositus atque ille, qui impotentia physica laborat. Ergo etiam ille infirmus, qui per ignorantiam ab obligatione eliciendi actum contritionis perfectæ excusatur, per Extremam Unctionem iustificatur, dummodo saltem habitualiter sit attritus.

III. Per Extremam Unctionem nunquam remittitur peccatum mortale, nisi præcesserit saltem attritio.

Per hanc assertionem non affirmatur, ad *valorem* sacramenti requiri attritionem infirmi gravi culpa obstricti, nec negatur, sacramentum posse reviviscere; sed tantum statuitur, in nullo casu vi s. Unctionis obtineri iustificationem, priusquam elicita sit attritio.

Probatur. In præsenti ordine providentiæ divinæ ad remissionem culpæ letalis prærequiri pœnitentiam, de fide certum est. Docet enim Concilium Tridentinum (Sess. XIV, c. 1): „Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur.“ Necesse non est afferre molem argumentorum, quibus theologi hanc veritatem revelatam probant. Ipse enim *Schell* in suo tractatu de sacramento Pœnitentiæ docet, pœnitentiam esse conditionem essentialem omnis remissionis peccatorum, quæ conditio nulla alia re suppleri possit;[1]) quam veritatem plurimis textibus Scripturæ et Pa-

[1]) L. c. p. 568. Die Busse ist an sich eine sittliche Tugend, die innere Umkehr des Willens von der seitherigen Sünde — in Gesinnung und That, mit schmerzlichem Abscheu und thatkräftiger Sühne hinsicht-

trum probat.[1]) Jam vero evidens est, solam absentiam actualis et habitualis adhæsionis animi ad peccatum contra Spiritum Sanctum non esse pœnitentiam. Sed nec dispositio, qua homines catholici, dum sunt corpore sani, communiter intendunt, superveniente quondam morbo letali digne recipere sacramenta morientium, vero sensu pœnitentia dicitur. Ista enim dispositio simul consistere potest cum actuali peccato et cum proposito iterum peccandi in posterum. Pœnitentia autem essentialiter includit aversionem a peccato, contritionem late dictam. Quare Concilium Tridentinum idem, quod docuit loco indicato de pœnitentia, repetit c. 4 de contritione. „Contritio . . animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius . . Declarat igitur sancta synodus, *hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.*“ *Schell* existimat, se definitionibus Ecclesiæ satisfacere dicendo, intentionem digne recipiendi sacramenta tempore mortis advenientis, quam peccatores fideles communiter gerunt, posse dici pœnitentiam virtualem. At nihil quidem obstat, quominus illa intentio dicatur pœnitentia virtualis. Sed talis pœnitentia virtualis non est pœnitentia, quæ necessitate medii ad iustificationem requiritur. Nam ne implicite quidem, neque actu neque habitu, continet animi dolorem et detestationem de peccato commisso, sed solum propositum aliquando tempore futuro eliciendi dictos actus. Cum theologi docent, in quibusdam circumstantiis sufficere pœnitentiam virtualem sive implicitam, hoc termino intelligunt actum, cum quo adhæsio ad peccatum consistere non potest, ex quo consequentur vi motivi proprii dolor et detestatio peccatorum sequeretur, si simul cum illo actu memoriæ occurrerent. — Ceterum cum *Schell* in tractatu de Pœnitentia asserit, pœnitentiam, quæ nullo alio medio suppleri queat, esse internam

lich derselben. Die Änderung der Sinnes- und Handlungsweise für sich allein ist noch nicht Busse. Die sittliche Busse ist die innere Bedingung jeder Sündenvergebung, als solche unersetzlich. Ultima verba a me sunt subsignata.

[1]) L. c. 569 ss.

aversionem voluntatis a peccato commisso cum dolore et detestatione eiusdem et efficaci expiatione, contradicit iis, quæ in tractatu de Extrema Unctione docet.

Expendendæ manent rationes, quibus Schell suam sententiam stabilire conatur. Prima, quam supra posuimus, est: Extrema Unctio est sacramentum proprium et independens a Pœnitentia. Hoc autem non esset, si in omni casu attritio exigeretur. — Verum Extrema Unctio est quidem sacramentum proprium et est independens a Pœnitentia in producendis effectibus, ad quos ex primaria intentione divini institutoris ordinatur. At eam esse independentem a sacramento Pœnitentiæ etiam in remissione peccatorum mortalium, ad quam tantum secundario est destinata, neque ex s. Scriptura neque ex ritu, quo administratur, neque generatim ex Traditione probari potest. Ipse Schell ne tentat quidem probationem suæ sententiæ ex fontibus revelationis, immo eam implicite reicit, cum recte docet, ægrotum, cui per s. Unctionem peccata mortalia sunt remissa, ad confessionem horum peccatorum obligari, cum recuperaverit facultatem id præstandi.

Præterea Extremam Unctionem in remittendis peccatis esse independentem a Pœnitentia, non potest componi cum doctrina Concilii (Sess. XIV, c. 2), sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium esse, ut nondum regeneratis ipsum Baptismum. Nam nondum regeneratis Baptismus in re vel in voto ita est necessarius, ut sine eo, etiamsi inculpabiliter omittatur, iustificatio nequeat obtineri (Sess. VII, can. 4). Ergo etiam Pœnitentia peccatoribus baptizatis ita est necessaria, ut sine ea re vel voto suscepta sub nulla conditione ad statum gratiæ pertingere valeant. Quare neque Extrema Unctio in remissione peccatorum mortalium est independens a sacramento Pœnitentiæ. — Ceterum ut hoc etiam animadvertamus, etsi Extrema Unctio esset omnino independens a Pœnitentia, nihil plane sequeretur pro sententia, quam examinamus. Solum enim concedendum esset, attritionem eius, qui per sacram Unctionem Deo reconciliatur, non debere includere votum confessionis, per consequens eum non obligari, ut recurrat ad potestatem clavium, si postea reconvalescat. Nam dolorem et detestationem de

peccatis ad percipiendam gratiam sanctificantem ope Extremæ Unctionis requiri, minime deducitur ex eo, quod hoc sacramentum ab alio sit dependens ideoque eius votum supponat, sed ex universali ratione, quod nulla iustificatio, neque sacramentalis neque extrasacramentalis, a Deo concedatur sine præmisso actu veræ pœnitentiæ. Sane Baptismus est sacramentum maxime independens a Pœnitentia, unde huius nec explicitum nec implicitum votum prærequirit. Numquid inde inferre licet, Baptismum aliquando peccata mortalia hominis adulti delere sine præmissa attritione?

Neque solide confirmatur ratio, quam reicimus, *ex subiectione satanæ sub dominio Christi.* Nunquam enim homo contra absolutam voluntatem Christi incidit in tristem illum statum, quo salus eius spectatis solis causis secundis sit exclusa; nunquam Christo eripitur potestas, ut moribundo præter cursum naturæ eum usum rationis restituat, qui necessarius est ad præstanda ea, quæ necessitate medii requiruntur ad salutem; nunquam Christus interitum hominis permittit nisi ob rationes, quæ infinitæ sanctitati congruant. Si dicatur, potestatem principis huius mundi non esse vere Christo subiectam, nisi existat medium ad hoc ordinatum, ut infirmo peccatis mortalibus obnoxio et ad ponendos actus salutares incapaci succurratur, logice sequetur, tale medium salutis pro iisdem peccatoribus esse institutum, si ob absentiam sacerdotis Extremam Unctionem non possint percipere. *Schell* quidem ab hac consequentia non abhorret, sed opinatur, pro talibus peccatoribus et generatim pro omnibus etiam non baptizatis, qui neque per proprios actus neque per sacramenta amplius ad iustificationem pervenire possunt, ipsam mortem qua talem, utpote quæ nos assimilet Christo pro nobis morienti, esse constitutam tamquam quasi-sacramentum iustificans omnes, qui gratiæ non repugnant per habitualem adhæsionem ad peccatum contra Spiritum Sanctum. Quantopere talis opinio communi doctrinæ et fidei Ecclesiæ adversetur, non est, cur multis ostendamus. Cum Conc. Trid. sess. XIV, c. 4 docet, attritionem, etiam actualem et formalem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere non posse, evidenter excludit opinionem, in hora mortis sæpe sine sacramento et

sine ullo actu pœnitentiæ prævio peccatoribus statum gratiæ contingere.

Altera ratio, quam Schell ad probandam suam opinionem producit, est: Ad valorem sacramenti Pœnitentiæ formalis attritio, formalis aversio a peccatis mortalibus requiritur, quia actus pœnitentis sunt materia sacramenti. Extrema autem Unctio non dependet ab actibus tamquam a materia sua, sed hos actus solum, si elici possunt, ad dignam præparationem postulat. — Verum hæc ratio ad summum evincit, attritionem subiecti non esse semper necessariam ad *valorem* Extremæ Unctionis, quod libenter concedimus et infra probabimus; sed minime ostendit, attritionem non semper esse necessariam ad consequendum *fructum gratiæ habitualis.* Ad hoc inferendum demonstrandum esset, in sacramento Pœnitentiæ dolorem et detestationem peccatorum *tantum* ideo requiri, quia actus pœnitentis sunt materia signi sacramentalis, nequaquam vero ideo, quod Pœnitentia ordinatur ad remissionem peccatorum; quod certe nunquam demonstrabitur. Verum est, s. Unctionem attritionem ægroti gravis culpæ rei solum ad dignam præparationem postulare, sed ad dignam præparationem, sine qua nunquam remissio peccatorum conceditur.

Quamvis sententia modo excussa minime possit admitti, tamen censeo, *verum et pium esse motivum,*[1]) quod *Schell* ad eam asserendam induxit, atque existimo, eum non pauca adducere momenta digna, quæ a theologis serio perpendantur. Consideremus casum, quem maxime præ oculis habet. Aliquis homo, qui generatim religiose vixit, ex infirmitate graviter est lapsus, sed statim sibi proposuit sinceram et rectam confessionem. At priusquam propositum exequeretur et etiam priusquam attritionem eliceret, inopinato apoplexia tactus vel alius morbi insultu occupatus usu rationis, secundum cursum

[1]) *Billot,* qui cum studio revocavit doctrinam antiquorum scholasticorum de „re et sacramento“, in resignatione ægroti in manus misericordiæ Dei in ordine ad recipiendum imploratum levamen atque indulgentiam delictorum, rem et sacramentum Extremæ Unctionis constituit, quod omnino concedendum esse videtur, dummodo addatur, ex dicta resignatione in subiecto oriri titulum, qui per se exigat „rem tantum“. Ille autem effectus, qui est res et sacramentum, semper producitur, cum ritus gratiæ efficax valide recipitur.

naturæ irreparabiliter est privatus. Sola Extrema Unctio ei administratur, de cuius valore ob animi dispositionem ægroti habitualem dubitare non licet. Igitur ab Ecclesia efficaciter est repositus in manu misericordiæ infinitæ ideoque per se habet ius ad indulgentiam divinam. Non ponit per habitualem affectum ad peccatum impedimentum, quin percipiat influxum miserentis Dei, cui alioquin non deest potentia eum iuvandi. Nonne durum est dicere, talem hominem ob *solam* culpam theologicam nondum actu retractatam nullum prorsus fructum ex sacramento piissimæ misericordiæ divinæ percipere et sine ulla spe salutis æternæ damnationi esse addictum, idque quamvis supernaturale remedium maxime ob necessitates, quæ in hora mortis hominem christianum urgere possunt, a Redemptore et Salvatore animarum sit institutum? Multo magis pietati congruit opinari, Deum talem hominem suæ misericordiæ per validam susceptionem sacramenti ad hoc ordinati commissum non abicere, sed speciali suo influxu cursum morbi ita dirigere, ut ægrotus usum rationis recipiat, quantum requiritur, ut sufficientem actum doloris adiuvante gratia elicere valeat. — *Concilium provinciale Eboracense* celebratum a. 1466 statuit:[1] „Si contingat eis [ægrotis] phrenesi vel quacunque alienatione mentis laborare, si ante alienationem erant de sua salute solliciti, consulimus, nihilominus eis hoc sacramentum fiducialiter ministretur. Credimus enim et *experimento didicimus*, quantumcunque phrenetico, si tamen sit prædestinationis filius, ipsius susceptionem vel *ad habendum dilucidum intervallum* vel saltem ad spirituale gaudium sive commodum, utpote ad augmentum gratiæ, profuturum.“ Cum etiam ad habendum spirituale gaudium vel commodum, quo obtineatur augmentum gratiæ, requiratur, ut homo mentis sit compos, „dilucidum intervallum“, quod phreneticus ope Extremæ Unctionis sub indicata a memorata synodo condicione consequitur, nequit esse nisi facultas acquirendi statum gratiæ et per eum beatitudinem æternam.

Nota. Non sine acerbitate olim disceptatum est, utrum Extrema Unctio primam gratiam *per se* an *per accidens* causet. Verum non videtur posse esse lis nisi de verbo. Conveniunt enim omnes, eam esse sacramentum vivorum ideoque ex primaria voluntate Domini supponere statum gratiæ. Si igitur dicitur *effectus per se* ille, ad quem sacramentum primario ordinatur, s. Unctio non per se, sed per accidens primam gratiam causat. Attamen remissio peccati mortalis ope supernaturalis adiutorii vere est a Domino intenta, hic effectus etiam fuit ratio et motivum institutionis illius, quare expresse in fontibus revelationis commemoratur. Quamquam vero plurimis theologis valde probabile esse videtur, etiam alia sacramenta vivorum peccatoribus non ponentibus obicem conferre primam gratiam, tamen non affirmant, illa etiam ideo esse instituta, ut primam gratiam causarent, hunc effectum etiam fuisse rationem et motivum, cur Christus Ecclesiæ daret e. gr. sacramenta Ordinis et Matrimonii. Igitur supposita veritate huius sententiæ alia sacramenta vivorum remissionem peccatorum mortalium non efficiunt secundum specificam suam rationem, sed secundum genericam suam efficaciam, quatenus Dominus voluit, ut communem suum effectum, gratiam sanctificantem, semper efficiant, si obex non resistat; quare nunquam conferunt gratiam, *ut* deleant peccata gravia, sed e converso *quia* ob alios fines conferunt gratiam, stricte per accidens peccata delent. Videtur autem minus convenire usui termini *„per accidens“*, ut dicatur causa effectum aliquem producere per accidens, ex cuius intentione fuit constituta. Unde præferendum est, ut Extrema Unctio dicatur causare remissionem peccatorum gravium *per se secundario.* „Ne æquivocatio fiat in illa voce *per se,* distinguendus videtur duplex sensus, quem potest habere; nam si per illud *per se* intelligatur id, quod primario intenditur, fateor, non causari per se primam gratiam ab Extrema Unctione, quia primario intenditur perfecta sanitas a peccatis iam remissis quoad culpam saltem gravem: si vero illud *per se* significet id, quod non intenditur ut medium præcise et propter aliud, sed ratione sui, in hoc sensu prima gratia datur per se ab illo sacramento, quia non intenditur propter aliud“ (Cardinalis de Lugo, de sacr. Euchar. disp. 12, s. 1, n. 16).

[1]) Harduin, Coll. Conc. IX, 1479.

C. De dispositione ad remissionem peccatorum venialium.

Magna est inter theologos sententiarum diversitas de dispositione necessaria, ut culpæ veniales per s. Unctionem deleantur. Scribit e. gr. *Clericatus* (Decisiones sacram., de Extrema Unctione decis. 82, n. 5): „Circa hunc effectum duo sunt valde notanda, et tamquam dignissima scitu studiosorum memoriæ figenda. Unum est, quod hanc remissionem venialium operatur sacramentum Extremæ Unctionis ex opere operato, quod est dicere, absque ulla cooperatione ipsius infirmi, ita ut sicut Baptismus ex opere operato et ex sui institutione delet culpam originalem in pueris absque ulla dispositione subiecti tunc existentis in infantili ætate, ita servata proportione faciat hoc sacramentum Extremæ Unctionis. Et ideo quamvis detur phreneticis, amentibus et aliis, qui usum rationis perdiderunt, remittit eis peccata venialia, etsi nullum actum doloris tunc eliciant; sufficit enim, quod in eis non habeant complacentiam formalem, et hoc ex maiori Dei misericordia, ut bene disserit et probat Mastrius disp. VI, n. 70." Et revera Scotistæ per suam opinionem de effectu principali s. Unctionis fere adiguntur ad talem doctrinam.

Contra *Vasquez* (In III. p. qu. 87, a. 3, dub. 3, n. 8): „Cum infusio gratiæ, inquit, non repugnet peccato veniali, opus est, quod sit attritionis dispositio, ratione cuius sit infusio gratiæ contraria peccato sicut in Pœnitentia; nec necessaria est contritio; sic enim nunquam remitterentur in hoc sacramento. Idemque iudicium de omnibus aliis sacramentis dicerem, ut attritione prævia infusioni gratiæ, quam omnia efficiunt sacramenta, remittantur venialia, quorum est attritio; illorum vero, quorum nec in universali nec in particulari fuerit saltem attritio, non posse esse remissionem sola infusione augmenti gratiæ, quia hæc non repugnat."

Hæc minime placent Gonet (Clyp. t. V, tr. 5, disp. 4, n. 59): „Dico, ait, nec sacramenta nec sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato immediate, sed mediate tantum, quatenus scilicet ex meritis Christi vel ex orationibus Ecclesiæ a Deo obtinent digne ea recipientibus auxilia quædam supernaturalia ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant et retractentur."

Quæ doctrina fulcitur auctoritate s. *Bonaventuræ,* qui scribit (In textum Magistri a. I, qu. 1): „Modus autem curandi veniale peccatum in hoc sacramento respondet modo infirmitatis. Veniale autem peccatum gravat animam deprimendo deorsum, ut non ita intendat in Deum per devotionem et amorem, pro eo quod est ibi conversio inordinata ad commutabile bonum, et pro eo quod est minor amor Dei, sicut tangit Augustinus in libro Confessionum; et ideo cum curatio directe sit per contrarium, per illud curatur, quod animam aggravatam per devotionem sursum elevat. Et quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* cum illud sacramentum sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quendam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima . ., hinc est, quod istud sacramentum *principaliter* est ad curationem et alleviationem infirmitatis spiritualis, sc. peccati venialis."

Haud consentit *Suarez* (Disput. 41, s. 1, n. 21): „Colligo . ., quando per hoc sacramentum peccata venialia remittuntur, id non fieri per solam excitationem devotionis, sed immediate per efficaciam ipsius sacramenti. Alioqui oporteret ibi intervenire aliquam mutationem interioris actus imperfecti et per se insufficientis ad remissionem peccati venialis in alium perfectiorem, qui per se sufficiat; hæc autem mutatio est æque conficta et easdem difficultates habet, de quibus sufficienter dictum est supra in generali disputatione de remissione venialium peccatorum ex opere operato." In disputatione autem, ad quam remittit, sententiam s. Bonaventuræ maxime per experientiam oppugnat, quæ nihil referat de excitatione devotionis aliorumque actuum ope sacramenti. Propriam mentem his verbis aperit: „Ut homo suscipiens sacramentum non ponat obicem huic effectui, satis est (opinor), quod accedat sine actuali complacentia peccati venialis et cum voluntate ac desiderio recipiendi sacramentum et effectum eius." Addit cum Soto et Ledesma, „illam voluntatem circa sacramentum et effectum eius esse virtualem quandam retractationem peccati venialis, quatenus homo vult medicinam illius assumere" (Disp. 12, s. 1, n. 9).

Uni ex sententiis propositis adhærent doctores omnes.

Unde censent alii cum *Laureato,* s. Unctionem *immediate* delere peccata venialia nulla prærequisita dispositione, dummodo exclusus sit actualis et habitualis affectus ad illa.

Alii cum *Suarez* pariter *immediate* per sacramentum peccata venialia remitti existimant, postulant vero præter noncomplacentiam in illis voluntatem et desiderium recipiendi sacramentum et effectum illius.

Multi cum *Vasquez* et Card. *de Lugo* etiam immediatum effectum Extremæ Unctionis esse remissionem venialium dicunt, *prærequirunt tamen* veram attritionem sive formalem sive virtualem stricto sensu.

Tandem non pauci tum Thomistæ tum Scotistæ post magnos doctores *Alexandrum* Halensem et s. *Bonaventuram* docent, Extremam Unctionem remissionem culparum venialium efficere *mediate* excitando actus devotionis, dilectionis etc.

Ut ea, quæ cum firma ratione asseri possunt, separemus a meris opinionibus, dicimus

I. Peccata venialia hominis, qui simul habet mortalia, vi sacramenti immediate remittuntur, si de utrisque est saltem habitualiter attritus.

Probatur. Peccata venialia hominis, qui simul habet mortalia, non remittuntur propter solam attritionem. Homini enim, qui excidit ex statu gratiæ divinæ, nullius culpæ, nec gravis nec levis, venia conceditur sine dispositione, quæ sufficiat ad ipsam iustificationem. Sola autem attritio extra sacramentum non disponit sufficienter ad iustificationem. Quare fieri potest, et sine dubio sæpe fit, ut ægrotus vere — sive actu sive habitu — sit attritus de peccatis suis tum mortalibus tum venialibus, at nec illorum nec horum veniam extra sacramentum obtineat. Jam vero tali homini sub conditionibus supra (p. 176s.) expositis vi s. Unctionis remittuntur mortalia. Ergo a maiore venialia. Nam in tollendis his nævis Extrema Unctio nullo modo dependet a Pœnitentia nec potest postulari perfectior dispositio pro condonatione parvæ offensæ quam magnæ. Unde hæc assertio solum ab iis videtur posse negari, qui ad cuiusvis culpæ remissionem præexigunt contritionem; quod certe falsum esse, aliunde est notum.

II. Etiam peccata venialia hominis iusti vi sacramenti immediate remittuntur, si de illis elicuit attritionem, quæ forte per se solam non sufficiat ad consequendam eorum veniam.

Probatur. Est quæstio controversa, num attritio etiam remissa extra sacramentum proxime disponat ad condonationem quorumvis peccatorum venialium. Unde affirmamus: si iustus per suam attritionem nondum assecutus sit remissionem venialium saltem omnium, Extrema Unctio eum immediate purgat ab omnibus, ad quæ explicite vel implicite attritio extenditur. *Ratio est aperta.* Nam cum talis attritio satis præparet iniustum, ut remedium s. Unctionis exerere possit suam efficaciam purgandi peccata levia, multo magis proxime disponit iustum. Alias dicendum esset, statum gratiæ esse impedimentum, quominus sacramentum conferat bonum, ad quod per se ordinatur.

III. Si Extrema Unctio peccata venialia ob defectum dispositionis non immediate tollit, ea, quantum est ex ipsa, tollit producendo dispositionem necessariam.

Probatur. Multi ægroti non offerunt salutari medicinæ spirituali eam præparationem, quæ necessaria est, ut statim omnes effectus, ob quos est data, inducere valeat. Obstat sæpe affectus si minus actualis saltem habitualis ad peccata levia. Etiamsi vero hic affectus iam evanuerit, probabile vix potest dici, meram noncomplacentiam in peccatis esse eorum sufficientem retractationem. Serio quoque dubitare licet, num sola „voluntas et desiderium recipiendi sacramentum et effectum eius“ illi noncomplacentiæ additum veram retractationem virtualem constituat. Quidquid est, accidere potest, ut sacramentum offendat impedimentum in subiecto, quominus aboleat peccata quædam venialia. Jam vero finis Extremæ Unctionis est perfecta sanitas animæ. Ergo habet in se vim et efficaciam disponendi et præparandi animam ad tam felicem statum ideoque habet vim et efficaciam removendi omnia obstacula, quæ animam egressam e corpore a beatitudine retardarent. Huiusmodi autem obstacula sunt peccata venialia, ad quorum abolitionem anima infirmi ante s. of-

ficium non est disposita. Ergo sacramentum, quantum est ex ipso, producit dispositionem necessariam.

Præterea docet Concilium Tridentinum, gratiam Spiritus sancti, quæ in s. Unctione datur, ægroti animam alleviare et confirmare magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda et labores levius ferat et tentationibus dæmonis facilius resistat. At profecto tanta divinæ misericordiæ fiducia, ex qua sequitur patiens tolerantia gravissimorum dolorum, qui non raro graviter decumbentem cruciant, et fortitudo, qua vincuntur vehementissimæ etiam dæmonis tentationes, vix non ipsa est virtualis saltem attritio, et psychologica fere necessitate secum trahit alios actus, e. gr. dilectionis perfectæ Dei, doloris et detestationis omnium offensarum divinæ bonitatis, cum quibus venia peccatorum semper coniungitur.

Quare sententia s. *Bonaventuræ* de modo, quo venialia in sacramento delentur, restricta per duas antecedentes assertiones omnino est tenenda. *Mirum autem videri potest, quod Suarez hanc sententiam ex experientia oppugnat* (Disp. 12, s. 1, n. 7): „Alias [si nempe vera esset sententia s. Bonaventuræ] hæc remissio vel nunquam vel rarissime fiet per sacramentum, quia raro contingit, ut in illo momento, in quo sacramentum absolvitur, homo excitetur et perficiat meliorem actum et dispositionem, quam toto tempore præcedente habuerat. Quod ipsa experientia satis ostendere videtur, etiam in his qui mediocri diligentia et attentione ad sacramenta accedunt.“ Sed quomodo experientia potest contradicere iis, quæ Concilium docet? Immo ex contrario frequentissima experientia manifesto ostendit, infirmos post administratam Extremam Unctionem longe meliores actus et dispositionem habere, „quam toto tempore præcedente“ habuerant. Ad hæc Suarez ipse docet (Disp. 41, s. 1, n. 11 ss.), hoc subsidium ultimum, quod Ecclesia filiis suis præbet, primario institutum esse ad causandos eos actus, quibus melior illa dispositio constituitur. Quare si experientia vere ostenderet, meliorem dispositionem nunquam sequi post ministratum remedium supernaturale, simul testaretur, „nunquam vel rarissime“ sacramentum cum fructu suo primario percipi; quod Suarez omnium minime dicet.

ARTICULUS II.

REMISSIO PŒNARUM TEMPORALIUM.

Secundum effectum Extremæ Unctionis Concilium Tridentinum proponit abstersionem reliquiarum peccati. Quid per reliquias peccati possit intelligi, vidimus iam investigantes finem sacramenti (p. 144 s.). Cum de remissione peccatorum venialium modo sit actum, de confortatione vero contra infirmitatem spiritualem in sequentibus specialiter sit inquirendum hic solum de remissione pœnarum temporalium tractandum est.

Extremam Unctionem habere virtutem abstergendi omnem reatum pœnæ temporalis, toto c. I. libri II. est probatum. Nam testimonia Traditionis ibidem allata hanc veritatem vel expressis verbis enuntiant vel implicite indicant, cum finem primarium sacramenti assignant immediatum transitum animæ in beatitudinem æternam. *Manet igitur perscrutandum, quid ex parte infirmi requiratur,* ut plenam indulgentiam totius pœnæ temporalis assequatur.

1. Manifesto *non potest dici,* per s. Unctionem digne susceptam *semper immediate abstergi totum reatum pœnæ.* Sæpe enim deest dispositio necessaria pro remissione omnium peccatorum venialium, sine qua non conceditur relaxatio totius pœnæ.

Sed *neque potest cum solida ratione affirmari, vi sacramenti simul cum culpa semper remitti totam pœnam temporalem,* quæ ei est debita, ideoque remissis omnibus peccatis nullam unquam superesse pœnam luendam. Contradicit enim imprimis sensus christianus. Si homo post vitam pessimis flagitiis fœdatam tandem in articulo mortis per s. Unctionem cum sola attritione iustificatus statim moriatur, nemo, qui sensu catholico regitur, facile sibi persuadebit, nullam ei esse purgatorii pœnam subeundam propter peccata mortalia remissa. Præterea rationes, ob quas Dominus Baptismo contulit efficaciam auferendi simul cum culpa totam pœnam, non valent pro Extrema Unctione, quæ neque est regeneratio spiritualis nec mystica mors et resurrectio cum Christo nec insertio in Ecclesiam, sanctum Christi corpus. Immo decet, ut filii Dei — est enim Extrema Unctio per se sacramentum vi-

vorum — qui non possunt amplius plenam satisfactionem præstare per opera pœnitentiæ, saltem cooperando gratiis, quas piissima misericordia eis ope ritus s. olei largissime offert, se positive dignos faciant plena indulgentia Patris.

2. Cum sacramentum ad hoc sit institutum, ut animam christiani morti appropinquantis ad immediatum introitum gloriæ disponat ideoque ex specifica sua ratione habeat vim abstergendi omnem reatum pœnæ temporalis, *omnes infirmi, qui plenum fructum s. Unctionis nanciscuntur, plenam pœnarum relaxationem consequuntur.* Plenum autem s. Unctionis fructum nanciscuntur, qui illam cum debita præparatione et devotione in eo statu morbi percipiunt, quo cum auxiliis intuitu eius sibi oblatis cooperari adhuc valent, et qui hanc cooperationem de facto plene præstant. — Quot animæ vi doni piissimæ misericordiæ perfecte purgatæ immediate evolaverint in cœlum, est mysterium miserentis Dei, qui non delectatur in perditionibus nostris nec in tormentis, quæ animæ ei in æternum coniunctæ patiuntur in flammis purgatorii.

Ceterum cum benignissimus Salvator Extremam Unctionem primario ideo instituerit, ut fideles suos non solum ab inferno, sed etiam a purgatorio præservaret, vix pium fuerit opinari, sacramentum plene suum finem non obtinere nisi in casibus relative raris. Tali opinione optimo Domino nostro attribuitur ratio agendi Cordi eius piissimo parum consentanea. Quis enim credat, eum medicinam pretio sanguinis sui comparatam una ex parte essentialiter ordinasse ad hoc, ut animæ hominis morituri perfectam sanitatem et in hac plenam dispositionem ad immediatam consecutionem visionis divinæ tribuat, ex altera parte eandem medicinam tam exigua efficacia instruxisse, ut exceptis paucis animabus specialiter electis vix liceat aliis sperare fore, ut eius ope a purgatorio præserventur, si illud digne suscipiant et pro viribus cum eius donis cooperentur?

Nota. Obiectiones contra veritatem, Unctionem infirmorum ex se habere vim auferendi omnem reatum pœnæ temporalis, ex parte iam sunt præoccupatæ l. II, c. 1. Perpendamus reliquas, quæ a variis theologis sunt propositæ.

a. Si Extrema Unctio liberaret ab omni pœna temporali, *nec sacrificium Missæ nec alia suffragia Deo essent offerenda pro defunctis post acceptam s. Unctionem.* Hoc vero aperte contra consuetudinem Ecclesiæ pugnat. — Sed Ecclesia offert sacrificium Missæ et alia suffragia etiam pro adultis defunctis immediate post acceptum Baptismum neque hac sua consuetudine contradicit veritati, Baptismum immediate abstergere omnem reatum pœnæ. Insuper nunquam possumus cum certitudine scire, defunctum nullum impedimentum posuisse, quominus totum fructum sacramenti perciperet; non possumus certo scire, defunctum post acceptum sacramentum nullam amplius vel levissimam culpam admisisse, quam non amplius expiaverit.

b. Ad tollendam pœnam temporalem serviunt indulgentiæ. Quare Ecclesia plenarias indulgentias concedit specialiter pro articulo mortis; quod superfluum esset, si Extrema Unctio efficaciam haberet perfecte placandi Deum. — At nemo unquam affirmavit, indulgentias esse unicum medium tollendi pœnam temporalem. Providentia vero Dei, cuius misericordiæ moriens est per sacramentum commissus, non solum gratiis interius eum iuvat, sed etiam curat, ut ab Ecclesia et a singularibus fidelibus ei subveniatur, quantum indiget. Unde hoc ipsum, quod indulgentiam plenariam perfecte lucratur, potest esse fructus s. Unctionis. „Res [huius sacramenti], inquit *b. Albertus,* tanta est, quod non potest tota effici gratia sacramentali; sed quod gratia sacramentalis operatur, adhuc exigit, quod residuum complens petatur per orationem a misericordia divina.“ Quare antiquis temporibus Ecclesia valde prolixas orationes ante et post administrationem mysterii s. olei præscribebat; nunc magis per indulgentias misericordiæ divinæ cooperatur, semper vero dirigitur a Spiritu Sancto providente morientibus omnia, quibus opus habent ad finem sacramenti perfecte obtinendum.

c. Integra abstersio reatus pœnæ hominis baptizati est privilegium Martyrii; ergo non Extremæ Unctionis. — Verum privilegium Martyrii in eo constat, quod qui Martyr occumbit, nunquam per defectum dispositionis beatum illum effectum impedit. Quare dicitur iniuriam facere Martyri, qui pro eo orat.

ARTICULUS III.

CONFORTATIO ANIMÆ ÆGROTI.

Extrema Unctio est sacramentum vivorum, ex primaria intentione Christi Domini destinatum pro infirmis, qui per gratiam sanctificantem iam habent ius æternæ hæreditatis, qui proinde non indigent reconciliatione cum Deo, obligantur autem, ut gravia mala, quæ periculosus morbus secum trahit, pie et sancte perferant atque finem vitæ, si Domino eos ad se vocare placuerit, subeant, quemadmodum decet filios Dei. Jam vero ex gravi infirmitate corporali ob intimam dependentiam animæ a corpore gravis infirmitas spiritualis resultat: debilitas mentis, tristitia, pusillanimitas, horror destructionis naturæ, magna difficultas eliciendi actus salutares. Ad hæc propter periculum mortis accedunt remorsus conscientiæ ob peccata totius vitæ, hinc magna perturbatio et intima quædam prostratio animi idque tempore, a quo dependet æternitas. In quantas angustias morte appropinquante etiam fideles Dei servi non raro redigantur, describit *s. Gregorius M.* (Moral. l. XXIV, c. 11): „Sæpe electis etiam nolentibus in cogitatione subrepitur, quod in se quidem solerter inspiciunt et ante Dei oculos, quanti sit reatus, attendunt; et cum de his omnibus semper iudicia districta pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes districto iudici appropinquare se cernunt. Et fit tanto timor acrior, quanto et retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolat de phantasmate cogitationis, quia subductis e medio omnibus se et illum tantum considerant, cui appropinquant. Crescit pavor vicina retributione iustitiæ, et urgente solutione carnis, quanto magis districtum iudicium iamiamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea, quæ sciunt se nunquam prætermisisse, meminerunt, formidant tamen illa, quæ nesciunt, quia videlicet semetipsos diiudicare et comprehendere omnino non possunt, atque urgente exitu subtiliori terrentur metu. Unde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans et membrorum suorum servans speciem *factus*

---

[1]) M. 76, 305 s.

in agonia prolixius orabat. Quid enim pro se ille, cum in agonia esset, peteret, qui in terris positus cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio. Neque enim tunc cuiuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in æternum mutare non possit. Consideramus quippe, quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus, consideramus etiam, quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium Patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen David dicit: *Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Ps. 142, 2). Paulus cum diceret: *Nihil mihi conscius sum,* caute subiunxit: *Sed non in hoc iustificatus sum* (I. Cor. IV, 4). Jacobus dicit: *In multis enim offendimus omnes* (Jac. III, 2). Joannes dicit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est* (I. Jo. I, 8). Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans nonnunquam terrore vindictæ etiam iusti anima turbatur.“ Et quid peccator, qui certo scit, se vitæ tempus perdidisse, innumera facinora abominanda patrasse et millies infernum meruisse, sed nescit, num sera sua pœnitentia sit vera et digna, quæ a Deo acceptetur! His terroribus dæmon tentationes suas adnectit: „Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit“ (Trid. in prooemio).

Porro idem Concilium „declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sa-

cramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit." Ergo mysterium olei sanctificati essentialiter ordinatur ad causandam gratiam sanctificantem, quæ secum ferat auxilia contra mala et pericula spiritualia coniuncta cum gravi infirmitate. Unde confert robur spirituale, consolationem, alacritatem et vigorem animi, quo horrorem mortis, morbi dolores, anxietatem ob peccata commissa, metum iudicis divini, horrorem pœnarum sæculi futuri superet et adversarium ultimo vincat atque prosternat sive, ut verbis Concilii ipsius utamur, „ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit . ."

In asserendo isto effectu conveniunt theologi omnes, quantumvis dissentiant, sitne confortatio animæ infirmi effectus principalis s. Unctionis an secundarius. Et sane hunc fructum proponit s. Jacobus verbis: *Et alleviabit eum Dominus;* hunc multa testimonia Traditionis per decursum tractatus prolata celebrant; hunc non raro fere oculis cernere licet. Sæpe enim ægroti sacro oleo inuncti statim multum se sublevatos ostendunt, deposito horrore mortis in voluntatem divinam quiete se resignant, excussis angoribus desperationi vicinis pleni consolatione divinæ misericordiæ se committunt, sine querela inordinata dolores interdum acerrimos perferunt et spe gaudentes præstolantur adventum Domini. Ideo s. infirmorum Unctio a multis theologis dicitur sacramentum spei, sicut Baptismus fidei, Confirmatio fortitudinis, Eucharistia amoris, Absolutio pœnitentiæ, Ordo prudentiæ, Matrimonium temperantiæ.

CAPUT II.

DE RESTITUTIONE SANITATIS CORPORALIS.

Extremam Unctionem habere virtutem restituendi sub quibusdam conditionibus sanitatem corporalem, Concilium Tridentinum sæpius iam citato capite credendum proponit verbis:

„Res hæc est gratia Spiritus Sancti, cuius unctio . . ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus . . *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*" Hunc effectum Patres et Concilia provocantes ad s. Jacobum fidelibus prædicant, ut eos alliciant ad rectum usum supernaturalis medicinæ. Vim restituendi salutem corporalem formulæ consecrationis materiæ sacramentalis, quotquot extant, a Deo exorant, et non paucæ formæ sacramenti ipsius, quæ olim erant in usu vel adhuc adhibentur, expresse testantur. Ut ope s. Unctionis Dominus ægrotum e morbo eripiat, Ecclesia in orationibus, quas ritui essentiali adiungit, instanter petit. Extremam Unctionem ordinari etiam ad reparandam sanitatem corporalem, docent theologi uno ore. At quam certum est, sacramentum infirmorum habere vim morbos expellendi, tam difficile est distincte assignare conditiones, quibus positis ægrotum reipsa sospitem reddit.

Ut veritatem, quantum licet, assequamur, *perpendamus sententias, quas theologi de effectu, in quem inquirimus, protulerunt.*

ARTICULUS I.

CRISIS SENTENTIARUM, QUÆ NON VIDENTUR ESSE PROBANDÆ.

Prima sententia satis vulgata est, Extremam Unctionem restituere sanitatem, si ad animæ salutem, quæ est præcipuus finis omnium mediorum efficacium gratiæ, expediat, ita ut futura maior beatitudo sit unica conditio, a qua hic fructus dependeat. Quare auctores, qui eam sententiam simpliciter sequuntur, docent, omnes illos, qui vi sacramenti pristinam valetudinem recuperant, esse prædestinatos; eos autem, qui post digne receptam s. Unctionem obeunt, ideo non eripi a morte, quia longiore vita, si concederetur, ad salutem animæ non uterentur, sed vel perirent vel certe in minus bono statu tandem morerentur. *Gregorius a Valentia* (Comment. theolog. t. IV, disp. 8, qu. 1, p. 3) hanc sententiam vocat communem et confirmatam Conciliorum auctoritate. „Quare, inquit, in ea prorsus persistendum est et omnino sentiendum, eatenus sanitatem corporis per istud sacramentum afferri vel non afferri,

quatenus id expedit vel non expedit saluti animæ, sicut Concilia declarant.. Ad illud, quod Sotus obicit, quosdam per istud sacramentum esse sanatos, qui postmodum fuerunt deteriores in fine vitæ, respondeo, nemini posse constare, an tales fuerint etiam deteriores in fine vitæ: immo propter explicationem illam Conciliorum putandum omnino est, eiusmodi hominibus — qui sc. per huius sacramenti vim et non aliam ob causam simul concurrentem convaluerint — peccata etiam, quæ postea interdum committunt, in bonum cooperari, ut tandem per pœnitentiam adipiscantur salutem animæ et mercedem in cœlis cumulatiorem. Quodsi aliqui revera post susceptum istud sacramentum recuperata valetudine deteriores sunt facti et perierunt: existimari debet, hos non convaluisse per vim huius sacramenti, sed alicuius alterius naturalis causæ simul concurrentis. Sic etiam et illud falsum aut saltem incertissimum est, quosdam, qui per hoc sacramentum non sanantur, si supervixissent, meliores fuisse futuros. Neque enim id aliqua experientia comprobari potest. Quis enim novit, quales fuissent futuri?"

Sententiam expositam, etsi dicatur communis, gravissimæ rationes excludunt.

Primo facit fructum sacramenti dependentem non ab actuali statu subiecti, sed ab iis, quæ tempore futuro, forte post decennia, aget vel ageret. Sacramenta autem operantur ad modum causarum necessariarum, quæ non requirunt futuras quasdam subiecti dispositiones, sed secundum præsentem eius conditionem effectus suos inducunt.

Secundo impingit in abstrusam quæstionem, unde Deus sciat, infirmum, si restituatur, finaliter abusurum esse sanitate. Per simplicem scientiam mediam Deus solum novit, quid infirmus, si reconvalesceret, in unoquoque ex indefinitis ordinibus providentiæ, in quibus eum constituere potest, ageret. Sed unde novit, futurum esse, ut eum constitueret in determinato ordine, in quo sanitate finaliter abuteretur? Manifesto recurrendum est aut ad scientiam mediam reflexam, qua cognoscat, quid decerneret, si infirmo vitam prolongaret, aut ad thomistica decreta subiective absoluta, obiective conditionata. Sive unum sive alterum eligitur, oritur quæstio: Cur Deus omnes sanctos, qui post receptam Extremam Unctionem defuncti sunt, constituisset, si sanitati redditi essent, in iis ordinibus providentiæ, in quibus periissent vel saltem deteriores facti essent?

Tertio nemo facile inducet animum, ut affirmet, omnes electos, qui s. oleo inuncti decesserunt, etiam sanctos, quos Ecclesia publice colit — e. gr. s. Bernardum, s. Aloysium, s. Franciscum Salesium, s. Theresiam.. — perituros vel certe deteriores evasuros fuisse, si diutius vixissent. Esto possit de omnibus electis distributive sumptis dubitari, num vita prolongata bene usi essent, de omnibus collective sumptis perseverantia in bonis operibus haud prudenter negatur.

Quarto omnino infitiandum esse videtur, omnibus illis, qui ope s. inunctionis revaluerunt, „peccata etiam, quæ postea interdum committunt, in bonum cooperari, ut tandem per pœnitentiam adipiscantur salutem animæ et mercedem in cœlis cumulatiorem." Nemini per sacramentum fit realis revelatio suæ prædestinationis; nemo eximitur a monito apostoli, ut cum timore et tremore suam ipsius salutem operetur. Quoties accidit, ut infirmus a medicis depositus cum optima dispositione Extremam Unctionem percipiat statimque quasi a portis æternitatis redeat et post breve tempus plenam sanitatem recuperet. Poterit igitur saltem sacerdos, qui sacramenta administravit, cum morali quadam certitudine nosse, restitutam sanitatem esse effectum s. Unctionis. Numquid eodem gradu certitudinis poterit dicere, eum, qui vitæ est redditus, esse prædestinatum? At non raro accidit, ut, qui modo descripto a morte sunt liberati, postea in gravia flagitia et scelera incidant, fidem ipsam abiciant et tandem sine signo pœnitentiæ decedant. Vix vero probabile esse videtur, in omnibus huiusmodi casibus aut sanitatem restitutam esse per causam aliquam naturalem medicis ignotam, aut tales homines in momento mortis elicuisse contritionem, cuius merito maiorem assecuti sint gloriam, quam si immediate post s. Unctionem occubuissent.

Palmieri, qui docet sententiam, quam impugnamus, ultimam rationem solvere conatur: „Advertebat, ait, Sotus apud Bellarminum, interdum accidere, ut inunctus convalescat et dein peior evadat ac sic damnetur: obtinuit ergo per sacramentum sanitatem, quæ tamen animæ non expediebat. Respondet Bel-

larminus, hunc non vi sacramenti, sed tantum per naturalia remedia recuperasse sanitatem. Addo fieri posse, ut per miraculum sanatus sit; id enim Deus iustis et sibi notis causis operari potest, etsi prævideat malum exitum sanati: neque enim quicunque ope miraculi sanantur, certi sunt hoc ipso de sua æterna salute. At vi sacramenti huius tunc solum sanitas corporis conceditur, cum id Deus expedire novit infirmi æternæ saluti, ut a fide docemur.“ (Opus theol. morale[2] t. V, p. 706.)

Verum hæc ipsa responsio, ni fallor, sufficit ad refellendam opinionem, ad quam salvandam est prolata. Nam sententia, quæ sustineri nequit nisi recurrendo ad miracula, quæ non probantur, sed postulantur, assensum non meretur. Insuper tali effugio Deo adscribitur modus agendi vix conveniens infinitæ sanctitati. Supponunt theologi, quos impugnamus, Deum constituisse, ut in illos, quos prævidet sanatos tandem mera culpa propria esse perituros, remedium s. olei nunquam suam efficaciam sanandi morbos exerat, etsi hoc maxime conferret ad præsentem sanationem animæ perfectam et quamvis spectatis omnibus circumstantiis recuperatio valetudinis pristinæ valde *per se* utilis esset ad profectum spiritualem. Tribuunt ergo Unctioni infirmorum extraordinarium privilegium, quod nec Baptismus nec Eucharistia habet, ut æterna sors omnis hominis, qui digne eam recepit et naturaliter iam est moriturus, in tuto sit posita, sive moriatur sive reconvalescat. In casu, de quo agimus, infirmus digne sacramentum suscepit; prævidetur abusurus gratiis acceptis, si sanetur, et periturus. Ergo Deus secundum promissionem suam tenetur continere s. Unctionis vim sanandi morbum. Quid agit? Non se obligavit ad continendam etiam suam potentiam patrandi miracula. Ergo eo ipso momento, quo, ne *actualis assecutio* salutis frustretur, impedit influxum sacramenti in corpus, per miraculum restituit sanitatem. Quis talem agendi modum censebit dignum infinita sanctitate? Unde istud effugium non valet salvare sententiam, quam examinamus.

Propter has rationes multi theologi cum Suarez doctrinam modo expositam quibusdam restrictionibus mitigandam esse censuerunt.

Secunda sententia est, Extremam Unctionem restituere sanitatem, si ad salutem animæ expediat „iuxta ordinem divinæ sapientiæ et providentiæ“ sive, ut Concilium provinc. Coloniense a. 1536 dicit, „si Deo ita visum fuerit“. Defensores istius sententiæ pariter cum Suarez addere solent, non esse necesse, „ut salus animæ, ad quam Conc. Trid. dixit sacramentum hoc esse profuturum, futura sit permanens ac in reipsa perpetuo duratura, sed satis est, quod ex illo effectu sacramenti quoad salutem corporis iuvandus sit homo ad salutem et bonum animæ, licet forte in eo non sit perseveraturus.“ [1]) Verum etsi his restrictionibus vis argumentorum contra primam sententiam prolatorum vel elidatur vel multum minuatur, tamen obstat, quod hac explicatione salus corporalis fit simpliciter dependens a libera voluntate Dei, quæ utique semper sapientia regitur. Ergo fieri potest, ut ex duobus infirmis minus graviter decumbens et melius dispositus, qui restitutus constanter Deo serviret, non eripiatur ob rationem aliquam universalis providentiæ ei externam, et alter gravius decumbens et minus dispositus, qui de facto in fine peribit, ope sacramenti reconvalescat. Unde sequitur, sacramentum illum effectum in subiecto, quod nullum impedimentum vel obicem ponit, non infallibiliter producere, quod gravissimi auctores huic sententiæ adhærentes aperte fatentur. *Tanner* v. gr. totam suam inquisitionem de nostra re concludit verbis (De Extrema Unctione qu. I, dub. 2, n. 48): „Quocirca omnibus consideratis dicendum existimo, effectum hunc sub ea præcise conditione ‚si saluti animæ expedierit‘, non esse infallibilem, sed subintelligendam insuper hanc limitationem: nisi Deo ob universales aut speciales rationes suæ providentiæ aliter visum fuerit: quod et antiquioribus theologis consonum videtur et apud ipsum etiam Suarez n. 5 insinuatur.“ Ab his non differunt, quæ scribit *Sylvester Maurus* (Op. theol. t. III, l. 13, q. 255, n. 5): „Probabilius est, hoc sacramentum non infallibiliter, sed aliquando causare sanitatem corporis, cum ad salutem animæ expedierit. Probatur ex Trid. sess. 14, c. 2, in quo dicit: ‚sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur‘; ergo docet, quod non semper, etiam posita conditione, quod expediat

[1]) Disput. 41, s. 4, n. 5.

saluti animæ. Nec est absurdum, sacramentum quosdam effectus secundarios non causare infallibiliter et semper.“ At etsi forte non sit „absurdum“, sacramentum quosdam effectus non causare infallibiliter positis etiam omnibus prærequisitis in subiecto, certe tales effectus non producit ex opere operato ideoque non sacramentaliter. Ergo nihil remanet, nisi ut dicatur, Extremam Unctionem sanitatem conferre non formaliter qua sacramentum, sed qua sacramentale. Hanc consequentiam complures insignes theologi concesserunt.

Tertia sententia est, Extremam Unctionem sanitatem non causare ex opere operato, sed ad modum, quo sacramentalia effectus suos producunt, sive ut loquitur *Estius* post *Sylvium,* celebrem s. Thomæ commentatorem, „Extremam Unctionem respectu huius corporalis beneficii non tam sacramentum esse, quippe quæ effectum illum non sacramentaliter operetur, quam sacramentale quiddam, cuiusmodi est aspersio aquæ benedictæ: ut non aliter s. Unctione impetretur sanitas aut morbi levamen, quam aspersione aquæ precibus sacerdotis consecratæ tollitur corruptio aeris vel infestatio dæmonis. Quæ responsio maxime conformis videtur sententiæ Conciliorum, quæ conditionem apponunt. Nam sacramenta quidem ut sacramenta absolutum habent effectum. Quodsi ergo in effectu conditio intelligitur, sacramentum non ut sacramentum operatur, sed alia ratione, qua nimirum operantur et cetera, quæ precibus Ecclesiæ in varios usus consecrantur, i. e. per modum orationis publicæ; id quod satis aperte indicant hæc catechismi verba: ‚Quia non semper sequitur, ut ægri a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet.‘ Hæc ibi. Et hoc videtur innuere Conc. Trid., quando dicit: ‚Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti mentis expedierit, consequitur.‘ Notandum enim illud ‚interdum etiam, ubi expedierit saluti animæ‘: nam sensus est, non semper, sed interdum conferri sanitatem corporis, nunquam tamen, nisi expediat animæ saluti, i. e. nisi ad bonum salutare“ (In textum Magistri § 5). Verum enimvero ex eo, quod s. Unctio non semper, sed tantum sub conditione ‚si saluti animæ expedierit‘ et forte, ut hoc demus, etiam tunc solum interdum a morbo liberat,

non potest statim concludi, eam hoc bonum non, qua sacramentum est, conferre. Pro omnibus enim sacramentis a Deo firmæ leges sunt statutæ et certæ conditiones, quibus non expletis nihil efficiunt. Si ethnicus cum fide et pœnitentia vera ad Baptismum accedat, iustificatur. Si ethnicus cum eadem dispositione ordinandis se immisceat, nihil consequetur. Ergo ex eo, quod Extrema Unctio non semper restituit sanitatem, non potest demonstrari, eam, quod hunc effectum attinet, non habere efficaciam vere sacramentalem, *nisi simul probetur,* eam non constantibus legibus et conditionibus adstringi, sed solum prout Deus in unoquoque casu libere vult, modo salutem corporalem conferre modo non. Talis vero probatio a nemine est proposita, sed sententia secunda et per consequens tertia tantum sunt excogitatæ ad evitandas rationes, quæ primam sententiam revincunt. Has autem rationes plene posse excludi retenta efficacia stricte sacramentali s. Unctionis in restituenda sanitate, mox videbimus.

Præterea ss. Patres et Concilia tum antiqua tum recentiora non raro hortantur fideles, ut gravi infirmitate detenti secundum monitum s. Jacobi apostoli pro recuperanda sanitate medicinam olei consecrati requirant. Sed cur pro consequendo hoc bono temporali non commendant simpliciter usum olei benedicti, sed remittunt ad sacramentum, si „non aliter s. Unctione impetretur sanitas aut morbi levamen, quam aspersione aquæ precibus sacerdotis benedictæ tollitur corruptio aeris vel infestatio dæmonis“?

Insuper Extrema Unctio etiam qua medicina supernaturalis contra morbos corporis non habet institutionem ecclesiasticam, sed immediate divinam. At sacramentale aliquod esse a Deo ipso institutum et lege perpetua servandum Ecclesiæ traditum, contradicit communi theologorum doctrinæ.

Quarta sententia quondam famosissima proposita est a Dominico Soto; quam iuvat integram ipsis eius verbis exhibere. „Rei veritas ex similitudine aliorum sacramentorum est venanda. Diximus enim in materia Confirmationis, gratiam illius sacramenti habere hanc virtutem, ut propterea quod quis confirmatus est, specialius adiuvetur ad profitendam fidem coram tyranno, quam si non esset confirmatus:

nihilominus virtus illa non est semper sufficiens et infallibilem consequens effectum. Nam potest natura meticulosi hominis esse in causa, ut iuvamen Confirmationis non sufficiat ei, immo facilius abneget fidem quam alius vir fortis non confirmatus. Pariter gratia Eucharistiæ est speciale iuvamen contra incursus dæmonum, tamen imbecillitas naturæ potest esse tanta, ut alius sine illo iuvamine melius resistat. Pari ergo modo gratia sacramenti Extremæ Unctionis habet virtutem supernaturalem sanandi morbum corporeum. Itaque ceteris paribus facilius sanitatem recuperat in extremis unctus, quam si non ungeretur, quæ quidem virtus causas etiam naturales adiuvat, ut corroborando virtutem naturæ, immo et virtutem medicaminum. Sed tanta potest esse infirmitas, ut illud iuvamen non sufficiat. Immo posset nonnunquam ars et solertia peritissimi medici plus ad id conferre quam virtus sacramenti, sicut virtus fortitudinis plus [potest] valere ad propugnandam fidem quam virtus Confirmationis . . . Effectus præcipuus sacramenti est certus ut aliorum sacramentorum, sc. infusio gratiæ ad remissionem peccatorum quantum ad eorum reliquias. Sed quantum ad secundum effectum respectu salutis corporis, qui non est principalis, hanc prorsus habet certitudinem, quod ex sua natura semper ad illum effectum iuvat, non tamen eandem habet ordinariam certitudinem quantum ad effectus consecutionem; nam potest natura morbi adeo invaluisse, ut id non sufficiat. Quapropter si aliquando contingit supra istum ordinem hominem pristinæ saluti restitui, non erit virtus sacramenti, sed miraculi, quod Deus in bonum fidei et ecclesiæ operabitur“ (In textum Magistri qu. I, a. 2, concl. 5). *Istam sententiam non pauci ex auctoribus posterioribus acerrime carpserunt* et Sotum vix non tamquam blasphemum et hæreticum traduxerunt. Ipse *Suarez*, alias mitissimus in notandis auctorum opinionibus, cuius argumenta contraria alii theologi susceperunt, insolita acrimonia in celebrem doctorem invehitur (Disp. 41, s. 4, n. 4): „Temere, inquit, locutus est Soto, ne quid gravius dicam; levi enim fundamento a recepta theologorum sententia recedit et, quod gravius est, contra expressam doctrinam Conciliorum loquitur. Et præterea id totum, quod affirmat, gratis et sine ullo testimonio affirmat, quod valde temerarium est in re supernaturali, quæ pendet ex divina promissione. Unde enim illi constitit, hoc sacramentum dare semper hoc genus auxilii ad corporis curationem, cum etiam tale auxilium pertineat ad bona inferioris ordinis, quæ non semper animæ prosunt? Sacramenta vero nihil conferre debent infallibiliter, nisi quatenus ad bonum animæ prodesse possunt, cum propter hunc finem primario instituta sint. Deinde indigne videtur sentire de sacramento, non plus illi tribuens quam medicinæ seu arti medici. Tandem exempla, quæ affert, non sunt similia; nam fortis fidei confessio vel constans resistentia tentationis est opus humanum pendens ex hominis libertate, quam gratia non tollit; et ideo fieri potest, ut talis effectus non sequatur virtute sacramenti, etiamsi magnum auxilium ad illum præbeat. At vero sanitas corporis naturali modo fit, i. e. non libero, et ideo, quod effectus non sequatur, tribui non potest nisi imperfectioni virtutis, quæ morbi acerbitatem superare non potest; hoc autem indignum est ut de sacramento dicatur; alioqui cum virtus, quam confert, limitata sit ad certum gradum, nunquam vincere poterit graviorem morbum, etiamsi maxime expediat; quod absurdum est.“

Minime quidem omnia, quæ Suarez theoriæ Soti opponit, sunt firma. Sic Sotus nullo modo indigne sentit de sacramento, cum scribit: „Posset nonnunquam ars et solertia peritissimi medici plus ad id [ad sanitatem recuperandam] conferre quam virtus sacramenti.“ Creberrima enim experientia constat, multos e. gr. ruricolas post acceptam s. Unctionem decedere, quos peritus medicus operatione chirurgica vix non certo salvasset. Dicere, hos omnes ideo non experiri vim sacramenti, quia saluti animæ non expediat, arbitrarium est. Posset confici satis longus catalogus morborum, qui hanc specialem malitiam habeant, quod eorum curatio, quippe quæ nunquam ab Extrema Unctione efficitur, nunquam expediat ad salutem animæ; unde sequeretur, medicos infirmis, quos tales morbi invaserunt, pessimum servitium præstare, cum eos arte sua sanant. Ex altera parte Sotus non negat, quod pariter frequenti experientia indubium est, multos ægrotos a peritissimis medicis desperatos post acceptam s. Unctionem reconvalescere. Alius est enim modus operandi sacramenti, alius medicæ artis. Deinde ratio, qua Suarez illustra-

tionem ductam ab efficacia Confirmationis et Eucharistiæ eliminare conatur, non sufficit. Assumit enim tamquam per se clarum, ægrotum actibus suis liberis non posse iuvare nec impedire efficaciam sacramenti, quod hunc effectum attinet. Contrarium verum esse, videbimus. — *In eo autem Sotus certe erravit*, quod Extremæ Unctioni determinatam quandam virtutem sanandi attribuit, quam semper exerat, sive saluti animæ expediat sive obsit. Aperte enim talis theoria repugnat Concilio Tridentino. Mirum, quod Sotus, qui commentarios in libros sententiarum aliquot annos post sess. XIV. Concilii edidit, huius doctrinam ne commemorat quidem. Forte cum opus prelo traderet, non amplius admovit manum corrigentem commentario in dist. XXIII. libri quarti iam ante annum 1552 perfecto.

Quinta sententia est, Extremam Unctionem semper liberare a morbo, si sit ad salutem animæ et sine miraculo fieri possit. Terminum autem miraculi quidam defensores huius sententiæ sumunt sensu valde lato. *Tournely* e. gr. scribit consentiendo (De sacram. Extremæ Unctionis, qu. ultima, a. 1, quær. 7): „Alii conditionem apponunt, nisi tam gravis sit morbus, ut ordo naturalis, quem Deus invertere ac mutare non tenetur, exigat talis infirmi mortem." Quæ verba, si non in bonum sensum transferantur, enuntiant, s. oleo inunctum tum solum a morte liberari, si eius infirmitas non sit mortifera. Hæc sententia, ut quivis videt, rationes contra priores prolatas, ex parte facile declinare valet. Verum hoc ipsum obest ei, quod tantum ad vitandas obiectiones contra corporalem effectum sacramenti excogitata, minime ex fontibus revelationis est hausta, in quibus de tali conditione nihil continetur. Deinde recte *Suarez* (Disp. 41, s. 4, n. 5) advertit, ope s. Unctionis vitam conservari etiam contra vim morbi acerbissimi. „Quod vero, pergit doctor eximius, hoc sit aliquo modo miraculosum, i. e. supernaturale et præter omnem spem in causis naturalibus nixam, nullum est inconveniens, sed omnino verum, immo hic est unus ex finibus huius sacramenti. Quia vero hoc opus iam non est omnino præter leges a Deo statutas, sed iuxta eas, quæ in talis sacramenti institutione includuntur intrinsece, ideo talis effectus iam non censetur miraculosus, sicut nec transsubstantiatio panis et similes." Verum tamen est, Unctionem infirmorum non liberare a morte in circumstantiis, in quibus sanatio morbi esset tam extraordinaria, quam si fieret per miraculum stricte dictum. Sed id non inde venit, quod Deus noluerit medicinam supernaturalem tunc suum influxum in corpus exerere, etiamsi esset ad salutem animæ, sed quia, ut Sotus dicit, virtus quam Deus sacramento indidit, ex sua natura tali effectui non est commensurata. Quare iam veram doctrinam consideremus.

ARTICULUS II.

SENTENTIA DE MODO RESTITUTIONIS SANITATIS VERA.

Cum sententia magnorum doctorum medii ævi in se omnino comprobanda esse videatur et omnes difficultates eliminet, paulo diffusius est exponenda. Complectitur hæc momenta:

I. *Quodvis sacramentum habet unum effectum principalem,* sive gratia sanctificans, fructus communis omnium, in unoquoque essentialiter tendit in unum aliquem effectum specialem. Quodsi sacramentum etiam ad alios effectus ordinatur, hi omnes a principali dependent, ad hunc consequuntur idque partim ideo, quia gratia in ordine ad eum collata oppositum defectum, maxime peccatum mortale, formaliter excludit, partim quia effectus principalis ipse ulteriores effectus operatur. Jam vero effectus principalis Extremæ Unctionis est vel confortatio animæ ægroti (Albertus M., s. Thomas), vel remissio peccati venialis, ex qua immediate consequitur confortatio (S. Bonaventura). **Confortatio autem animæ exercet influxum in corpus, unde consequitur alleviatio corporalis, quæ tanta esse potest, ut sanitas restituatur.** „Cum illud sacramentum, inquit *s. Bonaventura* (In textum Magistri, a. 1, qu. 1, concl. 2), sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quendam, in quo semper est remissio venialium, si sunt in anima, et per consequens repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animæ: hinc est, quod istud sacramentum principaliter est ad curationem et alleviationem infirmitatis spiritualis, scilicet

peccati venialis, et per accidens est ad curationem et alleviationem infirmitatis corporalis *quodam modo roborando animam, quæ regit corpus.*" Ad obiectionem, medicinam spiritualem non curare morbum corporalem, respondet: „Spiritus continet corpus; unde passiones animales multum redundant in carnem, unde Sapiens dicit: *Spiritus tristis exsiccat ossa;* ideo non est mirum, si tranquillatur anima et vigoratur et lætificatur, si *etiam hoc redundat ad corpus. Et sic hoc sacramentum respectum habet ad corpus relevandum propter alleviationem spiritus*" (Ibid. ad 3). Doctori Seraphico concordat *Albertus M.* (In textum Magistri a. 1, ad 3): Extrema Unctio „*confert gratiam principaliter contra peccatum operantem et secundario contra infirmitatem corporis.*" „Illud sacramentum non est nisi unius effectus secundum se, sc. alleviationis animæ quantum ad purgationem reliquiarum, et alterius [curationis morbi] est secundario" (Ibid. a. 2, ad 4). Modum autem, quo gratia mediante alleviatione animæ agit contra morbum, ita explicat: „Quædam infirmitates causantur in corpore ex anima sicut ex causa, et non e converso nisi per occasionem: et ideo *valentia contra infirmitatem animæ valent per consequens contra morbum corporis,* quia præcisa causa præciditur effectus, sed non e converso" (Ibid. ad 5).

Sanctus Thomas doctrinam sui magistri plene sequitur. Quæstioni, num oporteat oleum infirmorum esse consecratum, affirmatione respondens inter alia scribit (Suppl. qu. 29, a. 5): „Secunda causa est propter *plenitudinem gratiæ, quæ confertur,* non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ et infirmitatem corporis." *Ergo sicut Albertus docet, sanationem infirmitatis corporalis esse effectum gratiæ sanctificantis,* prout in hoc sacramento confertur. Cum vero s. Thomas firmiter insistat principio: „Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum," quem dicit in Extrema Unctione esse confortationem animæ, per se clarum est, Doctori angelico sanationem corporalem, quam vocat effectum secundarium, esse sequelam confortationis. Ceterum hoc aperte docet in summa ctr. gent. l. IV, c. 73: „Conveniens fuit, ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis, per *quam quidem spiritualem medicinam* [adhibitam contra spiritualem infirmitatem ex peccato causatam] *sanatur infirmitas corporalis aliquando,* quum sc. expedit ad salutem; et ad hoc ordinatum est sacramentum Extremæ Unctionis."

Igitur secundum magnos Scholæ doctores relevatio et etiam sanatio corporalis fit ob intimam dependentiam corporis ab anima per redundantiam spiritualis confortationis in corpus.

Jam vero hæc doctrina aperte confirmata est per Concilium Tridentinum. Unde mirum, quod a posterioribus theologis fere est neglecta[1]) substitutis opinionibus superius reiectis. Concilium enim docet, ex alleviatione et confirmatione animæ per fiduciam misericordiæ divinæ consequi patientem tolerantiam morbi, victoriam tentationum et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit. „Res [Extremæ Unctionis] gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio . . ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ *fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus* et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et *sanitatem corporis interdum,* ubi saluti animæ expedierit, *consequitur.*" Ergo fiducia misericordiæ divinæ, qua infirmus sublevatur et confirmatur, sanitatem non per modum impetrationis, sed *per se* adducit æque ac tolerantiam morbi et victoriam tentationum. Quare optime doctrinæ Concilii concordat, quod scribit *s. Bonaventura* (In textum Magistri a. 1, qu. 1 versus finem): „In hoc sacramento aliquid est *naturale,* aliquid *supra naturam.* Effectus namque, qui est in spiritu, est supra naturam; sed quod ille redundet in carnem, istud *naturale* est, secundum quod in psalmo dicit homo devotus: *Sitivit in te anima mea etc.* et iterum alibi: *Refloruit caro mea etc.*"

II. *Extrema Unctio habet unum finem proximum adæquatum,* ad quem omnes eius effectus particulares tendunt: perfectam sanitatem spiritualem, qua ægrotus ex se sit paratus ad introitum gloriæ. Quare gratia sanctificans per sacramentum collata eiusque effectus principalis utpote principia supernaturalia nunquam inducunt effectus secunda-

---

[1]) Conferatur tamen *Billot,* de sacramentis t. II, p. 234.

rios, nisi in quantum conferunt ad finem proximum adæquatum utique supernaturalem. **Unde per Extremam Unctionem et proxime per confortationem animæ nunquam inducitur alleviatio corporis, nisi in quantum confert ad animæ sanitatem perfectam.** Ergo omnis dispositio subiecti, quæ facit, ut relevatio corporalis, quæ secum traheret recuperationem sanitatis corporalis, non conferat ad sanitatem perfectam animæ, impedit, quominus ægrotus a morbo ope medicinæ supernaturalis reconvalescat. Termini, qui apud principes Scholæ occurrunt, Extremam Unctionem conferre sanitatem corporalem, „si expedit animæ", „si non impedit spiritualem salutem", „si utile est", „si expedit ad salutem", omnes idem significant quod: *si confert ad perfectam sanitatem spiritualem.* Utrum homo sanatus sit acturus vitam bonam an malam, utrum tandem morte beata an funesta sit obiturus, incertum est, sicut incertum est, quomodo vitam acturus, quomodo moriturus sit, qui per Baptismum assecutus est perfectam sanitatem spiritualem.

Audiamus imprimis ipsum *s. Thomam* (Suppl. qu. 30, a. 2): „Sicut Baptismus, inquit, per ablutionem corporalem facit spiritualem emundationem a maculis spiritualibus, ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem facit sanationem interiorem: et sicut ablutio Baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit, ita etiam Extrema Unctio habet effectum corporalis medicationis, sc. corporalem sanationem. Sed hæc est differentia, quod corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem et ideo semper eam facit. Sed Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. *Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*" Quandonam corporalis sanatio expediat ad spiritualem sanationem, Doctor angelicus declarat in summa ctr. gent. l. c.: „Quia corpus est animæ instrumentum, instrumentum autem est ad usum principalis agentis, necesse est, quod talis sit dispositio instrumenti, ut competat principali agenti; unde et corpus disponitur, secundum quod congruit animæ. Ex infirmitate igitur animæ, quæ est peccatum, interdum infirmitas derivatur ad corpus hoc divino iudicio dispensante. Quæ quidem corporalis infirmitas interdum utilis est ad animæ sanitatem, prout homo infirmitatem corporalem sustinet humiliter et patienter et ei quasi in pœnam satisfactoriam computatur. Est etiam quandoque impeditiva spiritualis salutis, prout ex infirmitate corporali impediuntur virtutes. Conveniens igitur fuit . ." Continuat per textum p. 206 s. relatum et pergit: „Nec præiudicat virtuti sacramenti, si aliquando infirmi, quibus hoc sacramentum confertur, non ex toto ab infirmitate corporali curantur, quia quandoque sanari corporaliter etiam digne hoc sacramentum sumentibus non est utile ad spiritualem salutem."

In asserenda hac doctrina *s. Thomas* non discessit a *b. Alberto;* qui finem proximum adæquatum sacramenti exhibet verbis: „In Extrema Unctione significatur plena puritas corporis et animæ per amotionem omnium impedientium gloriam utriusque partis hominis," quod est idem ac perfecta sanitas animæ. In Commentario ad dist. XXIII, a. 11 inducit adversarium asserentem, in omni ægritudine debere sacramentum percipi, cum omnis ægritudo possit causari a peccato et infirmitate mentis. Respondet: „Dicendum, quod hoc bene sequeretur, si circa corpus esset effectus principalis sacramenti: sed hoc non est verum, immo est effectus, quem nunquam consequitur, nisi quando infirmitas corporis pendet ex infirmitate mentis: et tunc non semper est hoc, nisi quando *utile est infirmo,* qui recipit Unctionem: et ideo non valet illa ratio, quia nunquam sumendum est sacramentum propter corporis utilitatem tantum. Cum igitur effectus eius sit reliquiarum purgatio secundum quod sunt impedimentum percipiendi stolam animæ et corporis, nunquam nisi in transitu est sumendum hoc sacramentum." Igitur cum docet, Extremam Unctionem non causare sanationem infirmitatis corporalis, nisi cum pendet ex infirmitate mentis et etiam tunc solum, si utile sit infirmo ad plenam purgationem reliquiarum, quæ est simpliciter effectus sacramenti, solis verbis mutatis ean-

dem conditionem pro obtinenda corporis sanitate assignat, quam s. Thomas: *Si utile est ad sanitatem perfectam animæ.*

S. Bonaventura in breviloquio doctrinam de Extrema Unctione orditur verbis: „De sacramento Unctionis Extremæ hoc in summa tenendum est, quod ipsa est sacramentum exeuntium ex hac vita, præparans et disponens ad sanitatem perfectam. Valet etiam ad delenda venialia et ad recuperandam sanitatem præsentem, *si infirmo expediat.*" S. Doctorem ultima verba intelligere eo sensu: si infirmo expediat ad sanitatem animæ perfectam, ostendunt mox sequentia: „Quoniam finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem, hinc est, quod secundum exigentiam huius finis debet hoc sacramentum operari, debet etiam integrari, suscipi et dispensari". Unde evidenti consequentia est concludendum: Ergo sacramentum inducit sanitatem corporalem, in quantum expedit ad sanitatem animæ perfectam. Neque his contradicit s. Doctor, cum in sequentibus considerans ultimum finem, ad quem etiam perfecta sanitas animæ ordinatur, scribit: „Quia plurimis infirmis expedit adhuc vivere ad suorum cumulum meritorum, hinc est, quod sacramentum istud et animam vigorando in bono et exonerando a malo frequenter etiam alleviat a morbo." His enim indicat ultimum bonum, ad quod obtentam perfectam animæ sanitatem et recuperatam valetudinem referri vult Deus. Num autem voluntati divinæ omnes sanati obsecundent, non tangit. Clare doctrinam s. Bonaventuræ repetit *Richardus a Media Villa* verbis: „Alleviatio corporalis infirmitatis est huius sacramenti effectus non principalis . ., sed secundarius; et ideo nunquam causatur per hoc sacramentum, nisi secundum quod expedit principali effectui, qui est remissio venialium peccatorum [secundum sententiam s. Bonaventuræ, cui Richardus adhæret]. Sed si digne suscipiatur, semper causat istum secundarium effectum, quando expedit effectui principali" (Comment. in textum Magistri a. 1, qu. 6). Ultima verba intelligenda sunt cum restrictione, quam s. Thomas addit: „dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis", præsertim ob naturam morbi, qui per redundantiam spiritualis alleviationis tolli nequeat.

Doctrina exposita plenum assensum meretur. Nam

1. evitat omnia incommoda, quæ alias sententias supra relatas premunt. Amovet præsertim intolerabilem opinionem, sanctos omnes, qui consecrato oleo inuncti diem supremum obierunt, aut perituros aut de excelso suo statu lapsuros fuisse, si convaluissent; vicissim remedio divino sanatos omnes esse prædestinatos vel ad minimum per longius tempus in virtute progressuros. Est potius dicendum, sanctos in ultimis suis morbis ita fuisse dispositos, ut alleviatio corporalis, quæ secum duxisset reparationem valetudinis, nihil contulisset ad perfectam sanitatem animæ; in iis autem, qui ope s. Unctionis a morte sunt erepti, effectum corporalem contulisse quidem ad animæ sanitatem, ideoque *per se* etiam ad salutem æternam expedivisse, at posse sic sanatos beneficiis ope sacramenti obtentis abuti, sicut quævis alia beneficia divina homo culpa sua potest vertere in suam perniciem. — Amovet deinde hæc doctrina opinionem, Unctionem infirmorum habere effectum pendentem pure a libero decreto Dei, ita ut ob rationes subiecto externas sæpe impediatur. Est ex contrario dicendum, medicinam supernaturalem suam efficaciam alleviandi et sanandi corpus semper exerere, si adsint dispositiones subiecti requisitæ.

2. Explicatio magnorum Scholæ doctorum salvat harmoniam operandi s. Unctionis cum operatione aliorum sacramentorum. Omnia enim signa efficacia gratiæ essentia sua ordinantur ad unum effectum, ita ut omnes alios fructus solum ut sequelas tendentiæ in illum unum adducant. Erit id capite sequenti ex professo ostendendum. Secundum doctrinam principum scholasticorum idem modus servatur in Extrema Unctione; quod expositione data per se clarum est. Defensores aliarum sententiarum coguntur sacramento infirmorum tribuere duplicem toto genere diversam vim sacramentalem; unam, quæ conferat gratiam sanctificantem cum specialibus bonis supernaturalibus, alteram, quæ valeat immediate producere effectum in se naturalem, sanitatem corporalem. Præterea secundum doctrinam, cui assentiendum esse iudicamus, Extrema Unctio sicut alia sacramenta confert bona, quæ prosunt per se ad assequendam salutem animæ, ita tamen, ut actualis consecutio salutis possit impediri per liberum hominis arbitrium. Est nonnihil mirum, quod tot

theologi opinati sunt, conditionem a Concilio Tridentino statutam: infirmus „sanitatem corporis interdum, *ubi saluti animæ expedierit,* consequitur", intelligendam esse de *actuali* assecutione maioris beatitudinis. Si magnus peccator convertitur et bonam confessionem peragit, omnes dicimus: hoc saluti animæ eius expedit. Si adolescens in mundo maximis periculis expositus sequitur vocationem divinam et ingreditur ordinem religiosum, omnes censemus, hoc expedire saluti animæ eius. Nihilominus neque in uno neque in altero casu nobis venit in mentem, ut affirmemus, hominem, qui obtinuit beneficium divinum valde utile ad salutem obtinendam, habere hoc ipso salutem æternam in tuto positam. Cur contra doctrinam maximorum theologorum aliter iudicemus de donis Extremæ Unctionis?

3. Explicatio, quam probandam esse iudicamus, declarat, cur in variis morbis, etiam talibus, quos medici, si præsto essent, facile curarent, Extrema Unctio non liberet a morte; et vicissim non raro restituat, quos medici deposuerunt. In priori casu agitur vel de morbis, qui natura sua tales sunt, ut per redundantiam confortationis spiritualis in corpus removeri nequeant, — vel de morbis, quos curari animæ non est utile. In altero casu agitur de morbis, qui medicaminibus materialibus resistunt, at per affectiones, quas relevatio spiritualis in corpus inducit, superantur.

4. Ex dictis fit quoque clarum, quomodo Unctio infirmorum etiam sanitatem corporalem causet ex opere operato, et nihilominus hic effectus plurimum dependeat a fide et fiducia subiecti, a libera eius cooperatione cum gratiis sacramentalibus et ab orationibus aliorum, præsertim sacerdotum. Sacramentum quodvis digne receptum causat gratiam sanctificantem, primam vel secundam, cum ordine ad speciales fructus. Utrum et quo gradu illa bona actu conferantur, dependet a dispositione morali et etiam physica subiecti. Sic Unctio sacra producit gratiam sanctificantem cum ordine ad remissionem venialium ac pœnæ temporalis et ad confortationem spiritualem et si quæ sunt alia dona necessaria, ut anima præparetur ad immediatum introitum gloriæ. Verum si infirmus iam usu rationis careat, nullum horum bonorum ei contingit, nisi quatenus gratia sanctificans seipsa formaliter id præstare potest,

quo modo e. gr. infirmus sui non amplius compos consequitur remissionem peccatorum, quæ sufficienter sunt retractata. Quominus alios fructus accipiat, obstat physica eius incapacitas. Contra quo maiorem fidem et fiduciam infirmus sui compos spirituali medicinæ offert, eo maiorem ex ea haurit gratiam sanctificantem, „quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem"; eo largiore mensura percipiet fructus speciales sacramenti, maxime confortationem, quippe ad quam imprimis disponunt fides et fiducia; consequenter eo intensior erit redundantia spiritualis alleviationis in corpus ideoque eo facilius restaurabitur sanitas, si locum habeat conditio divinitus statuta, ut expediat ad sanitatem perfectam animæ. Item quo ferventius alii, præsertim sacerdotes, qui personam Ecclesiæ sustinent, pro infirmo orant, eo uberiores obtinebit gratias actuales et alia auxilia divina, quibus moraliter vel etiam physice magis magisque disponatur ad omnes fructus sacræ inunctionis intensiore gradu accipiendos; et quo instantius ægrotus ipse cooperatur gratiis sacramentalibus, quibus constituitur confortatio spiritus, eo magis crescit vigor, alacritas, fiducia etc., unde etiam ex hac parte augetur redundantia in corpus, et eadem conditione servata spes augetur fore, ut decumbentis valetudo reparetur. Cum sacramentum natura sua tendat ad excitandam cooperationem subiecti, ut ea accedente confortatio evadat perfecta, etiam tum, cum concursus liberæ voluntatis promovet effectum eius, omnes fructus tribuuntur s. Unctioni, cui ægrotus non posuit obicem resistendo.

Vix opus est commemorare, nihil prohibere, quin Deus orationibus aliorum, ac precibus, fiducia et fervore inuncti s. oleo motus addat extrasacramentaliter auxilia supernaturalia, et in se naturalia, quibus suppleatur, quod ob naturam vel statum morbi efficaciæ sacramentalis medicinæ deest ad restituendam valetudinem corporis, semper salva conditione: si expediat ad perfectam sanitatem animæ.

III. *Duobus momentis expensis magni scholastici medii ævi addunt tertium,* quod forte nequit firmiter probari, meretur tamen attente considerari ad melius perspiciendam intimam rationem pretiosi subsidii dati a miserente Deo. Est tale:

Ad perfectam animæ sanitatem ea alleviatio, ex qua sequatur curatio morbi, nunquam confert, nisi corporalis infirmitas sit pœna peccati; ideoque ægrotus ope s. Unctionis non convalescit, si eius morbus nullo modo habeat rationem pœnæ pro culpis personalibus. Quod textibus *s. Thomæ* et *b. Alberti* iam allatis et aliis iterato enuntiatur. „Quum hoc sacramentum sic ordinetur contra infirmitatem corporis, in quantum consequitur ex peccato, manifestum est . ." (S. Thomas, sum. c. gent. c. 73). „Non est unquam res huius sacramenti sanitas corporalis, nisi quando pendet ex infirmitate mentis; et hoc nunquam fit in parvulis, qui nunquam peccaverunt" (B. Albertus, in textum Magistri a. 10, ad 2). Et revera cum Deus homini immittit infirmitatem ex se mortiferam nullo modo in pœnam peccati, sed tantum, quia secundum consilia sapientiæ et bonitatis suæ fidelem servum ad beatificam secum unionem vult vocare, nequit ad perfectam animæ sanitatem requiri id, quod tale decretum divinum eluderet. Si vero Deus hominem nondum e corpore extrahere, at per morbum nullo modo in pœnam alicuius culpæ inflictum probare et in virtutibus ac meritis vult promovere, haud videtur congruere eius sapientiæ, ut talem hominem permittat incidere in ægrotationem, quæ *simpliciter obsit sanitati animæ* et a qua nequeat reconvalescere adiuvante ordinaria providentia superna, sed solum per virtutem sacramenti vel per miraculum.

Ceterum in hac doctrina pœna peccati intelligenda est sensu latissimo, ita ut morbus etiam tunc dicatur pœna peccati, cum Deus solum ob defectum fervoris in usu gratiarum, propter quem homo non meretur, ut eum per specialem providentiam præservet ab infirmitate naturaliter superveniente, sinit infirmitatem accidere. Quare b. Albertus et s. Thomas, qui textibus citatis universaliter affirmant, Extremam Unctionem non causare sanitatem, nisi morbus sit pœna peccati, aliis locis dicunt, *præcipue* contra infirmitates, quæ ob peccatum infliguntur, sacramentum habere efficaciam. „Contra illas præcipue infirmitates hoc sacramentum datur, quæ sunt ex peccato causatæ, quasi peccati reliquiæ" (S. Thomas, Suppl. qu. 32, a. 4, ad 1). „Istud sacramentum secundum habet effectum circa corpus et præcipue tunc, quando infirmitas corporis causatur ex infirmitate mentis" (B. Albertus l. c. a. 4 ad 3). Nimirum utrumque recte dicitur, prout pœna peccati sensu strictiore vel latiore intelligitur.

Porro conditio: si morbus sit ex peccato causata, non est primum a magnis doctoribus Scholæ exposita, sed iam apud antiquiores scriptores, ut *Bedam* Venerabilem (p. 16), *Theodulphum* Aurelianensem (p. 85) invenitur, in ipsa forma latina sacramenti, qua effectus eius ab indulgentia divina expetuntur, innuitur, et in orationibus multorum antiquorum Ordinum supponitur. In Ordine IV. e. gr., quem Martène (De ant. Eccl. ritibus t. I, p. 851) refert, habetur oratio: Respice, Domine, famulum tuum infirmitate corporis sui laborantem et animam refove, quam creasti, ut *castigationibus emendata* continuo se sentiat tua medicina salvatum." Ob rationes propositas videtur consentiendum esse, morbos, qui per medicinam salutarem curantur, plerumque aliquo modo habere rationem pœnæ. At num non possit accidere, ut Deus fidelem aliquem suum servum ex mera charitate sinat incidere in letalem morbum ea intentione, ut crescat virtute et meritis, particeps fiat bonorum spiritualium s. Unctionis, simulque eius virtute sanitati restituatur iam magis proficuæ bono spirituali quam longius producta infirmitas, vix cum certitudine decidetur; nec multum nostra interest, hac in re velle penetrare consilia providentiæ divinæ.

Caput II.

DE EFFECTU PRINCIPALI EXTREMÆ UNCTIONIS.

Una ex celeberrimis controversiis inter Thomistas et Scotistas, quæ iam per sex sæcula scholas separat, spectat effectum principalem Extremæ Unctionis. *Thomistæ* cum Doctore angelico defendunt, hunc effectum esse alleviationem et *confortationem* supra descriptam; alios effectus omnes esse secundarios. *Scotistæ* exceptis paucis, inter quos eminet *Aureolus*, propugnant cum Doctore subtili, cui præierat s. *Bonaventura* in commentario ad textum Magistri, effectum principalem esse *remissionem finalem peccatorum venialium*. Thomistis assentiunt, quod rem ipsam attinet, *Gregorius de Valentia*, *Suarez* cum plerisque auctoribus Societatis Jesu mul-

tique alii. Scotistas sequuntur *Dicastillo, De Sainte-Beuve, Tournely* aliique insignes theologi. Diversis sæculis modo una, modo altera sententia ab auctoribus dicitur communior.

Non pauci theologi neque Thomistis neque Scotistis accesserunt, sed complures vel omnes effectus habent æque principales sive primarios. *Estius* (In textum Magistri § 4) proposita sententia Scotistarum pergit: „Posset tamen meo iudicio melius responderi, primarium eius effectum non simplicem esse, sed ex pluribus aggregatum, nimirum ex isto [remissione venialium] et duobus sequentibus [abstersione reliquiarum et confortatione]. Quod satis et ratio institutionis eius requirit et verba Concilii Tridentini indicant."

Berti (De theologicis disciplinis l. 35, c. 10) exposita controversia et enumeratis effectibus spiritualibus s. Unctionis concludit: „Hi ergo effectus, si attendantur singuli in suo ordine, præcipui ac primarii aliqua ratione sunt omnes. Sanatio enim spiritualis est id, cuius gratia hoc sacramentum fuit institutum; atque in hoc sensu subscribendum est s. Thomæ. In eadem sanatione debet primum tolli, quidquid est spiritualis infirmitatis origo; et ita prius absterguntur peccatorum reliquiæ, ut censent s. Bonaventura, Scotus, Durandus. Si finis habenda sit ratio, virtus gratiæ, in quantum corroborat adversus insidias dæmonum proximumque mortis periculum, erit pariter effectus primus. Hac autem distinctione facillime diluentur [?] argumenta superius posita" (pro sententiis s. Thomæ et Scoti).

Amandus *Hermann* O. Min. (Tractatus theologici in IV. librum sententiarum tr. 8, qu. 4) ne sanitatem quidem corporalem a ratione effectus primarii excipit. „Dico primo: Effectus principalis Unctionis, ut habet rationem huius determinati sacramenti, est: liberare a venialibus, alleviare infirmum, et curare infirmitatem infirmi, si sit expediens, ita ut quilibet ex his sit principalis, licet inadæquatus effectus eius." Simul affirmat, pro diversis ægrotis modo hunc modo illum esse primarium effectum.

Theologi *orientales* communius euchelæi effectum principalem reponunt in *sanatione corporali.* „Invisibiles salutares effectus s. Unctionis, inquit *Macarius* metropolita (Orth. dogm. Theol. § 232), sunt: *primo sanatio morborum corporalium.*

Pro infirmis corpore proprie institutum est mysterium s. Unctionis. Sanatio igitur morborum corporalium constituit principalem effectum salutarem huius mysterii, sicut dixit apostolus: *Infirmatur quis in vobis . . oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus . . Secundo sanatio morborum spiritualium.* Postquam de primo et immediato effectu s. Unctionis, de liberatione infirmi a morbis corporalibus locutus est, s. Jacobus adiungit: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hisce conditionatis verbis: *et si in peccatis sit,* apostolus, ut patet, supponit, ægrotum ante s. Unctionem iam esse usum alio medio a peccatis liberante, mysterio Pœnitentiæ; alias non potuisset ægrotum inducere sine peccatis. Et usque adhuc in ecclesia orthodoxa quivis ad s. Unctionis mysterium accedens prius purgatur a peccatis per confessionem patri suo spirituali factam. Sed cum tempore gravis morbi, quo communiter confugiunt ad s. Unctionis mysterium, homo — ægrotans anima et corpore — non semper valeat afferre veram et perfectam contritionem de peccatis suis, et generatim illas conditiones adimplere nequeat, quæ a pœnitente pro consequenda venia peccatorum exiguntur, cum quædam peccata propter suam infirmitatem imperfecte tantum, alia nullo modo confiteri valeat propter oblivionem; et cum quædam peccata, præsertim enormia, etiam post confessionem conscientiam ægroti valde perturbare soleant: ideo misericors Deus pro tali genere ægrotorum peculiarem insuper medicinam concessit ad liberandos eos a morbis spiritualibus: s. Unctionem." Est igitur huic auctori sanatio corporalis sacramenti effectus absolutus, proprius et principalis, sanatio spiritualis effectus conditionatus, accidentalis, secundarius.

Stephanus episcopus scribit (De sacramentis et ritibus orth. eccl. p. 18): „Pœnitentia destinata est ad sanandos morbos animi. In illo mysterio vi gratiæ divinæ peccata in æternum delentur ex anima hominis et ex libro vitæ. Benedictio vero olei destinata est principaliter ad hoc, ut sit spiritualis medicina contra morbos corporis. Hoc modo sanatio corporis est primus et necessarius eius fructus salutaris. *Infirmatur quis . ., alleviabit eum Dominus.* Sanatio vero animæ solum ut ulterior conditionatus fructus cum sacramento coniungitur. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Consequenter mysterium Pœnitentiæ *sanat animam,* mysterium benedictionis olei *corpus.*

ARTICULUS I.

NOTIO EFFECTUS PRINCIPALIS.

Theologi orientales clare indicant, quo sensu adhibeant terminum: effectus principalis. De occidentalibus queritur *Clericatus* (Decisiones sacramentales, dec. 82, n. 1): „Illud est imprimis advertendum, quod notant Eminentissimus Cardinalis De Laurea et Mastrius, modernos sc. theologos ita confuse loqui de effectibus huius sacramenti, ut nullibi reperiatur apud ipsos clara et concors doctrina, quæ studiosorum animum instruat, at e contra potius non leves difficultates gignat ac dubia irresoluta relinquat." Quæ verissime esse dicta, quivis experimento potest discere. Multi auctores longos instituunt discursus de effectu principali Extremæ Unctionis, nullibi autem clare indicant, quo sensu adhibeant istum terminum. Ex argumentis, quæ afferunt, debet colligi, quid velint. Hinc autem non raro apparet, eos intendere quidem defensionem sententiæ s. Thomæ, sed per effectum principalem non idem intelligere, quod s. Doctor. Crescit confusio, si idem auctor eodem illo termino diversa significatione utatur, prout de hoc vel de alio sacramento tractat. Potest confici satis longus catalogus auctorum, qui docent, Pœnitentiæ effectum principalem sive, quod eis est idem, primario intentum esse remissionem peccati mortalis, effectum secundarium esse remissionem culparum venialium; simul autem contra Scotistas urgent argumentum: Si effectus principalis Extremæ Unctionis esset remissio peccatorum venialium, ægrotus, qui nullum habet veniale, non posset recipere s. Unctionem; nam qui incapax est effectus principalis, incapax est sacramenti. Si non esset mutata suppositio termini, sequeretur, sacramentum Pœnitentiæ toties invalide suscipi, quoties nullum peccatum mortale clavibus subicitur. In ipsa quæstione, quam tractamus, auctoribus effectus principalis modo est ille, qui ægroto maxime est necessarius, modo ille, qui in se est pretiosissimus, modo ille, qui primus confertur. Tali ratione confusionem magnam vitari non posse, per se patet. Quæ certe non minuitur, si ultimus finis, introitus immediatus gloriæ, inter effectus sacramenti enumeratur et ab his primarius, ab illis secundarius dicitur.

Quare non est mirum, quod insignes theologi tædio infinitæ et confusæ controversiæ victi pronuntiant, totam quæstionem esse otiosam. *Clericatus* e. gr. (L. c. n. 18), postquam exposuit sententias, subiicit: „Altercatio quidem magna est. Sed satis nobis sit, omnes prædictos effectus explicuisse et eos omnes, sive primarios sive secundarios inter se, suscipere ac venerari." *Benedictus* vero XIV., cuius verba deinde multi repetierunt, scribit (De synodo diœcesana l. VIII, c. 7, n. 3): „Inter hos Extremæ Unctionis effectus a Tridentino enumeratos curiose magis quam utiliter investigant scholastici, quinam sit dicendus huius sacramenti proprius et primarius, et in diversas scinduntur opiniones, quas supervacaneum esset hic recensere." Ipsum hoc iudicium doctissimi Pontificis ostendit, quanta obscuritate quæstio paulatim sit involuta. Profecto non solum supervacaneum, sed vere absonum est, in universum disputare, quinam sit effectus principalis, si hoc epitheto omnes illi ornentur, qui in certis adiunctis sub aliquo respectu eminent super alios. Si ægrotus sensibus destitutus versatur in peccatis mortalibus, de quibus habitualiter est attritus, necessitate remissio peccatorum eminet. Cum Deus præscit, ægrotum iustum, si sanitati restituatur, immensum pondus meritorum collecturum, utilitate eminet sanatio corporalis. Aliis infirmis pro varietate circumstantiarum confortatio maxime prodest, aliis remissio culparum venialium, aliis abstersio pœnarum temporalium.

Hæc adeo sunt manifesta, ut non potuerint latere magnos doctores medii ævi. Quod nihilominus acriter disceptarunt, sitne effectus principalis Extremæ Unctionis confortatio animæ ægroti an finalis remissio peccatorum venialium, monstrat, eos firma et omnibus rata suppositione adhibuisse terminum. Quare imprimis conemur acquirere distinctam notionem ipsius termini secundum mentem principum Scholæ. Quo facto statim patebit, eos non „curiose magis quam utiliter" rem investigasse, et ipsa veritas facile elucebit.

S. Bonaventura scribit in commentario ad textum Magistri a. II, qu. 2: „Hoc sacramentum est *principaliter* ad venialia delenda, secundum quod possunt convenientem recipere effectum, et *per hoc* est in alleviationem animæ aggravatæ a corpore corruptionem habente et ideo illud sacramentum debet

dari solis infirmis, qui peccare potuerunt venialiter; et his prout sunt in articulo mortis; sic enim possunt a culpa veniali liberari convenienter et sufficienter."

S. Thomas (Suppl. qu. 30, a. 1) ad quæstionem, num Extrema Unctio valeat ad remissionem venialium, respondet: „Quodlibet Sacramentum est institutum *principaliter* ad unum effectum, quamvis etiam alios *ex consequenti* inducere possit. Et quia sacramentum efficit, quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus." Postquam ex significatione s. Unctionis attulit argumentum pro sua sententia, pergit: „Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo *ex consequenti,* si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis."

Scotistæ, qui cum Doctore subtili in nostra quæstione sequuntur s. Bonaventuram, in explicando modo, quo obtineatur remissio venialium, non consentiunt. Quidam eorum, quibus certe favet Doctor seraphicus, censent, s. Unctionem primo causare ope gratiæ sanctificantis, quam confert, actus devotionis, displicentiæ et generatim dispositionem necessariam, et hac mediante inducere remissionem venialium. Alii docent, per sacramentum primo et immediate deleri venialia. Unde:

Effectus principalis Extremæ Unctionis est ille, qui ope gratiæ sanctificantis primus per se inducitur, et ratione cuius omnes alii fructus sacramenti conferuntur.

Sacramenta sunt essentialiter causæ gratiæ sanctificantis; specifice tamen inter se differunt. Proinde habent essentialem relationem ad effectus specifice inter se diversos. Ergo conferunt gratiam cum ordine ad varia subsidia supernaturalia. Hæc sunt principia, a quibus specifica ratio singulorum sacramentorum dependet. Cum eandem rem per plura disparata principia specificari repugnet, quodvis sacramentum vi essentiæ suæ ordinatur ad unum effectum supernaturalem, ad hunc unum tendit. „Quodvis sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum," dicit s. Thomas textu modo citato. Verum hic unus effectus talis esse potest, ut inde præviam adaptationem subiecti requirat, inde aptus sit, qui alios post se inducat. Quare supponendo, quæ in generali tractatu de efficacia sacramentorum disputantur, unumquodque signum efficax gratiæ in subiecto primo producit „rem et sacramentum", i. e. dispositionem, quæ exigit infusionem gratiæ sanctificantis cum ordine ad unum effectum determinatum. Utrum illa dispositio sit in omnibus sacramentis aliquod ens physicum an, saltem in quibusdam, tantum titulus sive, ut s. Thomas loquitur, necessitas gratiæ, parum refert, quod nostram quæstionem attinet. Si subiectum inductioni gratiæ ponat obicem, sistit opus sacramentale. Si obex non adsit vel removeatur, producitur gratia sanctificans cum exigentia effectus illius, ad quem essentia sacramenti ordinatur. Si subiectum huic effectui ponat impedimentum, nihil ultra fit. Tali impedimento non posito vel remoto sequitur aut immediate aut mediante adaptatione subiecti effectus, ad quem sacramentum primario dirigitur: effectus principalis, qui ulterius adducit alios fructus, ad quos causandos est aptus et subiectum dispositum.

Ex his patet definitio statuta. Dicitur: *Effectus, qui primus per se inducitur.* Potest aliquis effectus primus quidem esse post gratiam ipsam, sed tantum ut adaptatio subiecti ad alium causari, ad quem sacramentum essentia sua tendit, e. gr. secundum doctrinam s. Bonaventuræ cum multis Scotistis dispositio necessaria ad remissionem venialium. Potest aliquis effectus per se conferri, sed dependenter ab alio, ad quem sacramentum essentialiter tendit, a quo specificatur, per quem eius natura determinatur.

Dicitur: *Ratione cuius omnes alii fructus conferuntur.* Si enim sacramentum essentialiter fertur ad unum effectum, alii non possunt induci nisi vel ut sequelæ ipsius gratiæ sanctificantis ad illum ordinatæ, vel ut dispositiones ad illum, vel ut fructus ex eo germinantes.

Nunc applicemus dicta ad controversiam inter Scotistas et Thomistas.

Secundum Scotistas Extrema Unctio essentialiter ordinatur ad finalem remissionem peccatorum venialium moribundi iam incapacis, qui seipsum iuvet. „Congruum fuit, ut institueretur sacramentum pro eluendis peccatis venialibus, quæ supersunt expianda homini in extremis posito, et post ultimum Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentum, ubi scilicet

propter acerrimam morbi et imminentis mortis agitationem non est amplius libertatis compos, nec consequenter capax agendi pœnitentiam, per quam eiusmodi peccata posset eluere“ (*Frassen*, de sacr. Extremæ Unctionis disp. III, qu. 4, n. 4). Causat igitur Extrema Unctio gratiam sanctificantem *qua deletivam peccatorum venialium* hominis moribundi. Remittuntur autem venialia vel immediate per gratiam sanctificantem vel mediantibus actibus devotionis, amoris etc. Perfecta purgatione animæ a venialibus opus immediatum sacramenti est completum. Sed ex ipsa puritate animæ perfecta resultant alii fructus. „Alter effectus huius sacramenti est alleviatio mœroris, torporis, ineptitudinis et languoris ad operandum bonum, quem effectum significavit D. Jacobus illis verbis: ‚*Et alleviabit eum Dominus.*‘ Et iste effectus *sequitur ex præcedenti*, nimirum ex collatione gratiæ ut habet annexam venialium remissionem; illi enim [mœror, torpor etc.] erant effectus peccatorum venialium, quibus ablatis infirmus vigoratur et hilarescit et fiducia divinæ misericordiæ in eo excitatur, qua facilius dæmonis tentationibus resistit; licet enim peccata venialia gratiam non auferant, ardorem tamen charitatis diminuunt et refrigerant, et sunt dispositiones ad mortale peccatum, nisi deleantur; ideo valde congruum fuit, per hoc sacramentum infirmum in periculo vitæ constitutum ab his peccatis liberari, ut magis strenuus evadat in agone illo ad intentiones dæmonis superandas“ (*Mastrius*, disput. 22, qu. 4, a. 1, n. 52). Ex confortatione ulterius sequitur una ex parte remissio pœnæ temporalis, ex altera, si expedit, alleviatio corporalis vel etiam sanitas.

Secundum Thomistas Extrema Unctio essentialiter ordinatur ad confortandum animum hominis infirmi. „Sacramentum hoc est per se primo institutum propter iuvandum et confortandum animum ægrotantis hominis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis“ (*Suarez*, disp. 41, s. 1, n. 11). Causat ergo gratiam sanctificantem *qua alleviativam*, i. e. qua præditam robore habituali contra debilitatem spiritualem, quæ gravem morbum comitatur. Quare simulac infirmus recte dispositus est inunctus, obtinet fiduciam, alacritatem, vigorem, breviter omnia auxilia gratiæ actualis, quibus periculis cum debilitate spirituali coniunctis evadat

superior. Gratia sanctificans cum robore habituali inducta per seipsam delet peccata sufficienti pœnitentia retractata. „Quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis“ (*S. Thomas*, Suppl. qu. 30, a. 1). Obex forte impediens, quominus statim per gratiam sanctificantem tollantur peccata venialia saltem omnia, tollitur, si infirmus serio præstet liberam cooperationem cum auxiliis supernaturalibus, quibus constituitur confortatio actualis. „Dicunt quidam, quod hoc modo operatur Extrema Unctio ad dimissionem peccati venialis, quia per eam datur digne suscipienti quædam hilaritas mentis contra oppressionem, quam infirmus tunc patitur tum ex debilitate corporis tum ex memoria præcedentium peccatorum, propter quod posset facilius in desperationem cadere: quam hilaritatem forte b. Jacobus vocat alleviationem, cum dicit: *Et alleviabit eum Dominus.* Ad hanc autem sequitur conversio mentis in Deum et generalis displicentia omnium delictorum, quæ sufficit ad deletionem peccatorum venialium. Et ideo postquam b. Jacobus dixit: *Et alleviabit eum Dominus*, subiunxit: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Et hanc dicunt fuisse sententiam Fratris Thomæ“ (*Paludanus*, in textum Magistri, a. 3). Reliqui effectus sequuntur eodem modo ac secundum doctrinam scotisticam. Paludanus ipse existimans, neminem posse valide sacramentum suscipere, nisi aptus sit, qui actu obtineat effectum principalem, opponit praxim conferendi sacramentalem Unctionem etiam talibus, qui vi morbi sint privati usu rationis ideoque incapaces propriorum actuum hilaritatis. Sed ad validam susceptionem sacramentorum in universum minime requiritur, ut subiectum actu plene aptum sit obtinendo effectui principali. Secus sacramenta nunquam valide ministrarentur, cum gratiæ ponitur obex.

Similem obiectionem *Durandus* his enuntiat: „Si talis exhilaratio mentis est proprius effectus Extremæ Unctionis, tunc non deberet dari infirmis, qui iam propter debilitatem perdiderunt usum rationis, quantumcunque prius petivissent hoc sacramentum, quia in eis non potest esse talis exhilaratio. Hoc autem est falsum“ (In textum Magistri qu. 1).

Respondet *Capreolus* (In eundem textum Magistri a. 3): „Non est contra nos. Non enim ponimus, exhilarationem mentis esse proprium effectum huius sacramenti, si talis exhilaratio dicat actum secundum. Sed ponimus sublationem inhabilitatis et ineptitudinis ad actus gratiæ et gloriæ, per aliquid tamen positivum impressum se habens per modum actus primi, quod potest dici ornatus vel sospitas vel habilitatio ad actus gratiæ et gloriæ. Et ideo potest habere effectum in carentibus usu rationis, qui tali habilitatione indigent." Nimirum effectus primarius Extremæ Unctionis adæquate sumptus tria complectitur: primo *rem et sacramentum,* titulum ad gratiam sanctificantem qua roborativam; secundo *gratiam sanctificantem cum robore habituali,* quod secundum sententiam communiorem non est physica aliqua perfectio, sed ius proximum ad illas gratias, quibus confortatio actualis constituitur; tertio *ipsas has gratias actuales* fiduciæ, vigoris, alacritatis etc. Porro causa operativa necessario prærequirit in subiecto potentiam passivam recipiendi eius influxum. Qua supposita causæ naturales, ad quas reducuntur sacramenta, efficiunt, quantum possunt. Porro potentiam passivam confortationis sacramentalis possident omnes baptizati, qui habent vel saltem aliquando habuerunt usum rationis et nunc gravi infirmitate detinentur. Si talis homo efficaciam sacramenti non a limine retundat per contrariam intentionem actualem vel habitualem, Extrema Unctio ei primo confert rem et sacramentum: titulum sive exigentiam gratiæ sanctificantis cum robore habituali; hoc titulo producto sacramentum valide est susceptum. Si peccatum mortale non sufficienter retractatum obsistat, nihil amplius potest effici, donec obex removeatur. Si obex non renitatur, statim inducitur gratia sanctificans qua roborativa. Si defectus usus rationis ponat impedimentum, in collatione gratiæ habitualis, sive primæ sive secundæ, sistit utilitas sacræ inunctionis. Si huiusmodi impedimentum non adsit, præbentur omnia auxilia, quibus infirmus actu confortatur. Quare sola dispositio necessaria ad percipiendum effectum primarium secundum *primum* elementum requiritur ad valorem sacramenti.

Ut cœlestis medicina fiat reipsa salutaris, postulat dispositionem necessariam pro infusione gratiæ habitualis roborativæ, quam Capreolus videtur vocare effectum proprium. Ut autem ægrotus primarium effectum adæquate sortiatur, requiritur, ut aptus sit, cui conferantur gratiæ et auxilia, quæ termino confortationis actualis comprehenduntur; quæ confortatio a s. Thoma et eius discipulis simpliciter vocatur effectus principalis et definitione proposita exhibetur.

Per declarationem datam patet momentum controversiæ. Cum enim effectus principalis sit ille, ad quem s. Unctio essentia sua est destinata, et cum sit primus, qui per se confertur ope gratiæ sanctificantis, et cum alii non inducantur nisi dependenter ab eo, sequitur, omnes illos, qui habent potentiam passivam recipiendi effectum principalem, posse valide et, si gratiæ non ponant obicem, etiam cum fructu recipere sacramentum; eos autem, qui non habent huiusmodi potentiam passivam, neque sacramentum valide percipere posse. Hinc Scotistæ ex sua sententia recte inferunt, s. Unctionem esse administrandam „in articulo mortis". *Richardus a Media Villa,* qui in nostra quæstione consentit Scotistis, scribit (In textum Magistri a. 2, qu. 3): „Cum effectus principalis huius sacramenti sit venialium remissio non quæcunque, sed plena et perfecta, de proximo introducens ad sanitatem vitæ æternæ, quæ remissio de lege communi sanis convenire non potest: ideo nulli sano debet hoc sacramentum conferri, nec infirmo nisi sic aggravato, quod probabile sit, ipsum esse in periculo mortis *de proximo imminentis*". Ipse *s. Bonaventura* subiectum Extremæ Unctionis determinat verbis (Breviloquium ps. 6, c. 11): „Quia istius sacramenti susceptio a fine pendet, et finis est velocior transitus ad cœlum per depositionem omnium venialium et conversionem mentis ad Deum: ideo non debet dari nisi adultis, qui venialiter peccant, nec aliquibus nisi petentibus, qui devotione sursum eriguntur, nec aliquibus nisi in periculo constitutis et *quasi in transitu ad alium statum.*" Quod idem *Scotus* affirmat (Rep. Paris. dist. 23, qu. unica): „Talibus, qui possunt amplius peccare, non debet dari." Quantumvis igitur graviter decumbens auxiliis et viribus supernaturalibus, ut cum patientia secundum beneplacitum divinum perferat dolores, quibus cruciatur, indigeat, quantumvis opus habeat confortatione, ut insidias dæmonis et tentationes impellentes ad desperationem superare

valeat, sacramentum ei nequit administrari, si potest adhuc peccare, vel saltem si nondum est liber ab illa morali impotentia omnia etiam minima venialia vitandi. Qua ratione confortatio aliique fructus spirituales sæpissime vel cum perditione animarum excluduntur, vel cum gravi damno nimis retardantur; sanitas vero corporalis vix unquam sine vero miraculo recuperabitur; immo s. Bonaventura necessariam sequelam suæ doctrinæ deducit, cum scribit (In textum Magistri a. 1, qu. 1, ad 3): „Quantumcunque quis infirmetur, non datur ei hoc sacramentum, nisi præsumatur, quod moriatur vel quod sit in articulo mortis. Et *si constaret nobis de aliquo, quod liberaretur sive liberandus sit, non deberet dari ei hoc sacramentum.*" Ratio est manifesta; talis quippe est incapax remissionis *finalis* venialium, post quam nullum amplius committatur.

E contrario si effectus principalis est confortatio animæ ægroti, sacramentum optime confertur, simulac prudenter existimatur, decumbentem in periculo mortis versari. Tunc enim incipit illa infirmitas, contra quam præsidium cœleste primario est institutum. Quare defensores thomisticæ sententiæ communiter cum *s. Thoma* docent: „Hoc sacramentum illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod ægritudo *nata est* inducere mortem et de *periculo timetur*" (Suppl. qu. 32, a. 2). Alias sequelas utriusque sententiæ per decursum capitis videbimus.

Ex dictis liquet, effectum principalem Extremæ Unctionis simul primario intentum esse a Christo Domino in institutione eius. Notio autem effectus principalis et primario intenti non coincidunt. In Pœnitentia e. gr. effectus principalis est remissio peccatorum clavibus subiectorum abstractione facta, utrum sint mortalia an venialia. Unde ad validam eius susceptionem non requiritur status culpæ letalis, immo accidere potest, ut venialia per se et mortalia tantum per accidens remittantur, e. gr. si ex oblivione non sint exposita. At effectus primario intentus in institutione Pœnitentiæ est remissio mortalium. Intentio enim huius effectus maxime movit Dominum, ut Ecclesiæ daret potestatem absolvendi.

ARTICULUS II.

QUINAM FRUCTUUM EXTREMÆ UNCTIONIS SIT EIUS EFFECTUS PRINCIPALIS.

Propositio VIII. Effectus principalis Extremæ Unctionis est confortatio animi hominis infirmi, qua roboretur contra pericula debilitatis spiritualis, quæ gravem morbum consequitur.

Probatur I. *excludendo sententias oppositas.*

1. *Effectus, qui per s. Unctionem ope gratiæ sanctificantis primo per se producitur, non est specifice diversus in diversis hominibus,* ut in uno sit sanitas corporalis, in altero remissio peccatorum venialium, in tertio confortatio et sic porro. Sacramenta enim operantur ad modum causarum naturalium. Quare eodem modo operantur in omnibus ideoque eundem specie effectum causant in omnibus. „Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit." Accidit quidem, ut incapacitas subiecti obstet, ne quidquam producatur. Potest minor maiorve dispositio esse ratio, cur effectus, ad quem sacramentum essentialiter tendit, in maiore vel minore gradu perfectionis inducatur. Est pariter diversa dispositio ratio, cur cum principali effectu alii secundarii connectantur in uno subiecto, alii in altero. Sed ipse effectus primo et per se coniunctus cum gratia sanctificante nequit dici esse specie diversus in diversis hominibus, nisi ipsum conceptum sacramenti tollere velimus.

2. *Effectus principalis non est restitutio sanitatis.* Sententia opposita theologorum orientalium excluditur iis, quæ disseruimus de modo, quo sanitas per mysterium s. olei causatur. Cum enim alleviatio et reconvalescentia corporis oriatur ex redundantia sanationis spiritualis in partem inferiorem, illa nequit dici primo et per se induci, quin simul affirmetur, dona spiritualia maxime pretiosa, quibus anima præparatur ad immediatum introitum gloriæ, tribui mere ut media ad bonum in se ordinis toto genere inferioris. Præterea in Orientalium sententia euchelæon confert gratiam sanctificantem directe qua sanativam. Quomodo ergo simul effectus spirituales

secum fert? Tandem fructus, ad quos sacramenta primo et per se ideoque essentia sua diriguntur, semper producuntur, si a subiectis nulla impedimenta obiciantur. Sed restitutio sanitatis sæpissime ægrotis sub omni respectu optime dispositis non contingit, cum tamen omnibus, non solum graviter decumbentibus, sed etiam cæcis, claudis et quovis defectu corporis laborantibus perfecta sanitas deberet reddi, si euchelæon essentialiter ad eam ut finem proximum esset destinatum.

Non fugit theologos Orientis difficultas, in quam incurrunt affirmantes, euchelæon primo et per se ordinari ad restituendam sanitatem. *Macarius* recte quidem provocat ad factum, quod s. oleo muniti, etsi non sanentur, sæpe saltem temporalem alleviationem consequuntur; recte etiam censet, quosdam forte ideo non sanari, quod indigne sacramentum suscipiant. At celebris metropolita ipse sentit, hæc non sufficere ad removendam difficultatem, quæ contra eius sententiam petitur ex facto, quod plurimi percepto euchelæo moriuntur. Quare tandem dicit: „Velle, ut homo quavis vice, cum recipit s. Unctionem, ab infirmitate sanetur, idem est ac velle, ne unquam moriatur: quod adversatur ipsi ordini renovationis nostræ, iuxta quem necesse est, ut deponamus corpus hoc mortale et peccaminosum et quondam post sepulchrum induamus corpus immortale. Ideo quivis graviter ægrotus ad s. Unctionis mysterium recurrens plene se voluntati Dei committere debet, qui melius quam nos novit, cui magis expediat liberatio ab infirmitate vitaque longior, et cui vitæ abbreviatio“ (l. c.). Quæ optime sunt dicta, sed simul clare ostendunt, restitutionem sanitatis esse effectum conditionatum tantum, proinde non esse fructum, ad quem sacramentum primo et per se ordinetur.

Episcopus *Stephanus* perspiciens non posse dici, euchelæon primo et per se ordinari ad restituendam sanitatem corporalem, nisi omnibus digne illud recipientibus sanitatem revera conferat, duplicem distinguit morbum et duplicem sanationem: *perceptibilem et imperceptibilem;* et docet, omnes digne ad mysterium s. olei accedentes modo, qui sensibus non sit pervius, sanari a morbis alterius generis, a morbis prioribus solum, si ad salutem expediat; esse igitur effectum sacramenti principalem sanationem morborum imperceptibilium; eam semper conferri omnibus, qui per propriam indignitatem efficaciam s. mysterii non impediant. „Sed quidnam est hæc invisibilis sanatio corporis? In quo posita est eius essentia? An potest supponi, eam fieri in mysterio benedictionis olei? Ad has quæstiones responderi potest solum secundum analogiam aliorum sacramentorum. Corpus nostrum propter intimum nexum cum anima tam in sanctificatione animæ per gratiam divinam quam in eius pollutione per peccatum participat; unde potest fieri tum templum Spiritus Sancti tum habitaculum spirituum immundorum. Propterea in mysterio Baptismi et Confirmationis, ut loquitur Dionysius Areopagita, non sola anima, sed etiam corpus signatur indelebili sigillo Spiritus Sancti, Domini, Vivificantis. Hæc autem mundatio et sanctificatio facit quidem animam et corpus iuxta verbum s. Joannis Chrysostomi lucidius luce solari; nihilominus id fit modo occulto, inaccesso perceptioni organorum corporis nostri . . Peccata post Baptismum et Confirmationem commissa maculando et vulnerando animam . . simul vulnerant, maculant, suppurant etiam corpus, utpote centrum omnium psychophysicarum virium eius; quod interdum etiam oculis nostris fit visibile; invisibili vero modo fit semper et in omni casu.“ Ostendit ulterius, quomodo per Pœnitentiam anima purgetur a peccatis suis et secundum typum filii prodigi iterum admittatur ad amplexum Patris æterni. Sed purificata anima nondum esse sanata vulnera, nondum abstersas maculas, quæ ex culpa superioris partis infecerunt corpus. Quare præter Pœnitentiam requiri sacramentum, quo etiam corpus sanetur a maculis et vulneribus peccati. „Huic fini inservit mysterium benedictionis olei. Cum fide ad illud accedens virtute Spiritus Sancti totaliter fit purus et innocens secundum corpus suum, in omnibus viribus psychophysicis, qualis prodierat e manibus Creatoris vel, ut accuratius loquamur, qualis sub ea ratione prodierat ex aqua Baptismi et ex signatione Spiritus Sancti in mysterio Confirmationis: totaliter purus ab omni peccati macula et immunditia, sanus a peccati vulneribus et languoribus, cum prioribus viribus salutaribus ad operandum bonum . . . Hæc invisibilis sanatio est visibilis Deo, angelis et sanctis eius; nos autem eum, qui accepit mysterium benedictionis olei, vi-

demus æque infirmum atque debilem sicut antea. Haud raro tamen cum invisibili, inperceptibili et supernaturali salute conceditur, si ita placet Providentiæ divinæ, etiam visibilis salus: vel perfecta valetudo a physica infirmitate, quæ ægrotum occupavit, vel saltem temporalis alleviatio ab ea. Sed iste fructus sacramenti non est stabilis, est secundarius; nec aliter esse potest stante immutabili lege mortis" (De sacram. et ritibus orthodoxæ eccles. p. 22 s.).

Verum enimvero tali explicatione ingeniosa deseritur thesis, ad quam illustrandam affertur: benedictionem olei destinatam esse principaliter ad hoc, ut sit spiritualis medicina contra morbos corporis; sanationem corporis esse primum et necessarium eius fructum. Nam illæ maculæ et vulnera corporis, quæ ex peccato oriri et per euchelæon curari dicuntur, nihil aliud sunt, nisi pravi habitus appetitus sensitivi, virtuti contrariæ inclinationes, quæ ex actibus peccandi in phantasia et aliis potentiis sensitivis relinquuntur, affectiones quædam per vitia in facultates vegetativas, immo in ipsam physiologicam dispositionem corporis inductæ, quibus magis magisque difficile redditur exercitium virtutum et pronitas ad malum augetur; brevi: illæ maculæ et vulnera corporis sunt, quod nostri theologi vocant *reliquias peccatorum* in parte hominis inferiore. Fuerunt theologi, e. gr. *De Sainte-Beuve,*[1]) *Oswald,*[2]) qui affimarunt, per Extremam Unctionem removeri reliquias peccati in utraque parte hominis. Verum id falsum esse, experientia probat. „Pravi habitus ex peccatis relicti non tolluntur per gratiæ infusionem quantumvis perfectam; et ideo nec tolluntur per hoc sacramentum magis quam per alia. Unde experientia constat, eum, qui in ægritudine hoc suscepit sacramentum, si postea convalescat, eosdem habitus sentire" (*Suarez* disp. 41, s. 1, n. 9). *De Sainte-Beuve* ad Suaresii argumentum reponit: „Respondeo, hominem, qui post Unctionem rite susceptam ex hac vita discedit, exui vitiosis suis habitibus vi sacramenti in ipso mortis instanti operantis talem effectum; eum vero, cuius sanitas reparatur per Unctionem, aut iis non exui, quia sacramentum non est

[1]) De Extrema Unctione disp. 5, a. 2.
[2]) Die dogm. Lehre von den heiligen Sacramenten⁴, p. 279.

productivum istius effectus nisi pro tempore exitus, aut si vim habeat illum operandi etiam pro alio tempore, quia non operatur illum nisi ratione dispositionis subiecti, consequens esse, inunctos eiusmodi non habuisse tantum dispositionis, quantum necesse est ad ponendum illum effectum." Quæ arbitrarie sunt conficta, adversantur essentiali modo operandi sacramentorum et, quod in nostra quæstione præcipuum est, excludunt opinionem, abstersionem reliquiarum sensu exposito esse Extremæ Unctionis effectum principalem. Affert quidem sacramentum auxilia contra dictas reliquias peccatorum; at non tollendo vitiosos habitus in se, sed largiendo robur ad superanda pericula salutis, quæ ex illis reliquiis maxime imminent homini graviter infirmo.

3. Effectus principalis Extremæ Unctionis non est remissio finalis peccatorum venialium. Contra sententiam scotisticam tot rationes militant, ut mirum videatur, quod per complura sæcula defensores magnæ auctoritatis invenerit. Sane

a. ex Scoti sententia sequitur, sanitatem nunquam esse fructum Unctionis infirmorum. Finalis enim remissionis peccatorum venialium capax non est ille, qui tantum in periculo mortis versatur, sed solum ille, qui de facto mox morietur. Nam is solus est in statu, ut valeat non amplius peccare venialiter. Quare omnes ægroti, qui capaces sunt finalis abolitionis venialium, non recuperant sanitatem, sed moriuntur. Qui finalem abolitionem venialium non consequuntur, neque sanitatem vi sacramenti obtinent, cum restitutio valetudinis sit effectus secundarius dependens a principali. Igitur nullus, qui reconvalescit, sanus fit beneficio s. inunctionis. Hinc recte s. Bonaventura ex sua doctrina, quam Scotistæ adoptarunt, deducit: „Si constaret nobis de aliquo, quod liberaretur sive liberandus sit, non deberet dari ei hoc sacramentum". Ratio est clara. Tali enim homini deest conditio necessaria ad valide recipiendum spirituale subsidium, cum ei desit potentia passiva ad obtinendum effectum principalem.

b. Multis decretis auctoritatis ecclesiasticæ proscripta est *praxis non ministrandi Extremam Unctionem nisi in ultimo momento* deposita iam omni spe salutis corporalis in-

firmi. At si fructus principalis Unctionis sacramentalis esset finalis remissio culparum venialium, *illa praxis esset maxime commendanda,* quippe quæ sola excluderet periculum frustrandi sacramentum. Perfecte certe cum theoria scotistica cohæret, quod *Scotus* ipse scribit l. c.: „Non debet [Extrema Unctio] conferri nisi infirmo tali, qui non potest amplius peccare et qui est in periculo mortis, nec dari debet illi, cui alias vel aliter imminet periculum mortis quam per infirmitatem, ut ingredienti mare vel bellum, *quia* in talibus, quantumcunque imminet periculum mortis, semper tamen habet homo usum liberi arbitrii et potest post peccare; et talibus, qui possunt amplius peccare, non debet dari, nec hominibus habentibus naturales defectus et propter huiusmodi paulatim deficientibus in natura, ut ethicis [hecticis], hydropicis etc., quia licet tales sint infirmi, non tamen statim aufertur ab eis potestas peccandi venialiter". Quod si tam essent verum, quam cum theoria connexum, recte cum Suarez (Disp. 41, s. 1, n. 4) inferretur: „Si hæc ratio valida esset, non esset sacramentum hoc ministrandum nisi post hanc vitam vel saltem in extremo vitæ articulo, ita ut simul cum illo vita finiretur", vel, ut aliquid demus, saltem tunc, cum statim usus rationis amitteretur. Quodsi posteriores Scotistæ decretis auctoritatis ecclesiasticæ commoti retinuerunt quidem, effectum principalem esse remissionem finalem peccatorum venialium, simul autem contra suum Doctorem affirmarunt, nostrum subsidium salutare posse, ut maiore cum devotione recipiatur, conferri, cum infirmus finalis remissionis culparum nondum est capax, aperte sibi contradixerunt.[1])

c. Certe *Extremam Unctionem cum fructu suscipiunt infirmi, qui per Pœnitentiam vel alia media iam omnia peccata venialia purgarunt.* At si vera esset sententia, quam expendimus, tales infirmi invalide ideoque infructuose s. Unctione impertirentur, cum non habeant potentiam passivam ad recipiendum illum fructum, ad quem sacramentum essentia sua per se primo ordinatur et a quo omnes alii dependent. Nec licet excipere, peccata venialia iam purgata per s. in-

[1]) Cf. *Frassen*, Scotus acad. tr. I, disp. 3 qu. 2, n. 6; *Mastrius*, Theol. mor. disp. 22, qu. 4, a. 1.

unctionem iterum remitti simili modo, quo per Pœnitentiam peccata iam condonata sæpius remittuntur. Deest paritas. In Pœnitentia enim peccata remittuntur sententia iudiciali. Judex autem in eadem causa posita ratione sufficienti sæpius potest ferre sententiam absolutionis. Extrema autem Unctio operatur per modum medicinæ. Medicina vero morbum vel vulnus plene curatum nequit iterum curare. Insuper extant decisiones romanæ declarantes, infirmo, qui morti proximus baptizatur, statim post Baptismum posse dari s. Unctionem. Nemo autem affirmaverit, Pœnitentiam aut Extremam Unctionem habere efficaciam contra peccata ante Baptismum commissa.

d. Quivis recepturus aliquod sacramentum per se tenetur gravi obligatione in se procurandi dispositionem, quæ necessaria est, ut fiat particeps effectus principalis, ad quem causandum ritus sacer essentia sua tendit. Cum igitur dispositio indispensabilis ad remissionem culpæ etiam venialis sit dolor aliquis — sive formalis sive virtualis — de offensa divina, ex sententia Scotistarum sequitur, *quemvis providendum Unctione infirmorum graviter* obligari ad *eliciendum dolorem de venialibus.* Jam vero certum est, omnem infirmum fidelem statu gratiæ præditum licite et cum fructu s. Unctione muniri, etsi nullum omnino habeat dolorem de culpis suis venialibus; nunquam Ecclesia fideles instruit de gravi illa obligatione. *Mastrius* (l. c.) excipit, nullum dolorem vere talem requiri. „Sed sufficere potest, ait, etiam aliqua minor dispositio, ut actualis noncomplacentia de talibus peccatis et voluntas recipiendi remedii, quod assumit: hæc enim censetur quædam virtualis detestatio peccati, dum homo vult eius medicinam recipere." Sed *dispositio sic descripta* primo *non requiritur* ad licite præbendum et accipiendum sacramentum. Nunquam Ecclesia præscripsit, ut infirmis post rite concessam Pœnitentiam et Eucharistiam denegetur Extrema Unctio, si actualem aliquam complacentiam de venialibus non deponant; nunquam, ni fallor, sacerdos, qui gravem peccatorem moribundum tuta conscientia absolvit et Viatico munivit, anxius hæsit, num licite ei ultimum Ecclesiæ auxilium largiri possit ob cognitam eius adhæsionem ad venialia. Secundo *dispositio a Mastrio descripta non sufficit* ad remissionem culparum ve-

nialium vi s. Unctionis obtinendam. Potest enim componi cum firma affectione habituali ad illas culpas ideoque *sola* minime est earum detestatio virtualis.

e. Dignitas sacramenti, continua praxis et expressa doctrina Ecclesiæ excludunt sententiam, sacramentale præsidium non debere impendi nisi infirmis iam usu rationis privatis. Quare posteriores defensores theoriæ scotisticæ non postulant, ut pro conferenda inunctione expectetur momentum, a quo ægrotus non possit amplius peccare, sed solum postulant, ut possit amplius non peccare. Ex quo sequitur, spirituali medicina valide impertiri omnes fideles, qui finali remissione peccatorum venialium indigent et sunt in eo statu, ut valeant amplius non peccare. Qui enim capax est effectus principalis, capax est sacramenti. Atqui remissione finali culparum venialium non soli graviter infirmi indigent, sed æque etiam sani, quibus per sententiam iudicis, ex adiunctis prœlii, ex naufragio etc. certa mors proxime instat. Iidem per se ad minimum æque ac graviter infirmi rationis compotes valent non amplius peccare. Unde Scotistæ non possunt declinare sequelam, subiectum aptum Extremæ Unctionis esse quemlibet fidelem, cui certa mors proxime instet. Cum talis sequela omnibus theologis catholicis consentientibus sit falsa, ipsa theoria, ex qua recte deducitur, iudicanda est falsa. Si Scotistæ excipiant, subiectum sacramenti non esse omnem fidelem, qui indigeat finali remissione venialium eiusque sit capax, sed solum illum, qui ob gravem morbum et debilitatem spiritualem ei adnexam aliis mediis salutaribus ægre seipsum iuvare possit, concedant oportet, sacramentum primo et per se ordinari contra debilitatem spiritualem connexam cum gravi morbo ideoque eius effectum principalem esse confortationem infirmi, qua concessa ipse se ulterius iuvare valeat non solum ad expianda delicta venialia, sed ad superanda omnia mala et pericula, quibus premitur.

4. *Effectus proprius, ad quem sacramentum primo et per se dirigitur, non sunt reliquiæ peccatorum, si hoc termino intelligantur peccata mortalia per Pœnitentiam non expiata.* Cardinalis *Bellarminus* (De Extrema Unctione c. 8) affirmat, nec ablationem malorum habituum nec remissionem culparum venialium esse effectum proprium et præcipuum s. Unctionis. Pergit autem: „Dico igitur, reliquias peccatorum duplices esse et utrarumque abstersionem ad effectum huius sacramenti proprie dictum pertinere. Primum enim reliquiæ dicuntur peccata, quæ interdum remanent post omnia alia sacramenta, sive mortalia sive venialia sint. Potest enim fieri, ut quis post confessionem et communionem in peccatum mortale incidat et ignoret, se eo peccato teneri; unde non poterit illud nova confessione expiare. Potest etiam fieri, ut confessionem et communionem non rite peregerit et hoc ipsum ignoret. Istæ igitur sunt veræ reliquiæ, quæ hoc sacramento tolluntur, nisi quis obicem ponat.“ Simul asserit, sacramentum memoratum effectum proprie et per se producere, „quia ad hoc *peculiariter* est institutum in fine vitæ.“ „Secundo nomine reliquiarum peccati venit etiam quidam torpor et mœror et anxietas, quæ ex peccato relinqui solet et quæ maxime hominem morti vicinum vexare potest; de quibus loquitur idem Concilium Tridentinum . . et s. Jacobus, cum ait: *Alleviabit eum Dominus.* Nam s. Jacobus brevissime omnes tres effectus sacramenti huius complectitur, ac primo incipit a levissimo, i. e. a sanitate corporali, cum ait: *Oratio fidei salvabit infirmum.* Secundo addit de uno genere reliquiarum: *Et alleviabit eum Dominus.* Tertio addit de alio genere: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*“ — *Doctrina magni Cardinalis duplicem admittit interpretationem:* vel omnes tres effectus enumeratos esse æque principales; vel remissionem peccatorum mortalium post confessionem et communionem relictorum, ad quam s. Unctio *peculiariter* sit instituta, esse effectum principalem, duos alios esse secundarios. Prius nulla ratione admitti potest. Sequeretur enim, una actione sacramentali tres effectus plane disparatos æque primo et immediate produci ideoque sacramentum ipsum specificari a tribus diversis obiectis, quod in se repugnat; sequeretur præterea, sacramentum pro diversitate subiectorum diversos effectus primo et per se producere, quod sustineri non posse iam ostendimus. Alterum vero, s. Unctionem remissionem peccatorum mortalium post Pœnitentiam et Eucharistiam relictorum per se primo causare, alios eius fructus ab isto pendere, aperte est falsum. Qui enim hoc asserit, simul affirmat, Extremam Unctionem essentialiter esse

sacramentum mortuorum; conditionem, sine qua valide ministrari nequeat, esse statum peccati mortalis et quidem, quod absonum est, statum peccati mortalis, cuius conscientia non habeatur; quod Bellarminus ipse certissime noluit dicere.

5. *Tandem Extremæ Unctionis effectum principalem non esse remissionem pœnæ temporalis,* ut alia omittamus, iam ex eo elucet, quod remedii sacramentalis etiam illi sunt capaces, quibus nihil luendum superest, et quod in plerisque infirmis, ut fiant apti, quibus reatus culpæ remittatur, perceptio aliorum fructuum prærequiritur.

Postquam excepta confortatione omnes effectus sacramenti perpendimus et vidimus, nulli competere, ut primo per se ex opere operato inducatur, patet via exclusionis veritas propositionis: *Effectus principalis Extremæ Unctionis est confortatio animi hominis infirmi, qua roboretur contra pericula debilitatis spiritualis, quæ gravem morbum consequitur.*

Probatur II. *ex consideratione subiecti Extremæ Unctionis.*

Effectus principalis est ille, quem sacramentum primo per se producit, ad quem essentia sua ordinatur. Quare quicunque habent potentiam passivam recipiendi principalem effectum, valide possunt percipere sacramentum, etsi forte propter obicem hic et nunc nullum eius fructum actu obtineant. Quicunque dicta potentia passiva carent, incapaces sunt sacramenti, etsi alii fructus eis quam maxime essent utiles vel etiam necessarii. Unde consideratio subiecti Extremæ Unctionis optimum est medium inveniendi eius effectum primarium. Jam vero homo quacunque ex causa morti appropinquans indiget præprimis, si sit obiectum iræ divinæ, remissione peccatorum mortalium, quæ eum faciunt reum damnationis æternæ; indiget remissione culparum venialium, ne coram rege æterno appareat indutus veste nuptiali sordibus inquinata; indiget condonatione reatus pœnæ temporalis, ne a facie Dei remotus ignibus piacularibus tradatur; indiget, ut horrorem vicinæ dissolutionis humanæ naturæ vincat, ut insidias hostis infernalis calcaneo insidiantis eludat, ut tentationes inordinatæ tristitiæ, pusillanimitatis et desperationis

superet et cum fiducia ac resignatione in voluntatem divinam sancte horam supremam obeat. Omnes, qui morti appropinquant, indigent gratia Dei, ut liberentur a malis indicatis et ut præstent omnia, a quibus mors beata et sancta dependet. Nihilominus non omnes fideles morituri apti sunt, qui sacramentali Unctione iuventur. Sed *sacramentum institutum est tantum pro illis fidelibus, qui in periculo mortis versantur* non qualibet ex causa, sed ex *gravi infirmitate.* Ergo essentialiter ordinatur ad superanda mala, quæ cum gravi infirmitate cohærent, et ad conferenda bona, quibus soli et per se omnes fideles gravi morbo oppressi opus habent. Porro *unum est proprium illis, qui cum periculo decumbunt: debilitas spiritualis ex afflictione corporis,* prostratio virium mentis ob collapsas vires inferiores. Inde oritur specialis difficultas cooperandi cum gratiis per alia media supernaturalia collata, imbecillitas in reiciendis tentationibus varii generis, periculum multiplex perdendi salutem. Ergo Extrema Unctio natura sua est medicina contra debilitatem spiritualem cum gravi morbo coniunctam, præstat robur spirituale extraordinarium et in eo firmissimum præsidium contra omnia pericula salutis. Sit graviter ægrotus in omnibus aliis superior e. gr. illi, qui capitis est damnatus; sit iam liber ab omni vel levissima culpa et a toto reatu pœnæ temporalis, habeat multas rationes cum firma fiducia exspectandi transitum in alteram vitam. Unum ei naturaliter deest, quod alter possidet: vigor mentis, quo sit idoneus, ut expedite cooperando gratiis per alia media acquisitis seipsum strenue iuvet ad sancte perferendos dolores et molestias morbi, ad exercendos omnes actus virtutis statui suo consentaneos et ad prosternendum inimicum humanæ naturæ. Generatim omnes graviter infirmi subsunt actu vel, si mentis non sint amplius compotes, habitu debilitati spirituali exceptis perpetuo amentibus et infantibus ante obtentum usum rationis, quorum vita spiritualis cum nondum inceperit, per afflictionem corporis nequit debilitari. Iisdem exceptis Ecclesia omnibus et solis graviter infirmis largitur sacramentalem Unctionem, si adsint illa, quæ ex communi ratione sacramentorum sunt necessaria.

Ut omnia colligamus: quilibet homo, qui habet potentiam passivam recipiendi confortationem contra debilitatem spiritualem, quæ gravem morbum comitatur, capax est sacramenti, dummodo adsint aliunde requisita (character baptismalis, intentio . .), etiamsi aliis eius fructibus nullo modo opus habeat; nullus autem, cui deest dicta potentia passiva, capax est sacramenti, etsi reliqui eius fructus ipsi maxime essent utiles. *Ergo effectus principalis Extremæ Unctionis est confortatio animi hominis infirmi, qua roboretur contra pericula debilitatis spiritualis, quæ gravem morbum consequuntur.*

Probatur III. *ex specifica ratione sacramenti.*

Sacramenta efficiunt, quod significant. Ergo *Unctio infirmorum primo et per se producit, quod per unctionem corporalem significatur.* Per hanc vero significatur unctio spiritualis, i. e. collatio omnium illorum effectuum, quos termino confortationis complectimur. Hos enim effectus Patres enumerant, cum de significatione olei et unctionis loquuntur. Ut quædam ex effatis eorum promamus,

Eusebius Cæsareensis[1]) (Demonstr. evang. l. IV, c. 15) ait: „Oleum lumen auget, fessos sublevat, afflictionem *(κόπους)* aufert, eos, qui ipso unguntur, hilares facit, instar luminis de seipso vibrat splendores, nitidumque ac micantem eorum, qui ipso utuntur, comparat vultum.“

Gregorius Nyssenus[2]) (In Cant. hom. IX.): „Oleum, inquit, fit lucis materia, recreat lassitudinem, relaxat afflictionem, caput exhilarat, et ad certamina fert opem iis, qui legitime certant.“

Procopius Gazæus[3]) (In Levit. 29, 31) scribit: „Oleum typus est lætitiæ, quam ex divina haurimus spe, . . signum est citi et expediti alacrisque ad Deum accessus. Nam *facies exhilaratur oleo.*“

Euthymius[4]) (In textum s. Marci) advertit: „Erat autem oleum signum hilaritatis *(ἱλαρότητος)* corporis et alacritatis *(φαιδρότητος)* animæ. Unctum oleum et afflictionem mitigat

[1]) M. 22, 294. [2]) Ibid. 44, 963.
[3]) Ibid. 87, 702. [4]) Ibid. 129, 807.

et luminis causa est atque hilaritatem excitat et ægritudinis salutem ac cordis illuminationem.“

S. Augustinus[1]) (Quæst. evang. l. II, n. 19) oleum infirmorum directe præ oculis habuisse videtur, cum oleum boni Samaritani explicat: „Oleum [est] consolatio spei bonæ propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis.“

S. Fulgentius[2]) (Ep. 14, n. 42) interpretatur verba psalmi: *Impinguasti in oleo caput meum:* „Quid autem debemus intelligere impinguatum in oleo caput, nisi mentem dono Sancti Spiritus roboratam? Olei enim huius præclara pinguedo spiritalis est gratiæ inseparabilis fortitudo, qua sancta ebrietas penetralibus cordis infunditur, ut omnis affectio carnis oblivioni tradita superetur.“

S. Isidorus Hispalensis[3]) breviter dicit (Quæst. in V. T. in Levit. c. 5): „Oleum hilaritatem significat, sicut scriptum est: *ut exhilaret faciem in oleo* (ps. 113).“

S. Maximus Taurinensis (Expositiones de capit. evangel. III):[4]) „Olei fructus sunt lætitia, pax, dulcedo, mentis serenitas, quæ ut oleum superfertur et supereminet.“

Allatis omnibus textibus oleum et unctionem significare illustrationem intellectus et consequentem consolationem, fiduciam, hilaritatem, alleviationem, robur et alacritatem, uno verbo confortationem spiritualem, exprimitur. Hanc ergo primo et per se Unctio infirmorum causat, ceteri eius effectus sunt secundarii.

Contra omnia argumenta defensores sententiæ scotisticæ cum magna specie veritatis obiciunt: Significatio ritus sacramentalis maxime quærenda est in forma, quæ vagam significationem materiæ determinat. Atqui forma Extremæ Unctionis explicite solam remissionem peccatorum commemorat: „Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.“ Ergo remissio peccatorum, utique venialium, est effectus principalis. — Hæc ratio multos auctores, ut ex eorum operibus apparet, maxime permovit, ut relicto s. Thoma Scotum sequerentur.

[1]) M. 35, 340. [2]) Ibid. 65, 430.
[3]) Ibid. 83, 323. [4]) Ibid. 57, 811.

Verum post ea, quæ de forma sacramenti disputavimus, *prorsus evidens est, hanc rationem nullum habere valorem.* Illa enim forma nunc in ecclesia latina usitata non est institutionis divinæ. Forma Ambrosiana e. gr. commemorat solam confortationem, aliæ solam sanitatem etc. Vidimus etiam, cur quævis deprecatio pro infirmo qua tali sit forma sufficiens: quia nempe materia consecrata per benedictionem episcopalem iam est ordinata ad effectus supernaturales, qui habent analogiam cum eius effectibus naturalibus. Ideo duo sacramenta Confirmationis et Extremæ Unctionis habent diversis temporibus et in diversis ecclesiis formas apparenter maxime discrepantes. Et *ex ipsa Confirmatione stabilitur propositio nostra.* Confirmatio et Unctio infirmorum in multis conveniunt. Sicut Confirmatio est complementum Baptismi, ita s. Unctio est complementum Pœnitentiæ. Utriusque sacramenti materia est oleum, respective unctio. Jam vero unctionem Confirmationis significare robur collatum, nemo negat. Idem ergo significat in altero ritu sacramentali. Diversitatem roboris in utroque dati determinat formula consecrationis materiæ et status subiecti.

LIBER QUARTUS.

DE MINISTRO ET SUBIECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

CAPUT I.

DE MINISTRO SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

SOLOS SACERDOTES ESSE MINISTROS UNCTIONIS INFIRMORUM.

Concilium Tridentinum c. 3 doctrinæ de sacramento Extremæ Unctionis declarat: „Quod attinet ad præscriptionem eorum, qui . . ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis [s. Jacobi] traditum: nam et ostenditur illic, proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii.“ Unde Concilium can. 4 definit: „Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, a. s.“ — Et revera *verba s. Jacobi apostoli, testimonia ss. Patrum* et *Conciliorum* per decursum tractatus adducta, *libri rituales omnium ecclesiarum* tam Orientis quam Occidentis *solos sacerdotes nobis proponunt ministros sacramentalis Unctionis infirmorum.* Quare theologi iam ante definitionem Tridentinam unanimes docebant, solos sacerdotes valide Extremam Unctionem administrare.

Nihilominus **I.** *Launoi* affirmat (t. I, p. 569 ss), *diaconos* in casu necessitatis cum licentia episcoporum valide sacramentum Unctionis posse conferre. Quam sententiam singularem cum consueta sua mordacitate contra doctores scholasticos propugnat. „Pontificibus et ecclesiis, quæ hanc disciplinam sanxerunt in diaconis, cedant oportet volaticæ disputationes et rationes illæ metaphysicæ, quibus homines philosophi potius quam theologi res sacramentorum dimetiuntur, et ad regulas æternas immutabilesque expendunt.“ Verum documenta, quæ vir eruditissimus pro sua sententia profert, eiusmodi sunt, ut *sola* clare manifestent, in Ecclesia semper et ubique firmam persuasionem viguisse, in nullo casu diaconos sacramentalem functionem inungendi ægrotos obire posse. Adducit quidem multa decreta antiquorum conciliorum atque episcoporum, quibus sancitur, quæ officia in casu necessitatis diaconi moribundis exhibere debeant. Sed inter omnia decreta, quæ proponit, nullum invenitur, quod edicat, diaconos in casu necessitatis debere aut posse infirmis s. Unctionem impertire; imo ne unum quidem vir vastæ eruditionis detexit, quod saltem vituperando diaconos ob arrogatum munus sacerdotale testaretur factum, diaconos alicubi infirmos oleo consecrato inunxisse. Unde recte infertur, tam firmam quovis tempore fuisse intra Ecclesiam fidem, solos sacerdotes esse ministros Extremæ Unctionis, ut hoc eorum privilegium diaconi nunquam ausi sint violare. Ad quid ergo Launoi affert commemorata documenta auctoritatis ecclesiasticæ? Existimat, se rem evincere argumentandi ratione, quam toties exprobrat doctoribus scholasticis. Illa enim decreta præscribunt, ut absente presbytero diaconus, cum necessitas urget, ægroto præbeat Viaticum; quædam addunt, eum posse canonicam reconciliationem moribundi perficere; unum vel alterum concedit, ut diaconus etiam confessionem ægroti excipiat iuxta opinionem medio ævo valde diffusam, hominem christianum in articulo mortis, si copiam sacerdotis non habeat, obligari ad peragendam confessionem coram diacono, immo coram laico, si nullus adsit clericus. *Unde* celebris doctor Parisiensis *tale conficit argumentum:* „Quæ ... ecclesiarum concilia permittunt, ut diaconus, absente presbytero, infirmorum confessionem excipiat, et ad eos Viaticum deferat, continuo [i. e. eo ipso] significant, infirmos quoque a diacono, dum abest presbyter, ungi posse. Ex his enim tribus sacramentis, qui duo confert ægrotantibus, tertium similiter conferre potest: neque profecto satis commode intelligeretur, diaconum in necessitatis casu ægrotantibus peccatorum veniam et Eucharistiam impertire posse, non posse Unctionem, quæ olim ante Eucharistiam impertiretur“. Quod argumentum quam sit futile, non est opus longius prosequi.

Berti de thesi Launoi eiusque probatione hoc severum, sed non iniquum fert iudicium (De theol. disciplinis t. IV, l. 35, c. 8, prop. 3): „Ego vero, cum hæc omnia in Launojo singulatim et accurate legissem, plurimum miratus sum eruditi viri confidentiam, qui sibimet persuaserit, tanta monumentorum copia insipientibus fucum facere crassissimumque errorem verbosissima loquacitate venditare. Enimvero in nullo ex productis a Launojo testimoniis minima extat vocula, quæ Unctionem Extremam commemoret; sed omnia de communione et de Viatico agunt, et quædam de susceptione pœnitentium. . Si ergo hæc omnia probarent aliquid, profecto hoc unum evincerent, posse diaconos in extrema necessitate excipere confessiones et absolutionem largiri: quod est adiicere errorem errori et hæresim hæresi.“

II. *Waldensis* (Doctrinale antiq. fidei . . t. II, c. 163, n. 3) citat verba Ven. Bedæ supra p. 15 s. allata et pergit: „Quod autem dicit secundum Innocentium, non solum hoc licere presbyteris, sed et omnibus christianis: ubi copia sacerdotis omnino deest, intelligit; sicut in extremæ necessitatis articulo christianæ licebit vetulæ baptizare. Alias mandatum observari oportet apostoli, ut presbyteri inducantur.“ Quibus verbis meritissimus propugnator catholicæ veritatis contra Wicleffitas gravem errorem enuntiare videtur, in casu extremæ necessitatis quemlibet hominem christianum, etiam mulierem, sacramentum nostrum administrare posse. *Berti* (L. c. prop. 1) dictum catholici doctoris per benignam interpretationem salvare conatur. „Potuit, inquit, vir præclarissimus existimare, quod urgente mortis articulo unctio fieri debeat a laicis, si presbyteri adesse non possint, quemadmodum nonnulli interpretantur verba Innocentii; non tamen, ut crediderit, illam unc-

tionem a laicis factam esse sacramentalem, ad eum plane modum, quo supra diximus fuisse complurium opinionem, ut in mortis articulo, si desit copia sacerdotis, confessio fiat laicis. Non enim Waldensis affirmat, Unctionem a laico factam esse sacramentalem; et licet afferat comparationem Baptismi, hæc tamen ita intelligenda est, ut similitudo versetur in commendatione ritus, non in sacramenti ratione."

Quidquid est de Waldensi ipso, *Launoi gloriatur,* se sententiam, quam Waldensis enuntiare videtur, iis rationibus fulsisse, ut iam „non exiguam verisimilitudinem" sit consecuta. At eius rationes hoc unum probant, virum alioquin summe eruditum in operibus scholasticorum, quos tam acerbe carpere solet, mire rudem fuisse. Scribit enim: „Sotus quidem dicit, Waldensem præter opinionem omnium sentire; sed tamen ei neminem, qui contrarium expresse docuerit, opponit, et nescio, an opponi possit aliquis ex eo numero theologorum, qui ante Waldensem floruerint. *Bellarminus* libro de Extrema Unctione c. 9 scribit quoque, Waldensis expositionem ab omnibus refelli; sed ne unum quidem ex omnibus illis laudat. Sotum, Jansenium [episcopum Gandavensem] et alios Waldensi recentiores laudari posse non nego, sed antiquiores laudari vellem. Bellarminus adiungit rationem; sed quæ in petitione principii versatur: ‚nullum est, inquit, sacramentum, quod non requirat essentialiter ministrum sacerdotem excepto Baptismo ob summam eius necessitatem, et Matrimonio, quia in contractu mutuo nubentium consistit.' Hæc est certe principii petitio, qua sicut nec ceteris Aristotelicis subtilitatibus Ecclesia videtur indigere. Controversia ista debuit Scriptura et Traditione decidi." Verum quod Sotus et Bellarminus superfluum duxerunt, nominatim recensere theologos contrarios sententiæ Waldensi imputatæ, nullum est argumentum pro istius sententiæ veritate. Cum autem Launoi nescit, „an opponi possit aliquis ex eo numero theologorum, qui ante Waldensem floruerint", ostendit, se doctores scholasticos, quos tantopere exagitare solet, non lustrasse. *Paludanus* v. gr. (In comment. ad textum Magistri qu. 2) scribit: „Prima conclusio est, quod *solus sacerdos est minister,* ita quod in nullo casu nonsacerdos possit inungere, cum hoc sit eius proprium; nec papa posset committere nonsacerdoti inungere, sicut nec a peccatis absolvere aut etiam conficere [Eucharistiam]."

Durandus (In eundem textum Magistri qu. 3): „Dicendum est, quod nullus laicus potest hoc sacramentum dispensare, nec clericus nisi sit sacerdos."

Scotus (Rep. Par. in IV. dist. 23, qu. un.): „Hoc sacramentum debet a *solo sacerdote* dispensari, quia solus sacerdos est idoneus minister et conveniens ad illud dispensandum; non est enim sacramentum necessitatis sicut alia sacramenta, Baptismus videlicet et Pœnitentia, et tamen illa a solo sacerdote solemniter ministrantur. Licet enim Baptismus in casu necessitatis possit dispensari per alium quam per sacerdotem, non tamen *solemniter.* Solus igitur sacerdos est minister conveniens in dispensando *generaliter* hoc sacramentum sicut et alia."

Præiverat Scoto *s. Bonaventura* scribens (In Comment. ad textum Magistri a. II, qu. 1): „Huius sacramenti dispensatio ex officio spectat ad *sacerdotes;* et istud confirmat auctoritas et ratio: auctoritas, quia Jacobi ultimo dicitur: *Inducat presbyteros et orent super eum*; ratio, quia cum huius sacramenti materia sit oleum consecratum, non debet administrari nec contingi nisi ab eo, qui habet manus consecratas; et talis est sacerdos: ideo non se extendit ad omnes."

Ceterum cum ipse *s. Thomas* per duos integros articulos (Suppl. qu. 31, a. 1 et 2) ostendat, nec laicum nec diaconum, sed solum sacerdotem esse ministrum Extremæ Unctionis, vix notam levitatis effugiet Launoi insinuans, ante tempus Waldensis nullum theologum expressis verbis docuisse, s. Unctionem a solo sacerdote valide administrari. Quam iniuste Launoi, antesignanus Gallicanorum, Bellarmino sibi imprimis exoso obiciat petitionem principii, ex eo patet, quod magnus Cardinalis iam in tractatu de sacramentis in genere l. I, c. 24 multis rationibus ex s. Scriptura desumptis, non „Aristotelicis subtilitatibus" probaverat propositionem: „Verus minister sacramentorum — Baptismo et Matrimonio exceptis — non est quilibet homo etiam baptizatus, sed is solum, qui rite in Ecclesia ordinatus est." Recte quidem iudicat Launoi, quæstionem ex Scriptura et Traditione de-

bere decidi. At ex utroque revelationis fonte solum adducit verba Martini V. in quadam epistola ad Waldensem: „Recepimus volumen secundum de sacramentis, quod per solemnes viros videri et examinari fecimus sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum.“ Tale argumentum ab infenso oppugnatore veri primatus, præsertim infallibilitatis romani Pontificis, prolatum et multis verbis exaggeratum risum provocat. Launoi ipse tandem sentire videtur, se nihil prorsus fecisse; nam oppositam sententiam Soti „credibiliorem“ declarat præter alia ideo, quod „nihil est, quo possit vel leviter oppugnari.“

III. *Clericatus* recte censet, secundum doctrinam Concilii Tridentini esse dogma fidei, solum sacerdotem valide conferre Extremam Unctionem. At simul potestatem sacerdotum eo extendit, ut *sacerdos, speciatim parochus,* deficiente alio sacerdote *in casu necessitatis sibi ipsi sacramentalem Unctionem impertire valeat.* Hanc sententiam, quam in se probabiliorem et practice tutam esse iudicat, decem rationibus per longum et latum probare conatur (Decisiones sacram. de Extrema Unctione, dec. 75). Sed maior pars harum rationum vix non est ridicula. „Nemo inficiatur, licitum esse medico sapienti, sibi, dum ægrotat, præscribere ac porrigere medicinam.“ Ergo a pari parochus, medicus spiritualis, sibi ipsi dispensare potest cœlestem medicinam Extremæ Unctionis. — Vidua, cui Eliseus per miraculum multiplicavit oleum in vasibus (IV. Reg. c. 4) „ipsa applicuit oleum per venditionem et obtinuit solutionem debitorum ac liberationem; fuitque ipsa minister liberationis eiusdem ac suscipiens, fruens eadem liberatione“. A pari etc. „His addi potest exemplum Ruth, cui Noemi, eius socrus, ut pulchra appareret Booz, imperavit ita: *Lavare et ungere et induere cultioribus vestimentis* (Ruth III, 3). Hæc Ruth est symbolum animæ christianæ deturpatæ ob peccata. Ut pulchra reddatur Deo, lavat se in sacramento Pœnitentiæ, ungit se, si characterem sacerdotalem habeat, oleo sacro in Extrema Unctione induitque vestes theologalium virtutum“. *Duæ rationes considerationem aliquam merentur. Prior est:* „Cui licet, quod est plus, prohibitum non censetur, quod est minus. . . . Sed sacerdoti in aliorum absentia licet sibi ministrare sacrosanctam Eucharistiam extra Missam. Ergo etiam sacramentum Extremæ Unctionis sibi ipsi præbere licebit, potissimum in casu extremæ necessitatis.“ At falsum est suppositum huius argumenti, nempe: plus esse administrare Eucharistiam quam Extremam Unctionem. Nam in administratione Eucharistiæ nullum conficitur sacramentum, sed sacramentum permanens in sacrificio confectum applicatur; quæ applicatio in antiqua Ecclesia, maxime tempore persecutionis ipsis laicis erat concessa. — *Altera ratio est:* „Argumentum forte pro hac opinione est, quod etiam in sacramento Matrimonii iidem sunt ministri ac suscipientes . . Igitur pari ratione in sacramento Extremæ Unctionis idem potest esse, qui ministret ac qui suscipiat, cum nulla sit repugnantia in identitate personæ ministrantis ac suscipientis.“ Sed ut omittamus, ea quæ valent de Matrimonio, non statim posse transferri ad sacramenta, quæ ministrum consecratum postulant, verum quidem est, futuros coniuges esse ministros sacramenti. Verum sponsus illud non sibi confert, sed sponsæ et vicissim. — *Attamen ex eo quod Clericatus non præbet argumenta convincentia pro sua sententia, nondum constat, eam esse falsam.* Et revera nonnihil mirum est, quod theologi, qui in generali tractatu de ministro sacramentorum accurate inquirunt, num angelus, diabolus, anima defuncti sacerdotis vel sacerdos a mortuis resuscitatus aliis valide administret sacramentum, nunquam quærunt, num sacerdos id sibi ipsi possit conferre. Nihilominus „inspectis ipsis divini eloquii verbis, vel facile patet, sacramentum Extremæ Unctionis etiam in casu necessitatis, absente nimirum alio presbytero, non posse missionarium ægrotantem sibimetipsi ministrare“ (S. C. de P. F. 23. Martii 1844). Dicimus:

Sacerdos non habet potestatem sibi ipsi in casu necessitatis conferendi Extremam Unctionem.

Probatur. *1. Historia ecclesiastica ne unum quidem nobis offert exemplum sacerdotis sibimet applicantis s. Unctionem.* Verum quoties accidit, ut sacerdos subito morbo corripiatur et antequam alius presbyter ex dissito loco advocetur, ad extrema deveniat. Summopere desiderat sacramentum exeuntium, habet secum oleum infirmorum, habet vires se inun-

gendi et formam pronuntiandi. Et tamen nullus adhuc, quantum est notum, ausus est sequi sententiam, quam Clericatus practice tutam esse docet. Quod est clarum indicium, vigere in Ecclesia firmam persuasionem ex Traditione derivatam, sacerdotem sibiipsi ultimum subsidium non magis posse impertire quam sacramentalem absolutionem.

2. Baptismus est sacramentum maximæ necessitatis. Quare voluit Dominus, ut quivis homo, etiam iudæus et paganus, alios valeat baptizare. Nihilominus *nemo habet potestatem baptizandi seipsum*, ut constat ex decreto *Innocentii III.* (Cap. Debitum 4 de Baptismo). Ergo multo minus sacerdos potest sibi ipsi conferre Extremam Unctionem, quæ non est sacramentum necessitatis. Clericatus sibi opponit Baptismum et non male respondet provocans ad ipsum Innocentium III.: „In Baptismo significatur generatio spiritualis, nullus autem potest generare seipsum et ideo neque seipsum baptizare.“ *At* neque mortuus potest generare et tamen Dominus mortuum — peccatis mortalibus oneratum — admittit, quod attinet ad valorem, tamquam ministrum Baptismi; minister quippe est solum causa instrumentalis. Ergo potuisset certe Dominus etiam baptizandum admittere tamquam instrumentum propriæ ipsius regenerationis. Igitur ultima ratio, cur nemo seipsum potest baptizare, quærenda est in generali decreto divino, quo nemini confertur potestas in propria persona conficiendi sacramentum. Unde

3. Sacramentum Ordinis non est institutum propter bonum privatum eorum, qui illud recipiunt, sed propter bonum publicum Ecclesiæ. Sanctificatur quidem homo per s. Ordinationem et vult Christus Dominus, ut ministri sui eo modo dispensent mysteria, ut ipsi continuo crescant in omni sanctitate. Tota autem potestas per Ordinationem collata refertur ad bonum publicum. „Deus, inquit s. *Thomas* (Suppl. qu. 34, a. 1), sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent et per ea cognosci posset. Et ideo ut in suis operibus repræsentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima, ut Dionysius dicit. . Et ideo ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam *aliis sacramenta traderent,* suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut et in corpore naturali quædam membra aliis influunt.“ Quare character sacerdotalis et potestas Ordinis a theologis enumerantur inter gratias *gratis datas.* Docet e. gr. *Suarez* (Prolegomenon III. de gratia c. 5, n. 64): *„Non datur potestas Ordinis in bonum recipientis,* sed *propter utilitatem fidelium;* optime ergo dici potest gratia gratis data.“ Et ipse s. *Thomas* (I. II. qu. 111, a. 1): „Sicut apostolus dicit (Rom. XIII, 1), *quæ a Deo sunt, ordinata sunt.* In hoc autem ordo rerum consistit, quod quædam per alia in Deum reducantur, ut Dionysius dicit. Cum igitur gratia ad hoc ordinetur, ut homo reducatur in Deum, ordine quodam hoc agitur, ut sc. quidam per alios in Deum reducantur. Secundum hoc igitur duplex est gratia: una quidem, per quam ipse homo Deo coniungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens; *alia vero, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur; huius modi autem donum vocatur gratia gratis data,* quia supra facultatem naturæ et supra meritum personæ homini conceditur. *Sed quia non datur ad hoc, ut homo ipse per eam iustificetur, sed potius ut ad iustificationem alterius cooperetur,* ideo non vocatur gratum faciens. Et de hac dicit apostolus (I. Cor. XII, 7): *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem,* sc. aliorum.“ Comparanti utrumque textum s. Doctoris modo citatum apparet, s. Thomam potestatem Ordinis referre inter gratias gratis datas ideoque docere, eam non dari „ad hoc, ut homo ipse per eam iustificetur, sed potius ut ad iustificationem alterius cooperetur.“ Ergo neque potestatem conferendi infirmis Extremam Unctionem sacerdos valet exercere erga seipsum.

IV. Longe ultra Clericatum progressus recentissimo tempore *D. A. Boudinhon* in „Revue Catholique des Églises“[1]) com-

[1]) Mense Julio a. 1905, p. 401 s.: Je ne vois pas pourquoi, en l'absence de toute déclaration de l'Église, on ne pourrait regarder comme suffisant le ministère du malade ou d'un autre fidèle, dès lors que l'huile bénite avait été préalablement sanctifiée et était devenue comme le véhicule de la grâce. Qu'importe le ministre de la distribution de l'Eucharistie? Quoique le laïque ne soit pas le ministre ordinaire du Baptême, le sacrement n'est-il pas valide quelle que soit la personne qui le con-

mendat sententiam, etiam *laicos ægrotos* per se *posse sibimet impertire sacramentalem Unctionem,* et de facto tempore ss. Patrum laicos sibi ipsis et aliis sacramentum contulisse. Auctor theologis sequentia momenta expendenda proponit: Parum refert, quis distribuat Eucharistiam. Baptismum laicus valide confert. Oleum consecratum bene consideratur ut sacramentum quasi-permanens, ita ut interventus ministri sacri in eius applicatione non sit necessarius. Si fideles laici antiquitus ipsi sacrum ritum perfecerunt, melius intelligitur, cur de eo adeo rara documenta Patrum extent. Quin solum s. Innocentii I. et Cæsarii Arelatensis clara testimonia de re nostra supersunt; uterque autem docet, laicos ipsos sibi (et aliis) sacramentum ministrare valere.

Respondemus: *a.* Meritissimum auctorem effugit, esse dogma definitum, solum sacerdotem esse ministrum sacramentalis Unctionis infirmorum. Citavimus p. 243 canonem Concilii Tridentini, qui continet: „Si quis dixerit . ., *proprium* Extremæ Unctionis ministrum non esse *solum* sacerdotem, a. s.“ Minister proprius est, quem sacramentum vi institutionis divinæ exigit sive is, cui sacrum officium ita competit, ut omnis alius ab eo absolute excludatur. Quare Concilium sess. VII. determinans ministrum Confirmationis minime docet,

fère? Il y aurait même quelque chose de très favorable à l'idée de l'effet sacramentel *ex opere operato* dans cette communication de la grâce par le moyen de l'huile consacrée, sans qu'une seconde intervention du ministre sacré fut nécessaire. En tout cas, rien de plus conforme à l'idée du remède, dont la valeur est pour ainsi dire intrinsèque, et ne dépend pas de la personne qui l'applique. Rien n'empêche d'ailleurs de ne reconnaître la valeur sacramentelle qu'au rite accompli par le prêtre, même au temps d'Innocent. Mais si on adopte cette manière de voir, on se prive, pour la thèse théologique, de l'appui de ce texte, plus encore, des deux passages de saint Césaire que nous allons citer. — Pour terminer ce commentaire, je crois utile une dernière observation. Ne doit-on pas voir, dans cette pratique de l'Onction laissée au soin des fidèles eux-mêmes, une des raisons qui ont rendu si rares les témoignages de l'antiquité sur l'Extrême-Onction? Pratiqué par les malades eux mêmes, ce rite prête beaucoup moins à des mentions précises dans la vie des saints personnages, à des allusions dans les discours des évêques ou à des décisions conciliaires, puisqu'il n'était soumis à aucune réglementation. Sans m'exagérer la portée de cette remarque, je pense qu'elle mérite quelque attention.

solum episcopum esse eius ministrum *proprium,* sed: „Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis *ordinarium* ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, a. s.“; potest enim facultas confirmandi delegari presbytero. Propter definitionem tridentinam theologi plurimi tum scholastici diversarum scholarum tum positivi affirmant, *de fide* tenendum esse, solum sacerdotem posse valide conferre Extremam Unctionem.[1] *b.* Rationes, quibus contra Clericatum est ostensum, sacerdotem non habere potestatem seipsum sacramentaliter inungendi, excludunt etiam opinionem, in quam inquirimus. *c.* Cum auctor noster ex eo, quod Extrema Unctio habet materiam consecratam, infert, non requiri ministrum consecratum, ex eodem principio magni doctores (Cf. textus s. Bonaventuræ p. 247) concludunt, neminem nisi sacerdotem habere potestatem inungendi sacramentaliter. *d.* Textus s. Innocentii I. et s. Cæsarii Arelatensis examinavimus libri primi capite I, a. 2. Ceterum si quis existimet, s. Cæsarium docere, laicorum esse, ut se vel alios ungant s. oleo infirmorum, nequit eum adducere ut testem, Extremæ Unctioni convenire rationem sacramenti.

ARTICULUS II.

DE NUMERO PRESBYTERORUM IN ADMINISTRATIONE EXTREMÆ UNCTIONIS REQUISITO.

In ecclesia *latina* ab aliquot sæculis viget disciplina, ut unicus sacerdos præbeat sacramentalem inunctionem. *Quam disciplinam Lutherus carpsit* scribens in libro de Captiv. Babyl. (De Captiv. sacramenti Unctionis): „Neque hoc servant isti, quod apostolus iubet, presbyteros Ecclesiæ induci et super infirmum orari. Vix unus sacerdotulus nunc mittitur, cum Apostolus velit multos adesse, non propter unctionem, sed propter orationem. Unde dicit: *Oratio fidei salvabit in-*

[1]) Cf. e. gr. *Suarez,* disp. 43, s. 1, n. 2; *Nugnus,* in Suppl. s. Th. qu. 31, a. 2; *Gonet,* Clyp. t. V, de E. U. disp. 3, a. 2; *Mastrius,* disp. 22, qu. 6, a. 1; *Frassen,* de sacr. E. U. disp. 3, qu. 3, concl. 2; Sylv. *Maurus,* t. III, qu. 260; *Drouven,* de re sacram. l. 7, qu. 4, c. 2; *Sasse,* de sacram. t. II, p. 264; *Gihr,* die hl. Sacramente t. II, p. 294 s.; *Heimbucher,* die hl. Ölung p. 40.

firmum etc. Quamquam incertum est mihi, an sacerdotes velit intelligi, cum dicat presbyteros, i. e. seniores.“ Lutherum imitati sunt *Calvinus*[1]) aliique auctores protestantes, quos omnes *Drouven* bene reicit animadvertens (De re sacram. l. VII, qu. 4, c. 2): „Quis non rideat Lutheranorum et Calvinistarum scrupulosam sollicitudinem inde quidem præfracte negantium, unctionem naturam veri sacramenti habere, illinc vero romanam ecclesiam vellicantium propterea, quod more hodierno non plures sacerdotes, sed unus vocetur, qui oret super infirmum et ungat!“

Etiam inter theologos orientales fuerunt, qui assererent, in nullo casu unicum presbyterum sufficere.[2]) Hos auctoritas *Symeonis Thessalonicensis* permovisse videtur, qui in opere sæpius citato de s. ritu sancti olei docet:[3]) „Frater quidem Dei presbyterorum non dixit numerum, consuetudo autem septem advocari edocuit.. Quidam vero, ubi est sacerdotum penuria, tres tantum advocant, et hoc culpa caret.. Quidam autem plures quam septem congregant in signum maioris fidei et voluntatis. Sed non oportet de numero disceptare, cum numerus scriptus non sit. Attamen, etsi scriptus non fuerit, necesse est, antiquam servari traditionem: adsint quidem septem secundum antiquum morem; at, si necesse fuerit, ad minimum tres; et omnia dicant, quæcunque dicere traditum est, quoniam a Spiritu sunt omnia, quæ a Patribus accepta sunt. *Unus autem presbyter non conficiat euchelæon,* quoniam quemadmodum de episcopo scriptum est, ne ab uno ordinetur, ita et de euchelæo, ne ab uno presbytero conficiatur. *Inducat,* inquit, *presbyteros Ecclesiæ* — et non unum presbyterum — *et orent super eum ungentes eum oleo.*“

Si quæramus, *cur Orientales numerum septenarium* ministrorum, quantum fieri potest, *exigant,* respondet nobis *Arcudius* (Concordia, l. V, c. 3): „Septem numero presbyteros Græcorum ecclesia exigit sive propter septem peccata mortalia sive quia septenarius numerus in s. Scriptura valde commendatur et non caret mysterio, quia iubilæum complec-

[1]) Instit. l. IV, c. 19.
[2]) Cf. Echos d' Orient, Avril-Mai 1899 p. 197, et Ralli op. cit. p. 114.
[3]) M. 155, 515 s.

titur, sive propter septem corporis partes, quas ungunt.“ Etiam recentes theologi græci rationem septenarii numeri in eo reponunt, quod sit sanctus et mysticus. *Mesoloras* e. gr. scribit (*Ἐγχειρίδιον*, p. 220): „*Ὁ ἀριθμὸς ἕπτα ἀνέκαθεν ἦτο ἱερός — ἕπτα ἡμέραι, ἕπτα ἑβδομάδες, ἑπτάρωτος λυχνία, ἕπτα μυστήρια κ. τ. λ.* Mire iam *Symeon Thessalonicensis* rationes numeri septenarii ministrorum coacervavit l. c: „Quod ego, ait, fieri censeo propter septem apud Isaiam numerata Spiritus dona vel propter septem illos V. L. sacerdotes, qui Dei iussu septies circa Jericho tuba cecinerunt et mœnia everterunt; sic et illi iniquam civitatem et ardua elationum peccati mœnia destruunt; vel cum mortua sit anima, ad imitationem prophetæ puerum illius Sunamitidis ad vitam revocantis sacerdotes septies deprecati illam resuscitant, quemadmodum Elisæus puerum septies in eum incurvatus et septies deprecatus; vel perinde ac Elias septies precatus cœlum, quod propter peccata clauserat, rursum aperuit et inde pluviam eduxit, ita isti septies deprecati solvunt quidem peccati siccitatem, cœlum vero aperiunt more Petri clavem gratiæ gestantes atque misericordiæ Dei remissionem ut pluviam educunt. Hæc mihi videtur esse ratio septem sacerdotum.“

Si ulterius quæramus, *cur ecclesia latina unico ministro committat* s. officium, etiam si plures sine difficultate convocari possent, *Benedictus XIV.* rationem minime mysticam assignat (De synodo l. VIII, c. 4, n. 6): „Si porro causam investigemus, cur ecclesia latina, quamvis etiamnum plures adesse cupiat, per unicum tamen sacerdotem velit sacramentum administrari, quantum ex coniecturis assequi licet, non aliam nisi hanc fuisse suspicamus: Cum plures simul sacerdotes ad infirmum inungendum advocabantur, quilibet pro sua opera haud exiguam exposcebant mercedem; cui solvendæ cum pauperum vires non sufficerent, ii sine Extrema Unctione decedebant. Quamobrem hæretici Waldenses seu pauperes de Lugduno, uti narrat Reinerus O. Pr. in opere contra eosdem circa annum 1254 exarato, inter ceteras falsas rationes, propter quas sacramentum Extremæ Unctionis reprobabant, hanc etiam adducebant: ‚quia tantum divitibus datur.‘ Curaverunt sane ecclesiarum præsules prædictam turpem sacerdotum avaritiam reprimere severisque sanctionibus interdixerant pro sacramen-

tali Unctione quidquam exigere.. Verum cum hæc repagula haud sufficientia comperta sint ad compescendam sacerdotum petulantiam, visum est deliberandum, ut deinceps Extrema Unctio nulla petita mercede a solo conferretur ægrotantis parocho."

Verum hæc coniectura nullis documentis historicis confirmari videtur. Videbimus quidem, sacrilega avaritia parochorum, qua sacramentum enormi pretio vendebant, factum esse, ut sæculis posterioribus medii ævi in multis regionibus Extremam Unctionem sibi comparare pauperes nequiverint, divites nisi omni spe vitæ amissa noluerint. At hanc immanem impietatem sacerdotum iam illo tempore et illis in locis grassatam esse, ubi plures simul sacramentali officio fungebantur, fontes historici non produnt nec documenta, ad quæ auctor operis de synodo diœcesana remittit, innuunt. *Videtur potius dicendum esse,* in ecclesia latina ex rationibus practicis nunquam valde diffusum fuisse morem, ut plures sacerdotes simul infirmo s. officium impertirent. Inter 32 antiquos „Ordines", quos Martène collegit, tantum tres inveniuntur, qui non solum præsentiam, sed etiam sacramentalem cooperationem plurium presbyterorum prodant. Pauca etiam ab antiquis referuntur exempla administratæ Extremæ Unctionis per plures sacerdotes. Quare illæ ecclesiæ particulares, quæ talem disciplinam observabant, vix nimium momentum ei tribuebant; in multis locis, e. gr. ruri ob defectum sacerdotum non poterat servari; casus necessitatis per se postulabant exceptiones; sacerdotes sæpe aliis occupationibus fuisse impeditos, forte interdum ex defectu fervoris impedimenta prætexuisse, facile conicimus; uniformitas erga omnes ægrotos desiderabatur etc. Hinc poterat sensim praxis pluralitatis ministrorum evanescere. Quæ explicatio etiam ex eo commendatur, quod nullum decretum auctoritatis ecclesiasticæ extat, neque universale neque particulare, quo dicta disciplina abrogetur.

Theologi græci, qui plures ministros necessarios esse nulla admissa exceptione contendebant, insistebant verbis s. Jacobi: „Inducat *presbyteros* Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo." Qui textus nonnihil vexat theologos latinos. *Variis modis se ab hac ratione expedire conati sunt.*

Omnes solutiones, quæ propositæ sunt, complectitur *Berti* scribens (De theol. discipl. l. 35, c. 8, propos. 4): „Primo inusitatum non est, in sacris litteris poni per figuram, quam ἐναλλαγήν sive permutationem dicunt, pluralem numerum pro singulari. Ita enim Matth. XXVII, 44 legitur: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei,* cum tamen constet ex Luçæ XXIII, 39, Domino conviciatum unum dumtaxat de his, qui pendebant latronibus. Lucas item citato capite versu 36 inquit: *Illudebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes* ei; ac similia Joannes XIX, 29, tametsi id ab uno factum narrent Matthæus XXVII, 48 et Marcus XV, 36. Addi possunt exempla alia ex ipsis hæreticis petita; nam Glassius Lutheranus de Verbo can. 51 docet, de solo Herode accipiendum esse, quod legitur Matth. II, 20: *Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri;* et Grotius Arminianus de solo Daniele interpretatur, quæ habentur in epistola ad Hebræos XI, 33: *Obturaverunt ora leonum,* quæ interpretatio est optima et longe antea tradita ab Augustino l. III. de Cons. evang. c. 16. Dicant modo, qui adversus Catholicos non habent præter nudam litteram quid opponant, cur Jacobi verba non possimus pariter per ἐναλλαγήν explicare? Sane Estius Comm. in Jacobum expositionem hanc probat eamque confirmat phrasi altera Augustiniana; nam s. Pater serm. 33 de diversis, nunc 324 scribit, quandam mulierem, quæ a b. Stephano vitam infanti suo mortuo precibus impetraverat, tulisse eum ad presbyteros baptizandum, i. e. ad aliquem presbyterum." Addit, etiamsi detur, apostolum de multis presbyteris loqui, nondum sequi, eum multos postulare ob necessitatem sacramenti.

Verum illa interpretatio s. Jacobi per ἐναλλαγήν videtur *merum esse effugium,* cum neque in contextu epistolæ neque in aliis locis Scripturæ ullum inveniatur indicium, versum, de quo agitur, continere figuram. Dein si s. Jacobus loquitur per ἐναλλαγήν, re docet, *unum* presbyterum esse vocandum. Theologus autem catholicus debet ostendere, ecclesias orientales saltem unitas recte plures ministros adhibere; quare illa explicatione difficultas solum mutatur. *Textus originalis mentem apostoli optime manifestare videtur.*

Propositio IX. Sacramentum Extremæ Unctionis tum ab uno sacerdote tum a pluribus valide confertur.

Probatur I. pars ex textu s. Jacobi. Apostolus fideles instruit: „*Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν· προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας κ. τ. λ.*" Quinam sacerdotes designantur per terminum: *οἱ πρεσβύτεροι τῆς ἐκκλησίας?* Sane non omnes sacerdotes totius Ecclesiæ catholicæ per orbem diffusæ. Sed neque omnes sacerdotes, quos *quovis tempore* una aliqua ecclesia particularis vel una aliqua urbs numerat. *S. Cornelius* papa in epistola quadam ad Fabium, episcopum Antiochenum, narrat, suo tempore (sæc. III.) in ecclesia romana esse presbyteros quadraginta sex. Nemo affirmabit, ex præscripto s. Jacobi necesse fuisse, ut omnes hi 46 presbyteri ad singulos ægrotos convenirent eosque s. oleo ungerent. Apostolus proxime loquitur ad homines sui ævi. Multa quidem sunt obscura, quod attinet statum ecclesiarum tempore apostolico. Sed res ipsa secum ferebat, ut in parvis oppidis, in quibus nondum multi christiani numerabantur, solus episcopus vel etiam unicus presbyter omnia officia sacerdotalia obiret, dum in aliis civitatibus e. gr. Jerosolymis, Antiochiæ, Corinthi iam complures presbyteri episcopum adiuvabant. Cum igitur s. Jacobus ægrotos monet, ut vocent *τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας,* per se patet eum velle, ut vocent presbyteros, quos in propria ecclesia habent: vel solum episcopum vel tantum unicum presbyterum stricte sic dictum, vel episcopum cum presbyteris. Revera si quis audiret consilium: Infirmatur quis in vobis? Inducat medicos *(τοὺς ἰατροὺς)* loci, continuo intelligeret, commendari usum artis medicæ ideoque suaderi, ut pro circumstantiis loci unus vel complures medici adsciscantur. Eodem modo intelligendum est præceptum apostolicum. Nullum enim fundamentum habet in textu ipso interpretatio exigens in omni casu complures sacerdotes; nam non dicitur: *προσκαλεσάσθω ἐνίους πρεσβυτέρους,* sed *τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας* i. e. propriæ ecclesiæ. Poterat igitur secundum mandatum s. Jacobi s. Unctio a solo episcopo vel ab uno vel a compluribus presbyteris administrari pro circumstantiis diversarum ecclesiarum. Eo ipso patet, ad valorem ritus ubivis sufficere unicum sacerdotem. Ergo numerus sacerdotum non spectat ad essentiam sacramenti. Unde sequitur, Ecclesiam pro diversitate temporum et locorum diversum numerum ministrorum posse definire et suo iure usam esse, cum in Occidente induxit disciplinam, ut unicus sacerdos fungatur munere sacro.

Idem apparet ex Traditione. Documenta antiquitatis, quæ l. I, c. 2 allata sunt ad probandum, ævo magnorum Patrum sacram infirmorum Unctionem in communi Ecclesiæ usu viguisse tamquam verum N. L. sacramentum, simul ostendunt, communem fuisse Orientis et Occidentis persuasionem, sacramentum ab *uno* sacerdote valide et licite conferri. Complura ibi ponuntur exempla administrati sacramenti. In plerisque invenimus unicum ministrum, sive episcopum sive presbyterum. Ut unum factum ex Oriente repetamus, narrat Callinicus de s. Hypatio: „Si vero necessitas suaderet, infirmum oleo sacro inungi debere, monebat *abbatem*, qui presbyter erat, et curabat ab ipso perfici unctionem." Auctores illius temporis, qui de ritu ungendi scripserunt, clare manifestant, in multis saltem regionibus unicum sacerdotem infirmis inunctionem impertivisse. *Cassiodorus* præceptum s. Jacobi refert verbis: „Si quis alterius prægravatur iniuria vel corporis imbecillitate quassatur, *presbyterum* dicit adhibendum, qui oratione fideli et olei sancti perunctione concessa salvet eum." *Isaac Antiochenus* vituperat mulieres superstitiosas: „*Sacerdotem* visitatorem non probatum habent stultæ ideoque signationem eius contemnunt . . At potius, o mulier, donum quidem tribue recluso, sed signationem a *sacerdote* tuo accipe. Servi Christi et orthodoxi afferre solent ægrotos et infirmos ad sanctum altare, non autem ipsi oleum conficere audent, ne domum expiationis contemnere videantur, sed ubi *sacerdos* est regens plebem, observant ordines iustitiæ." Idem aperte indicat *Innocentius I.*, cum Decentium instruit: „Idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si *episcopus* aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere." Si episcopus potest solus præbere sacramentum,

non est, cur dicamus, divino iure complures requiri presbyteros. — Tandem maior pars librorum ritualium antiquitatis christianæ nobis referunt, ab uno sacerdote sacramentum esse collatum. Exempla exhibet liber secundus.

Notum est, parochos exclusis omnibus aliis sacerdotibus habere ius conferendi Extremam Unctionem. Excipitur solum casus urgentis necessitatis. Excommunicationem romano Pontifici reservatam incurrunt religiosi „præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiam per Viaticum ministrare absque parochi licentia.“

Prob. II. pars. Primo iterum ex textu s. Jacobi. Cum enim apostolus dicit: *Inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum etc.,* manifesto commendat, ut, quantum fieri potest, omnes presbyteri eius ecclesiæ, cui infirmus adscriptus est, sacramentalem ritum perficiant. Si igitur non obstet positiva lex Ecclesiæ, quæ pro circumstantiis temporum vel locorum præscribat, ut unus sacerdos s. ministerium peragat, plures sacerdotes valide et licite illud perficiunt.

Secundo ex Traditione. Nullum quidem superest documentum ævi patristici, quod testetur, tunc plures sacerdotes sacramentum administrasse. Immerito a multis auctoribus citatur animadversio sacramentarii Gregoriani: „Multi sacerdotum infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis etc.“ His enim verbis solum dicitur, multos sacerdotes servare morem, ut cum ægroto exhibent sacramentum, ungant etiam quinque sensus corporis. Item non sunt ad rem testimonia, quæ solum ostendunt, plures sacerdotes s. functioni interfuisse. Quo etiam spectant verba s. *Thomæ* (Summa c. gent. l. IV, c. 73): „Quia hoc sacramentum perfectæ curationis effectum habet et in eo requiritur copia gratiæ, competit huic sacramento, quod multi sacerdotes intersint et quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum huius sacramenti coadiuvet, unde Jacobus dicit: *Inducat etc.* Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cuius minister existit et cuius personam gerit.“ Recte ad ista verba *Billuart* advertere videtur (De Extrema Unctione c. 5):

„Ubi nota, plures sacerdotes requiri . ., non ut omnes sacramentum administrent, sed ut precibus suis ministrantem adiuvent.“

Nihilominus *certa extant argumenta, satis antiquis temporibus multis in locis fuisse praxim, ut plures sacerdotes* non solum precibus suis ægrotum adiuvarent ad obtinendum plenum effectum divini remedii, sed ut etiam simul *conferrent ipsum sacramentum.* — Quod ostendunt *pro ecclesia latina antiqui Ordines.* Ordo XIV. e. gr. inter eos, quos collegit Martène, qui sumptus est „ex vetustissimo codice Bibliothecæ Regiæ n. 4208 ab annis circiter 700 scripto“, ita habet: „Tunc singuli sacerdotes perungant infirmum de oleo sanctificato facientes cruces in collo etc.“ Dein ponuntur orationes, quas singuli sacerdotes, dum ungunt, recitare debent. Quibus consentiunt Ordines XV. et XXII. Martène etiam citat (p. 837) statuta ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis et Tutelensis, quæ præscribunt: „Debent in collatione huius sacramenti plures esse sacerdotes, si potest commode fieri; et non debet unus inungere et alius orationem infundere, ne fiat divisio sacramenti, licet uno inungente et alio orante alii postea statim orent, vel uno inungente et orante possunt quilibet inungere et orare. Sacerdos etiam solus cum clerico suo hoc sacramentum poterit conferre, si non possunt alii sacerdotes adhiberi.“ Potest addi, quod scribit *Benedictus XIV.* (De synodo l. VIII, c. 4, n. 5): „Eundem morem nobis exhibent constitutiones Angliæ, collectæ a Guillelmo Lyndewode, in quibus ad tit. de Extrema Unctione p. 26 legimus: ‚Cum magna reverentia deferatur oleum infirmorum ad infirmos, et ipsos inungant sacerdotes cum magna devotione et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ:‘ ubi annotavit glossator . ., a singulis sacerdotibus pronuntiatam fuisse formam deprecativam cuilibet unctioni accommodatam. Cumque eandem constitutionem totidem prorsus verbis repetitam inveniamus inter constitutiones Odonis, episcopi Parisiensis,[1]) inde conicimus, eam disciplinam in Galliis adhuc perdurasse sæc. XII., quo illæ sunt editæ. Quinimo sequenti etiam sæc. XIII. et ultra retentam alicubi eandem disciplinam, non obscure significant posteriora synodalia statuta.“

[1]) Harduin, VI, pars 2, col. 1941.

Ecclesiam græcam in probanda eadem praxi concordare cum latina, immo convenientiam pluralitatis ministrorum quondam ita exaggerasse, ut invalida haberetur sacramentalis Unctio infirmi ab uno presbytero collata, iam vidimus (p. 254s.). *Expressa lex,* ut euchelæon non administretur nisi a septem presbyteris, videtur primum lata esse ab *Arsenio,* patriarcha Constantinopolitano, circa annum 1260. Nam *Nicephorus II.* († a. 1261), Arsenii depositi successor, in brevi quodam scripto „contra eos, qui dicunt, mortuos sacro oleo ungendos esse", narrat:[1]) „Pater noster — Arsenium dico Constantini egregiæ urbis patriarcham — cæremoniam hanc per septem ministros fieri iussit, etiamsi episcopi sint vel metropolitæ." *Ceterum eundem ritum iam ante annum millesimum late in ecclesia græca fuisse diffusum,* suadet „Ordo servandus, cum pro ægrotis septem sacerdotes advocantibus oleum sanctum vespere faciendum est"; qui Ordo a *Goar* editus[2]) sæculo IX. attribuitur.

Argumentum Traditionis confirmant sectæ orientales iam sæculo V. et VI. ab Ecclesia separatæ. *Denzinger* refert[3]) (Ritus Orient. t. I, p. 188): „Orientales septem sacerdotes regulariter huic officio impendere solent vel, si non adsint, quinque vel tres vel, si opus sit, etiam unum;" quod deinde de singulis illorum ecclesiis ostendit.

Tertio ex approbatione huius disciplinæ per supremam auctoritatem ecclesiasticam.

Concilium provinciale Ruthenorum Zamosciæ a. 1720 celebratum tit. III, § 6 statuit:[4]) „Quamquam in græca ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in latina, ut septem sacerdotes, iisque deficientibus tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc sacramentum, iique omnes et ma-

[1]) M. 140, 808.

[2]) Euchologium, p. 346 ss. De historica evolutione ritus sacramenti Unctionis infirmorum in ecclesia græca, utiliter possunt consuli *A. Petrovskij* „de benedictione olei sub respectu rituali" in „Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija t. V (1904), Germogenes et Stephanus episcopi in operibus citatis.

[3]) Cf. *Maltzew,* Die Sakramente etc. p. CCCXXXIII ss.

[4]) Coll. Lac. t. II, p. 37.

teriam subministrarent et formam proferrent, sciant tamen pastores, plures ea de causa adhiberi solitos sacerdotes, tum ob reverentiam eiusdem ac gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurium sacerdotum preces effectum sacramenti coadiuvent. Qua de causa s. Synodus statuendum censet, ut si septem aut tres sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiæ personam gerit, ex cuius virtute hoc sacramentum perficit, illud conferat ac infirmo ministret". Jam vero *Benedictus XIII.* constitutione „Apostolatus officium" citatam synodum „omniaque et singula in ea edita statuta, ordinationes et decreta" auctoritate apostolica confirmavit.[1]) — Paucis annis post *Benedictus XIV.* edidit constitutionem „Etsi pastoralis" de dogmatibus et ritibus ab Italo-Græcis servandis, quæ § V. ad rem nostram habet:[2]) „Infirmis vero iuxta verbum Jacobi apostoli Unctio exhibeatur Extrema. Nec *refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum vel plures presbyteros fiat,* ubi huiusmodi viget consuetudo; dummodo credant et asserant, illud sacramentum servata debita materia et forma ab uno presbytero valide et licite confici."

Nota. Quod Benedictus XIV. ab Italo-Græcis exigit, ut credant et asserant, Extremam Unctionem servata debita materia et forma ab uno presbytero valide et — ubi non obstet legitimæ auctoritatis ordinatio — licite confici, præsenti tempore ecclesiæ ritus græci non tantum unitæ, sed etiam dissidentes præstant. Jam *Metrophanes* Critopulus testatur (Confessio c. XIII): „Ægrotante quopiam fidelium a familiaribus ipsius septem presbyteri advocantur. Potest etiam fieri, ut pauciores sint quam septem, atque ut aliis absentibus numerus ad unum contrahatur". Ut unum vel alterum ex recentioribus theologis russiacis audiamus, *Ignatius* archiepiscopus scribit (De sacramentis, p. 774): „Numerus, quot nempe debeant adesse presbyteri in olei benedictione [quæ fit, cum sacramentum est conferendum] non indicatur [textu Jacobi], solum generatim commemoratur: *inducat presbyteros Ecclesiæ;* quod quidem ita intelligi potest, quasi dictum sit: vel quemlibet ex

[1]) Coll. Lac. t. II, p. 2 s.

[2]) Ibidem p. 511. Cf. p. 582, can. 5 Conc. patriarch. Græco-Melchit. cath.

presbyteris vel neminem alium nisi presbyteros. Quamobrem s. Ecclesia et optat, ut euchelæo conficiendo adsit cœtus presbyterorum plenus: septem (totidem lectiones, orationes, unctiones), vel ut adsint saltem tres, duo presbyteri sec. Matth. XVIII, 19 s. Ceterum *in casu insuperabilis impossibilitatis congregandi personaliter complures presbyteros, ex consuetudine non habetur impossibilis collatio sacramenti per unum presbyterum,* dummodo conficiat illud nomine Ecclesiæ, nomine cœtus presbyterorum, pro quo et omnes offert orationes, quot prò cœtu positæ sunt. Quod appellatur spiritualis præsentia ministrorum iuxta ep. I. ad Cor. V, 4.“

Item *Macarius* metropolita (Orth. dogm. theologia § 231): „Numerus presbyterorum ad administrandam s. Unctionem secundum antiquam orthodoxæ ecclesiæ consuetudinem communiter est septenarius . . At cum hic numerus non sit determinatus ab apostolo, et non requiratur ad essentiam sacramenti, ideo interdum pro circumstantiis administrabatur et a maiore numero sacerdotum et a minore, etiam a tribus et ab *uno.*“

Quin protohiereus *Michael Archangelskij* narrat (De mysterio s. olei p. 47 s.), in Russia laicos nunc raro a pluribus sacerdotibus inungi; *plerumque unicum presbyterum sacrum officium peragere;* septenarium tamen numerum servari, cum infirmus est membrum hierarchiæ ecclesiasticæ vel monachus.

Eandem praxim, ut saltem in casu necessitatis unicus presbyter munere Unctionis infirmorum ministri perfungatur, pro Hellade testantur *Mesoloras* et *Ralli*. *Prior refert* (*Ἐγχειρίδιον,* p. 220): *Ἐν ἀνάγκῃ δύνανται νὰ λάβωσι μέρος καὶ ὀλιγώτεροι ἱερεῖς, καὶ εἷς μόνον, ὡς ἐν τοῖς χωρίοις. Alter* (*Περὶ τῶν μυστηρίων,* p. 112) ait: *Ἑπτὰ ἱερεῖς κατὰ τὴν παλαιὰν τῆς ἐκκλησίας τάξιν, ἢ καὶ τρεῖς ἢ δύο ἢ καὶ εἷς μόνος ἱερεὺς ἐν ἀνάγκῃ τελεῖ τὸ μυστήριον τοῦτο.* Simul erroneam declarat sententiam eorum, qui sustinent, in nullo casu unum ministrum sufficere: *ἐσφαλμένως δέχονται. . .*

Ex omnibus licet concludere, totam diversitatem inter ecclesiam latinam et ecclesias orientales tum unitas tum dissidentes esse mere disciplinarem, si solum numerum ministrorum attendimus, ideoque esse auctoritatis ecclesiasticæ, ut pro temporum et locorum diversitate constituat, quod magis convenire videtur.

ARTICULUS III.

DE RITU, QUO A PLURIBUS PRESBYTERIS SACRAMENTUM POTEST ADMINISTRARI.

Est nostro sacramento proprium, quod debet modo deprecativo conferri. Sacerdos unctione et oratione fidei, quam fundit nomine totius Ecclesiæ, infirmum efficaciter reponit in manu misericordiæ divinæ. Insuper sacramentum ordinatur ad perfectam animæ sanitatem, qua disponatur ad immediatum introitum gloriæ; unde requirit, ut cum s. Thoma loquamur, copiam gratiæ. Jam vero sacramentale officium peragi nomine totius Ecclesiæ, commendari hominem efficaciter misericordiæ divinæ, exorari copiam gratiæ: per pluralitatem ministrorum quasi oculis infirmi et adstantium obicitur; unde augetur reverentia, devotio, fiducia. „Sciant pastores, docet synodus Zamoscena,[1]) plures ea de causa adhibere solitos sacerdotes: tum ob reverentiam eiusdem tum ob gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurium sacerdotum preces effectum sacramenti coadiuvent.“

Possunt autem plures ministri sacramentalem functionem diversis per se modis conficere. Possunt enim cooperari ita, ut omnes singula membra (moraliter) simul ungant et orationem, quæ est forma, dicant; possunt omnes simul ungere et unus tantum formam proferre; possunt vicissim omnes simul orationem sacramentalem fundere, dum unus ægrotum ungit; possunt unctiones et respectivas preces inter se dispertiri ita, ut unus unum membrum formam pronuntiando liniat, alii alia, idque vel simul vel successive. Modis hucusque enumeratis certe valide sacramentum confertur. Omnia enim essentialia a sacerdotibus tamquam ab una persona morali ponuntur.

Duo vero modi in quæstionem veniunt. Possunt enim per se presbyteri officium ita inter se distribuere, ut una pars silens ungat, altera, plures vel unus, tantum formam recitet non ungendo. *Menardus* et *Martène* et post eos multi alii asserunt, secundum quosdam antiquos Ordines hunc ritum fuisse præscriptum.

[1]) Coll. Lac. t. II, p. 37.

Remanet ultimus modus, qui in ecclesiis ritus græci late exercetur, ut nempe primus presbyter omnes unctiones dicendo simul formam perficiat, post eum secundus idem faciat mutatis solum accidentalibus orationibus et lectionibus, post secundum tertius, quartus et sic porro.

Prior modus a Benedicto XIV. in Constitutione „Etsi pastoralis“ *est interdictus.*[1]) „Idem sacerdos materiam adhibere formamque pronuntiare respective debet; ac propterea qui ungit, idem dicat formam respondentem; nec alius ungat et alius formam pronuntiet.“ Theologi plerique censent, Extremam Unctionem collatam modo a Benedicto XIV. vetito esse invalidam. Videtur tamen distinguendum esse. Sunt formæ quædam, e. gr. ea, quæ sola ex longo tempore adhibetur in ecclesia latina, quæ nulla ratione exprimunt, deprecantem infirmo etiam materiam adhibere. Cum ministri plures constituant unam personam moralem nomine et auctoritate Christi et Ecclesiæ perficientem munus sacrum, cumque ex supposito forma ideo, quod pronuntians eam non applicat materiam, non trahatur in sensum falsum, vix demonstrabitur, sacramentum ita collatum non valere. Unde si in casu necessitatis non essent præsto nisi duo sacerdotes, alter usu manuum, alter usu linguæ privatus, non videtur prohiberi, quominus saltem sub conditione s. Unctionem conferrent.

Sunt aliæ olim inter ungendum adhibitæ orationes, quæ exprimunt, ipsum deprecantem materiam applicare; e. gr. oratio sacramentarii Gregoriani a Menardo editi: „Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non lateat in te spiritus immundus etc.“ Jam vero dictum sacramentarium ritum inunctionis ordinat verbis: „Et sic perungat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo et gutture et inter scapulas; et in pectore seu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur; et supplicando, dum ungitur infirmus, dicat *unus* ex sacerdotibus hanc orationem: Inungo te etc.“ Ad hæc advertit *Menardus:* „Notandum, ungente sacerdote formam ab alio proferri; quod favet eorum opinioni, qui dicunt, hunc validum esse baptismum, si uno verba proferente alter mergat aut aquam infundat.“

---

[1]) Coll. Lac. t. II, p. 511.

Pondus huius animadversionis crescit per Ordines IV. V. XIV. inter editos a Martène, qui exhibent eandem rubricam quam sacramentarium Gregorianum paucis, quæ nostram quæstionem non attingunt, mutatis, et orationem, quæ incipit: Ungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti etc. Jam vero si illa rubrica vere præscribit, ut unus sacerdos ægrum inungat et alius formam pronuntiet, standum est pro valore sacramenti sic administrati. Nimis enim durum est dicere, complures ecclesias, forte etiam romanam, per longum tempus fidelibus tantum specietenus dedisse Extremam Unctionem. Ad id autem, quod tali ritui maxime opponitur, formam trahi ad sensum falsum, si proferatur ab eo, qui materiam non applicat, dicendum est, plures sacerdotes esse moraliter unum ministrum ideoque parum referre, utrum actionem exprimat ille sacerdos, qui eam physice ponit, an alius.

Attamen valde dubitare licet, num dicta rubrica reipsa habeat sensum, quem primo aspectu offert. Ordines, in quibus invenitur, modo videntur supponere, unum tantum adesse sacerdotem, modo sermo est de sacerdotibus. Quod suggerit coniecturam, eos ortum debere Ordini destinato pro officio s. Unctionis peracto ab uno ministro, cui deinde quædam sint addita pro subsequenti disciplina adhibendi plures ministros, non mutatis omnibus, quæ mutanda erant. Si hæc coniectura vera est, prodit sensus rubricæ: „Et sic perungat — vel perungant — infirmum. Et supplicando, dum ungitur, dicat unus ex sacerdotibus, — si plures sunt — hanc orationem: Ungo te“ etc. Verum seposita coniectura, sensus rubricæ potest esse: Dum unus sacerdos ungit, alter præeundo alta voce recitet formam, quam ungens submissa voce dicat. Propter longitudinem formæ in dictis Ordinibus aliquod adiumentum memoriæ erat necessarium. Modus aptus ministrum iuvandi certe erat ille, quem indicavimus.

Judicium de posteriore modo, quem servant pleræque ecclesiæ orientales dissidentes, specialem offendit difficultatem. Clarum quidem est, infirmum ceteris suppositis vere recipere sacramentum, si septem sacerdotes successive applicent integram materiam et recitent totam formam. Sed quidnam præ-

stant posteriores, si primus solus iam omnia perfecit? Responsio dependet a solutione quæstionis, num Extrema Unctio valide iteretur in eadem infirmitate. Quare de hoc ritu agemus libro quinto. Verum quod attinet presbyteros orientales ecclesiarum *dissidentium,* ex ipso facto schismatis oritur dubitatio quædam iam in præsenti capite expedienda.

ARTICULUS IV.

NUM PRESBYTERI ECCLESIARUM ORIENTALIUM DISSIDENTIUM INFIRMIS VALIDE ADMINISTRENT S. UNCTIONEM.

Ut sacerdos valide peragat sacrum ministerium, præter eius intentionem actualem vel virtualem conficiendi sacramentum requiritur, ut adhibeat materiam et formam a Christo Domino præscriptam. Si his conditionibus satisfacit, ex eius parte nihil deest eorum, quæ necessaria sunt, ut ritus divinitus institutus omnes effectus, ad quos est ordinatus, producat. Cum enim sacerdos potestatem conferendi sacramentalem Unctionem habeat qua sacerdos, i. e. vi characteris sacerdotalis, sua potestate neque per culpam propriam, ne per apostasiam quidem, neque per ullam auctoritatem ecclesiasticam spoliari potest. At faciuntne satis presbyteri orientales ecclesiarum dissidentium dictis conditionibus? Nulla est quæstio de intentione; certe sufficit forma, qua utuntur. Sed *dubitare licet, num adhibeant rectam materiam.* Materia sacramenti est oleum benedictione *episcopali* consecratum. Plenam potestatem consecrandi oleum infirmorum habet episcopus per ipsum suum Ordinem. Quare episcopi, etiam hæretici et schismatici, atque eorum presbyteri, si utuntur oleo consecrato a quocunque episcopo, valide inungunt infirmos. Est autem universalis praxis dissidentium ecclesiarum Orientis, quam habent communem cum unitis, ut presbyteri ipsi singulis vicibus benedicant oleum infirmorum. Ad hoc indigent potestate episcopali *delegata.* Jus concedendi delegationem ex divina ordinatione romanus Pontifex vel solus habet vel certe sibi soli reservare potest. In Occidente neque episcopi valent delegationem presbyteris dare neque s. Sedes paucissimis forte casibus per decursum sæculorum exceptis eam concedit. Gaudere quidem presbyteros orientales ecclesiarum

unitarum dicta delegatione, novimus (Cf. l. II, c. 2) ex decretis Conciliorum provincialium a s. Sede approbatis. Sed *merito videtur dici:* Suprema auctoritas ecclesiastica certe nulla ratione permittit, ut presbyteri ab Ecclesia catholica separati fruantur extraordinaria gratia, quæ sacerdotibus ritus latini ne in extrema quidem necessitate tribuitur.

Propositio X. Gravibus rationibus nititur sententia, presbyteros orientales non solum unitarum, sed etiam dissidentium ecclesiarum infirmis valide administrare s. Unctionem.

Probatur I. Diu ante exortum schisma cum expresso vel, quod longe probabilius est, cum tacito consensu romanorum Pontificum in ecclesiis orientalibus vigebat disciplina, ut presbyteri benedicerent oleum infirmorum. Nulla vero apparet ratio, quæ s. Sedem potuerit movere ad auferendum presbyteris privilegium, quo iam per sæcula potiebantur. Culpa schismatis maxime episcopos premebat, qui ex multo tempore parum affecti erga vicarium Christi in suis ovibus non foverant fidem primatus romani episcopi et tandem secuti patriarcham urbis imperialis auctoritatem ipsam Sedis apostolicæ reiecerunt. Presbyteri aliique fideles trahebantur in schisma vix scientes, quid proprie ageretur. Quid ergo potuit summos Pontifices movere, ut antiquæ disciplinæ subtrahentes fundamentum iuridicum episcopis rebellibus solis reservarent ius valide consecrandi oleum infirmorum? Ex contrario rationes magni momenti eis suadebant, ne quidquam mutarent. Nam abrogando delegationem presbyterorum ad benedicendum s. oleum vehementer irritassent animos Græcorum, proinde ipsi novum obstaculum posuissent, quominus conatus suos Orientem revocandi ad unitatem in optatum exitum perducerent. Insuper, quæ res erant, auferre privilegium presbyterorum vix non idem fuisset atque auferre toti Orienti ipsum sacramentum exeuntium sine ullo commodo Ecclesiæ, quod recompensasset tantum malum. Perfecto enim schismate episcopi et cum illis presbyteri ne hilum quidem curassent talem legem romanam ideoque exceptis raris casibus, in quibus adhibetur oleum ab episcopo consecratum,

omnes christiani tot populorum, quorum sino dubio plurimi erant et sunt bonæ fidei, spoliati essent tam salutari mysterio. Quis autem assignabit emolumentum, quod inde in Ecclesiam redundasset? Adde, quod successoribus s. Petri incumbit officium procurandi pro viribus salutem æternam omnium, qui Christo Domino per Baptismum sunt consecrati. Medium valde efficax, quo innumeri schismatici materiales possunt salvari, est Extrema Unctio. Numquid putabimus, summos Pontifices Orientales hoc medio salutis privasse?

II. *Presbyteri orientales* ecclesiarum dissidentium *rite conferunt sacramentum Confirmationis,* nisi s. Sedes ob speciales rationes in quibusdam regionibus istam facultatem expresse eis subtraxerit. Hanc assertionem ex professo probare, spectat ad tractatum de Confirmatione. Sufficiat nobis, unam alteramve decisionem s. Officii hic apponere. Cum interrogatum esset, num schismatici conversi ad unitatem Ecclesiæ possint ab episcopo latino denuo confirmari, *s. Officium respondit 3. Julii 1853:*[1]) „Non expedire, quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem; et ad mentem: La mente è che nei casi particolari s' informi il vescovo del luogo preciso ove i convertiti furono cresimati. Che se fosse in Bulgaria od in Cipro, in Italia o nell' isole adiacenti, o presso i maroniti libanesi, o in altro luogo ove espressamente sia revocata tal facoltà, debba riconfermarli *absolute.* Se in Valachia e Moldavia, nell' Asia o in altri luoghi, in cui non fu espressamente rivocata, *acquiescat.* Che se si dubitasse del luogo, del modo, o di altra ragionevole circostanza, *recurrat in casibus particularibus* et consulat Benedictum XIV. de synodo diœces. l. VII, c. 7 ss.“ Die *14. Januarii 1885 s. Officium respondit* ad interrogationem patriarchæ Jerosolymitani, qui casum proposuerat:[2]) „In hoc Patriarchatu latino semper validum habitum fuit sacramentum Confirmationis collatum a sacerdotibus schismaticis Palæstinæ infantibus immediate post Baptismum; et ideo sic confirmati, si ad catholicam fidem convertuntur, non amplius confirmantur. Nunc aliquando evenit, ut infantes, quorum pater catholicus est et mater schismatica, postquam baptizati fuerint ritu latino, clanculum a matre ad sacerdotem schismaticum afferantur, a quo rebaptizantur et confirmantur . . Quæritur igitur, utrum sacramentum Confirmationis sic collatum immediate post sacrilegam eorum rebaptizationem sit validum.“ Respondit s. Officium: *„Non expedire, ut confirmati de quibus in casu, iterum ab episcopo inungantur, nisi* ad Tonsuram et Ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant, ac nisi, facta inquisitione circa modum collationis Confirmationis, reperiatur penicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus Confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub conditione.“ Qui novit normas, secundum quas iteratio sacramentorum characterem imprimentium *sub conditione* permittitur, et dubia, quæ ratione materiæ et formæ contra valorem Confirmationis secundum ritum græcum a quibusdam theologis sunt mota, non mirabitur, in dictis casibus reconfirmationem sub conditione esse permissam.

[1]) Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide (Romæ 1893) n. 674.

[2]) Ibidem n. 679. Cf. nn. 676 et 677.

Ex his licet argumentari: Presbyteri orientales etiam ecclesiarum dissidentium sub indicata limitatione valide administrant Confirmationem. Ad obeundum id munus sacramentale non minus indigent delegatione potestatis episcopalis quam ad benedicendum oleum infirmorum. Utraque delegatio æque subest arbitrio romani Pontificis. Hic presbyteris orientalibus ab unitate Ecclesiæ separatis non ademit facultatem confirmandi, nisi cum speciales rationes exigebant, ut in quibusdam regionibus eam non possent exercere; et tunc s. Sedes illam delegationem expresse revocavit. Quod permovit Pontifices, ut tanta benignitate uterentur, fuit cura spiritualis boni illorum populorum, qui per culpam suorum præsulum in triste schisma inducti erant. Ergo cum s. Sedes nunquam expresse revocaverit delegationem presbyterorum eorundem ad benedicendum oleum infirmorum, censenda est ex pari cura salutis illorum populorum tacito consensu probare praxim per universum Orientem usitatam.

III. *Non spernendum argumentum* pro valore euchelæi ministrati a presbyteris orientalibus separatis ab unitate ca-

tholica *videtur præbere ipsa experientia.* Extrema Unctio instituta est ad causandum etiam effectum corporalem, quem sensibus percipere licet. Sacerdotes catholici norunt, sæpissime accidere, ut infirmi percepto sacramento magnam alleviationem non mere spiritualem, sed etiam corporalem manifestent et non raro præter spem omnium, etiam medicorum, sanitatem recuperent. Concedimus, in unoquoque casu determinato absolute posse subesse errorem, si hos effectus adscribamus medicinæ supernaturali. At in casibus innumeris causas naturales per accidens concurrentes cum administratione sacramenti felices illos effectus inducere, repugnat principio rationis sufficientis. — Jam vero *theologi orientales, episcopi aliique viri graves et fide digni, eandem experientiam testantur* eamque opponunt protestantibus, qui contra dignitatem sacramentalem Extremæ Unctionis provocant ad factum, quod ungendi ritus non sanet infirmos.

Episcopus *Germogenes* (De ss. sacramentis orthod. eccles. p. 161 s.) e. gr. scribit: „Morbi corporales profecto minime semper sanantur mysterio benedictionis olei; quod ab eo neque expectare licet. At dubio procul adsunt exempla valetudinis post susceptum istud mysterium recuperatæ. Et probabiliter hæc exempla multiplicarentur, si mature expeterent illam ægroto salutiferam medicinam, et si id facerent cum firma fide et viva spe recuperandæ sanitatis. Sed plerumque confugiunt ad hoc remedium tum demum, cum æger nullam amplius spem evadendi ex morbo præbet, ideoque ad illud confugiunt non pro restitutione sanitatis, sed pro christiano viatico in vitam trans sepulchrum. Sed quomodocunque id se habet, non est inutile adversus morbos corporis mysterium benedictionis olei. Nam ex testimonio frequentis experientiæ, *postquam ægrotus hoc mysterium suscepit, vis morbi minuitur et ille facilius et cum maiore tranquillitate perfert suos dolores, donec moriatur.*“

Archangelskij (De mysterio s. olei p. 244 s.): „*Nunc quoque,* inquit, quemadmodum tempore apostolorum et ævo subsequenti, *s. Unctio efficit plenam liberationem a morbo et perfectam sanationem.* Hoc testatur Reverendissimus Macarius et de hac re varia testimonia scriptis sunt mandata. Idem *quilibet cognoscere potest ex magno numero factorum,*

quæ ministri et subiecta vel alii, qui s. officio intererant, narraverunt. Si perfecta restitutio sanitatis non respondet consiliis Providentiæ, *tamen sæpe magis minusve diuturna alleviatio a doloribus corporis vel animæ ægroto contingit.*“

Macarius metropolita ipse sibi ponit quæstionem: „Semperne hunc effectum [sanitatis] produit s. Unctio?“ Respondet (Orth. dogm. Theologia § 232): „Nequaquam. At interdum hoc revera accidit, et *ægrotus paulatim reconvalescit et a lectulo, in quo infirmus iacebat, exsurgit. Sæpius autem graviter ægrotus temporalem saltem alleviationem consequitur* vel confortationem ac robur ad ferendam infirmitatem.“ *Ceterum* vel ex eo, quod auctores orientales cum tanta instantia contra plerosque theologos latinos sustinent, effectum euchelæi principalem et primario a Domino intentum esse restitutionem sanitatis vel saltem alleviationem infirmi, videtur recte colligi, eos non raro corporalem effectum natura sua sensibilem observare. — Cum sacramentum effectum secundarium, qualis revera est sanatio et alleviatio corporalis, non inducat nisi dependenter a principali, qui connectitur immediate cum gratia sanctificante, effectu communi omnium sacramentorum, post omnia ad demonstrandam propositionem allata non fuerit temerarium, si dicamus, licere bene sperare de æterna salute plurimorum schismaticorum bonæ fidei, qui Extrema Unctione cum devotione suscepta obeunt mortem. Nec obstat propositio 17 syllabi: „Saltem bene sperandum est de æterna illorum *omnium* salute, qui in vera Christi Ecclesia *nequaquam* versantur.“

CAPUT II.

DE SUBIECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

INTRODUCTIO HISTORICA.

Cum ecclesia latina conveniunt ecclesiæ ritus græci etiam dissidentes in professione sacramentalis dignitatis Unctionis infirmorum, quam strenue contra protestantes defendunt. Theologi harum ecclesiarum eandem ac Latini statuunt, quod ad

substantiam attinet, sacramenti materiam et formam, eosdem assignant effectus, eosdem ministros. Sunt quædam differentiæ disciplinares a minus eruditis auctoribus ex utraque parte exaggeratæ, sed a circumspectis theologis tum Occidentis tum Orientis tam hæc quam illa praxis est approbata.

At cum ponitur quæstio, quodnam sit subiectum sacramenti, doctores catholici multi acriter vituperant Orientales, quod contra ius divinum, contra clarum mandatum s. Jacobi τὸ εὐχέλαιον impendant leviter ægrotis, immo perfecte sanis. Nec minus acriter doctores orientales accusant Latinos, quod contra finem sacramenti, contra claram instructionem apostoli Unctionem infirmorum transformaverint in sacramentum exeuntium, in Extremam Unctionem, quam non impertiant nisi illis, quibus nulla spes recuperandæ sanitatis supersit et mors proxime instet. — *Ut obiectum contentionis magis pateat, proponamus aliquot effata theologorum hinc et inde prolata.*

I. Nomine Latinorum audiamus primo *Petrum Arcudium,* qui in opere „de concordia Ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione“ l. V, c. 4 scribit: „Ego præsentem morem Græcorum, qui pœnitentes, quamvis bene valentes, in omnibus iis corporis partibus adhibita quoque forma sacramenti non aliter atque infirmos inungunt, nulla ratione probare possum; et si sordidi quæstus gratia id faciunt, . . eo magis detestandus est. Cum enim subiectum non sit aptum ad recipiendum sacramentum — quando neque graviter quis infirmatur, et ad mortem, ut requirit Apostolus et exponunt sacri doctores — frustra temereque illud Græci administrant . . . Græci vero, qui alios novitatis accusant, et in eos aliquando insolentius assurgunt, respondeant ipsi, a quo illud acceperint, ut contra doctrinam apostolicam sanos ungere debeant“.

Theophilus Raynaudus S. J. in opere „Heteroclita spiritualia“ t. XVI, p. 164 sub titulo: „Heteroclisis inungentium sanos præpropere et contra sacramenti institutionem“ morem Græcorum refert et diiudicat: „Ordior a falsa pietate adhibentium hoc sacramentum valentibus spe obtinendi per illud remissam culparum. Græcorum ergo plerique hanc unctionem iisdem verbis adhibitis et in iisdem corporis partibus ac utentes eadem materia ab episcopo benedicta sanis et bene valentibus conferunt, si modo eam flagitaverint in remissionem peccatorum. Ita passim servant Græci et ex eorum ritu Russi ac Moschi. De hodiernis plerisque Græcis idem tradit Franciscus Richardus l. de expeditione sacra ad insulam s. Irenæi c. 12, ubi notat, fornicatores et adulteros post confessionem inungi apud huiusmodi Græcos. Non ita quidem docent omnes Græci scriptores . . At plerique habent, quod dixi.“ Postquam ostendit, non agi de piis unctionibus non sacramentalibus antiquitus in utraque ecclesia sæpe adhibitis, pergit: „His ergo unctionibus sepositis quia Græci et quoad materiam et quoad formam et quoad partes inungendas eadem præstabant erga sanos quæ erga depositos, perspicuum est, eos sacramentum Extremæ Unctionis pœnitentibus quoque bene valentibus contulisse abusione prorsus manifesta, ut Arcudius c. illo IV. recte confirmat ex institutione huius sacramenti per s. Jacobum promulgata et ex perpetuo Ecclesiæ sensu, qui hoc sacramentum arctat ad periculose ægrotantes atque depositos.“

Benedictus XIV. (De synodo l. VIII, c. 5) late tractat de praxi ecclesiarum orientalium et concludit: „Jure itaque Græcorum morem ita explicatum, uti voluit Arcudius, gravis erroris insimulant et damnant Theophilus Raynaudus (l. c.) Gonzalez in cap. Quæsivit, de verb. Signific. n. 2; Tournely de sacr. Extremæ Unctionis, qu. 3; Benedictus de Gaietanis in sæpe cit. dissert. c. 13 §. *Ex adverso*, aliique, quibus post quæstionem sedulo examinatam tandem adhæret Herminier de sacr. t. III [recte II], c. 5. Quocirca episcopi latini, in quorum potissimum commodum hanc materiam prolixius tractavimus, diœcesibus præsidentes, quas fideles incolunt græci ritus, diligenter invigilent, ne iidem in eodem versentur errore, ut credant, per unctionem, de qua loquimur, sacramentum conferri, et severe interdicant, ne ea unctio loco satisfactionis per confessarios imponendæ pœnitentibus iniungatur. Id illis vetitum est a nobis in cit. nostra Constit. 57, § 5, ubi decrevimus: ‚Nulli per sacerdotes vel confessarios pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo iniungatur; infirmis vero iuxta verbum Jacobi apostoli, Unctio exhibeatur Extrema‘.“

II. Querelas Orientalium contra Latinos primus, quantum notum est, protulit *Symeon Thessalonicensis.*[1] „Latini omnia innovantes doctrinam quoque huius mysterii adulteraverunt et dicunt, illud non dandum esse infirmis, sed morientibus, quoniam peccata dimittit, ne rursum sanitati redditus delinquat. Heu, quanta insania! Dei quidem frater: *Et oratio,* inquit, *fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus,* illi autem dicunt: Ut moriatur. Viden' quomodo præceps in tetriora semper feratur præcipitia. *Et si peccata fecerit, remittentur ei,* sc. ut sanetur et allevietur, quod Salvator demonstrat dicendo ad paralyticum: *Remittuntur tibi peccata tua,* et: *Surge et ambula,* et: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Illi vero cogitant contraria Salvatori eiusque apostolis, et non alleviandis, sed morientibus istud autumant esse conferendum. Quapropter hoc non faciunt secundum apostolicam Traditionem advocati ab eis, qui opus habent, sed proprios usus facientes custodiunt. Et sanctum quidem dicit evangelium: *Ungebant oleo multos ægros et sanabant.* Illi autem aiunt, non conferri sacramentum, ut sanentur, sed ut insanabiles fiant et moriantur. O homo, ignoras mysteriorum notitiam et damnabiliter erras! . .“

Quæ verba archiepiscopi Thessalonicensis per decursum sæculorum ab Orientalibus sæpe sunt repetita. Inter recentiores *Ignatius* archiepiscopus vix minus acerbe carpit Latinos scribens inter alia (De sacramentis p. 279 s.): „Apud Romanos præcipitur, ut euchelæon conferatur talibus infirmis, qui iam in ipsa morte versantur et opus habent solum consolationibus vel viatico fidei. Præceptum fundant in sensu terminorum ἀσθενεῖ τις et κάμνοντα. Dicunt ἀσθενεῖν sicut et κάμνειν significare: graviter ægrotare, versari in periculo mortis, ut Matth. X, 8; Jo. IV, 46; Act. IX, 37. Verum asthenia etiam secundum usum medicinalem reipsa significat ægritudinem, infirmitatem corporis, et κάμνειν: pati, laborare. Sed præceptum romanum, ut unctione olei iam morti committatur infirmus, secundum testimonium quorundam ex ipsis Romanis valde sero in consuetudinem intravit, post sæculum XII. ideoque cum Occidens fere in profundissimis tenebris [media in nocte] versabatur; et intravit ut innovatio, quæ debilis erat ex ipso tempore . . . Nos quoque intelligimus graves morbos, in quibus opus sit benedictione olei. Non affirmamus autem, talem conditionem infirmorum expectandam esse, ut solum restet, ut per benedictionem olei in alterum mundum transmittantur.“

[1] M. 155, 518 s.

Bieljaev, professor academiæ theologicæ Moscoviensis, postquam invectus est in gravem abusum differendi sacramentum, donec omnis spes vitæ sit ablata, refert (Orthod. theol. Encyclopædia, t. V, p. 406): „Notum est, Latinos agnoscere omnia septem sacramenta cum orthodoxis. Eorum autem opinio de effectu et fine Unctionis discrepat a doctrina orthodoxa. Contra directam et claram doctrinam Jacobi apostoli finem principalem sacramenti non in eo reponunt, ut sanet infirmum et a lecto doloris sublevet, sed in eo, ut eum animet, spiritum eius confortet, eum præparet pro vita æterna, exitum ex hac vita alleviet. Quare apud illos unctio olei vocatur unctio infirmorum, Extrema Unctio, unctio exeuntium. Tempore antiquo in ecclesia romana non minus quam in Oriente unctio olei non solum in iis peragebatur, quibus periculum mortis imminebat, sed etiam in infirmis, qui tantum virium habebant, ut in ecclesiam transportari illicque diutius manere possent.“

Macarius metropolita (Orthod. dogm. Theologia t. V, § 231): „Verba s. Jacobi, inquit, tum secundum eorum usum in lingua græca tum secundum usum s. Scripturæ (Matth. X, 18; XXV, 36—39; Luc. IV, 40; VII, 10; IX, 2; Jo. IV, 46; V, 3; XI, 1 etc.) non solos morientes, sed generatim graviter ægrotos significant, proinde etiam tales, qui spem habent recuperandæ sanitatis. Quare non recte procedit ecclesia romana, cum mysterium s. Unctionis solum iis ægrotis ut viaticum ministrat, quorum mors iam de propinquo imminet, propter quod etiam appellat illam Extremam Unctionem, sacramentum decedentium vel morientium; mos, qui ex ipsorum Latinorum confessione non prius quam sæculo XII. vigere incepit.“ — His *auctoribus russiacis addamus unum alterumve Græcum.*

Mesoloras de praxi occidentali breviter fert iudicium (*Ἐγχειρίδιον*, p. 219): *„Οὐχὶ ὀρθῶς ποιεῖ ἡ Λατινικὴ Ἐκκλησία παρέχουσα τὸ μυστήριον τοῦτο μόνον εἰς τοὺς ψυχοῤῥαγοῦντας ὡς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου.*

Christos Andrutsos fortius ecclesiam occidentalem oppugnat (*Δοκίμιον*, p. 336): *Ἡ μόνη μεταξὺ ἀμφοτήρων τῶν ἐκκλησιῶν διαφωρὰ εἶνε, ὅτι ἡ Δυτικὴ Εκκλησία τελεῖ αὐτὸ μόνον ἐπὶ τῶν ἐπιθανατίως νοσούντων ὥς τι ἐφόδιον διὰ τὴν μέλλουσαν ζωήν, μὴ ἐπαναλαμβάνουσα αὐτῷ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἀσθενείας τὸ δεύτερον ἐπισκηπτούσης ἐπὶ τοῦ ἐλαίῳ χρισθέντος. Ἀλλ' ἡ μεταποίησις αὕτη τοῦ εὐχελαίου εἰς ἐσχάτην χρίσιν* (extrema unctio) *ἀντίκειται εἰς τὴν ἀρχαίαν αὐτοῦ χρῆσιν, ἐν πάσῃ κατὰ τὴν Γραφὴν ἀσθενείᾳ παρεχομένου, ὡς τελεῖ τοῦτο ἡ Ὀρθόδοξος Ἐκκλησία, εἰσήχθη δὲ πιθανῶς τὸ τοιοῦτον εὐχέλαιον εἰς τὴν Δύσιν ἀπὸ τοῦ ΙΒ' αἰῶνος* (Hase 576) *ὥς τι* viaticum mortis *ἐπισφραγίζον τὴν ἐνταῦθα ζωὴν καὶ ἰώμενον αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, καθ' ὃν χρόνον εἰσέρχεται εἰς τὰς αἰωνίους μονάς. Τοιοῦτον ὅμως ἐφόδιον ἦτο πάντοτε ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὄχι τὸ εὐχέλαιον ἀλλ' ἡ θεία εὐχαριστία, τὸ φάρμακον τῆς ἀθανασίας, ὡς μαρτυρεῖ ἰδίως ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος ῥητῶς ἐφόδιον αὐτὴν καλοῦσα (Καν. 13). Ἡ δὲ χρίσις τοῦ ἀποθνήσκοντος δι' ἐλαίου ὕδατι μεμιγμένου καὶ κατὰ κεφαλῆς χεομένου, ὅπως ἀνεπηρέαστος ἀπὸ τῶν πονηρῶν τοῦ κόσμου δυνάμεων εἰσέλθῃ εἰς τοὺς οὐρανούς, ἦτο ἔθος αἱρέσεώς τινος μνημονευομένης ὑπὸ τοῦ Εἰρηναίου* (I, 21, 5) *καὶ τοῦ Ἐπιφανίου* (*Αἱρ* 34, 2).

Testimonia allata sufficiunt, ut pateat, quid Occidentales et Orientales invicem sibi crimini vertant.

III. Verum ut iam supponamus, utramque praxim esse perversam, *quæritur* 1. *num Latini recte ecclesiis orientalibus dissidentibus obiciant, quod sanis administrent vel potius administrare attentent sacramentum euchelæi;* 2. *num Orientales recte ecclesiæ latinæ exprobrent, quod contra doctrinam s. Jacobi Extremam Unctionem ad ultimum fere momentum differat.*

A. Praxis Orientalium.

Rerum ecclesiarum orientalium optime gnarus *Goar* negat, Græcos unquam sanis præbere sacramentum Unctionis.

Liceat longiorem eius textum hic referre, qui præter ea, quæ directe rem nostram spectant, alia scitu digna continet. Commentans titulum Ordinis conferendi euchelæon: *ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐλαίου, ψαλλομένη ὑπὸ ξ. ἱερέων συναχθέντων ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ ἐν οἴκῳ* — scribit (Euchologium, p. 349 s.): „Domi quidem gravi ægritudine decumbentes hac sacra Unctione et relevari et communiri posse, intelligimus. In ecclesiam vero cum soli firma valetudine utentes se conferant, qua ratione sacramentum hoc postremum potest illis conferri? Rem gestam a Græcis enarro; quod probandum reiciendumve in ea apparet, exinde facile dignoscetur. Gravi afflictos ægritudine deque salute recuperanda desperantes officio præsenti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu, in domibus Græci ungunt; in quo non modica, ut Christianos decet, se laude dignos ostendunt. Immo et ægroti plerique e plebe aliorum manibus et ope ad ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum præsentia et animo levamen et corpori miraculi alicuius experimentum in recuperanda salute obveniat; ibique plurium nonnunquam dierum spatio in Catechumenæis iacent, pernoctant, morantur et sacra tandem Unctione sibi remedium exposcunt. Quod si Arcudius advertisset, non tam levi causa sanos in ecclesia ac ægrotos in domibus hoc se sacramento communire solitos asseruisset. Contingit tamen, fateor, aliquando, ut officio peracto ex astantibus plerique vel benedictionis spiritualis obtinendæ vel levis alicuius doloris eos affligentis leniendi gratia Unctionis medela se curari exoptent. Quod cum præstent sacerdotes eadem oratione ac super ægrotos recitata, negotium facessunt theologo dubitanti, an unctio huiusmodi sacramentalis sit habenda necne. Condemnat eam Arcudius l. V, c. 4 ut irreligiosam et sacrilegam, et quæ nulla premente necessitate subiecto eius incapaci exhibeatur. Mihi certe non, ut severa, ita et æqua vel ratione stabilita videtur hæc sententia. Neque etenim ut ad germanum et suis partibus absolutum sacramentum accedunt ii, qui huiusmodi unctione benedictionem aut consolationem spiritualem expetunt, vel qui levi dolore pressi aut vulnere percussi eiusdem unctionis medicamine a Deo se sanandos confidunt: deest siquidem ministris sacramenti hac ratione conferendi animus, deest et totus ille precum apparatus, quo

solo apposito sacramentum hoc — quod non unctionis tantum, sed et orationum est fœtus — græci theologi perfici docent.

Illa vero brevis oratio: πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ etc., quam veram germanamque sacramenti huius formam complecti asseremus, amplissimo verborum sensu abundat, et quæ forsan non nisi præcedentibus aliis precibus ad sacramentum efficiendum restringitur, et quæ proinde a variis unctionis usibus minime abhorrere et modo huic, modo alteri pro vario ecclesiæ ministrique proposito applicari posse videtur. Unctionem præterea extra sacramentum ex oleo infirmorum ab episcopo consecrato variis morbis adhibitam fuisse, gesta sanctorum et historiæ ecclesiasticæ ab ipsomet Arcudio citato memoratæ certissime docent et Græcos a sacrilegio incurrendo aliis adiunctis rationum momentis possunt absolvere." Postquam similem quondam in ecclesia latina fuisse praxim ostendit, pergit: „Plures autem difficultatum stimulos ingerit, et difficilius a reprehensione vindicatur ille ritus, quo gravioribus subditi peccatis, licet sint ex omni parte sani, quia tamen ægrotorum delicta s. Unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Canone, i. e. pœnitentia acceptam et a sacerdotibus impositam in delictorum satisfactionem subeunt et exinde sacerdotibus tota precum harum serie se expiandos et infirmorum Unctione velut adversa animæ valetudine affectos et medendos offerunt. Respuit idcirco ritum istum et omni animi contentione detestatur Arcudius, quasi subiecto minus apto, sano nimirum homini sacramentum infirmorum attentarent applicare. Verum cum in homine sano ut incapaci subiecto non possit effectum suum sacramenti Unctio producere: illud idem est, quod si non approbandum, saltem violatæ religionis crimine non condemnandum hunc ritum persuadet, cum nec Græcos conferendi sacramentum propositum habere, demonstrare queat Arcudius. Infirmum enim spiritualem præ oculis habentes precibus quidem his velut pharmaco salubri sanandum suscipiunt, vulnera eius oleo sancto curare, tum votis et benedictionibus alligare student; non ita tamen, ut unctio precibus adiuncta ex opere operato animæ deleat infirmitates, sed si quid possit ex pœnitentis tantum devotione, aut sacerdotis deprecantis caritate, i. e. ex opere operantis illud valet producere. Addo et hac eadem mente unumquemque oleo sancto ab episcopis benedicto sese in ecclesia orientali ungendum offerre fer. V. in Cœna Domini: unctionemque eiusmodi ut peccatorum antidotum et sanitatis largitricem sacræ communioni præviam episcoporum manu suscipere; sed nec ille pœnitens corpore vegetus nec illi mysteriorum Dei dispensatores veri germanique sacramenti suscipiendi vel concedendi mentem animumque dicendi sunt habere, cuius defectu, cur sacramentum irreligioso usu temerare aut violare possint, non video . ." — *Rationes, quas Goar affert ad excusandos Græcos, non sunt quidem omni ex parte firmæ;* desiderantur maxime documenta, quibus probetur, sacerdotes, cum ritus descriptos peregerunt, non habuisse intentionem perficiendi sacramentum. Nihilominus Goarii auctoritas maiorem partem theologorum latinorum eo perduxit, ut vel negarent, Orientales sanis concedere sacramentum, vel saltem dubios ea de re se profiterentur. Acerrime Græcos defendit *Drouven,* qui inter alia theologis latinis obicit (De re sacram. l. VII, qu. 5, c. 1, § 1): „Quis enim nescit, nostrorum sæpe adversum Græcos et Orientales iniqua esse et acerbitatis plena iudicia". Quod ipsum iudicium videtur neque æquum esse neque acerbitate carere, cum hodiedum auctores orientales, qui firmiter tenent, s. Unctionem sanis non posse impertiri, affirment, olim in ecclesiis ritus græci sanis per abusum ipsum sacramentum esse administratum.[1])

Quidquid est de sæculis præteritis, nulla est difficultas cognoscendi, quid modo sentiant ecclesiæ ritus græci dissidentes de subiecto mysterii euchelæi.

1. Constat, in ecclesia russiaca firmam vigere persuasionem, sanos vel leviter tantum ægrotos esse incapaces sacramentalis Unctionis. Nam

a. Grammata episcopalia, quæ neopresbyteris traduntur et continent normas officii sacerdotalis, præscribunt: *„Super sanos nullatenus audeat conficere unctionem olei."*

---

[1]) Archangelskij, op. cit. p. 81—94 late nostram quæstionem tractat et tandem fert sententiam, istas inunctiones sanorum fuisse abusus particulares sine fundamento dogmatico et iam per ecclesiam esse vetitos.

b. Spectatissimi theologi russiaci tamquam doctrinam indubiam tradunt, tantum pro graviter infirmis sacramentum esse institutum. *Ignatius* archiepiscopus inquisitionem de sacramenti essentia et vi orditur verbis (De sacramentis p. 265): „Benedictio olei est sacramentum secundum ipsam proprietatem suam distinctum a sacramento Pœnitentiæ et necessarium ultra illud. Est proprie sacramentum sanationis infirmorum, vel si placet, est etiam sacramentum pœnitentiæ, sed peculiaris pœnitentiæ pro infirmis. *Infirmatur quis* . .“ Quæ postquam copiose exposuit, concludit (p. 274): „Ex dictis per se patet, cur sacramentum benedictionis olei solummodo infirmis detur.“

Macarius ait (L. c. p. 470 s.): „Iisdem illis verbis, quibus s. Jacobus apostolus testificatus est divinam institutionem sacramenti olei eiusque efficaciam, clare quoque expressit personas, quibus hoc sacramentum administrari potest et ipsos sacramenti ministros. De prioribus ita dicit s. Jacobus: *Infirmatur quis* etc. Quare sacramentum s. Unctionis destinatum est pro solis infirmis iisque graviter ægrotantibus, graviter infirmis (Cf. *ἀσθενέω, κάμνω* in lexicis . .) ut ostendunt verba a s. apostolo adhibita.“

Maltzew dicit (Die Sacramente, p. 451): Dieses Sakrament wird nur Kranken erteilt gemäss der Belehrung des hl. Apostels Jacobus (V. 14 s.) und der Vorschrift des Nomokanons 163, und durch die dem Priester nach der Weihe übergebenen bischöflichen Grammata ist es verboten, dasselbe an Gesunden, und durch Nomokanon 164, an Verstorbenen zu vollziehen.

Difficultatem theologis russiacis parat solemnis inunctio fidelium fer. V. in Cœna Domini vel Sabbato sancto. Ritum in ea servatum exhibet *Maltzew* (Op. cit. p. 549 ss.).

Archangelskij (L. c. p. 80 ss.) refert, partem theologorum orthodoxorum hunc ritum ne commemorare quidem, alios suspendere suum iudicium, reliquos esse divisos: alios opinari, esse merum ritum ecclesiasticum, alios, esse sacramentum. Ipse putat, esse consuetudinem ab ecclesia agnitam, exceptionem a regula, sicut in Occidente s. Unctio sit concessa sanis, qui per revelationem sciebant instantem mortem, et senibus non

ægrotis, sed decrepitis, et tali modo esse sacramentum. Cum dictus auctor morem Latinorum præbendi sacramentum senibus morti appropinquantibus sine morbo proprie dicto enumeret inter abusus, qui nullum habeant fundamentum dogmaticum, idem dicere licebit de illo ritu, si a ministris peragatur cum intentione conficiendi sacramentum.

Episcopus *Stephanus* defensurus praxim inungendi sanos fer. V. in Cœna Domini, eo deducitur, ut generatim propugnet, euchelæon valide sanis exhiberi. At cogitur concedere, et praxim in Russia universalem et doctrinam communem theologorum sibi esse contrariam (De sacramentis et ritibus orth. Ecclesiæ p. 18 ss.).

2. In patriarchatu Constantinopolitano et in regno hellenico late diffusa est praxis conferendi sacramentum Euchelæi tam sanis quam infirmis.

Ralli (*περὶ τῶν μυστηρίων*, p. 115) determinat subiectum sacramenti verbis: *Ὑποκείμενον τοῦ μυστηρίου τούτου ἐστὶ πᾶς ὁ βεβαπτισμένος εἴτε ὑγιῶς ἔχων εἴτε πάσχων.*

Mesoloras idem testatur, cum scribit (*ἐγχειρίδιον*, p. 218 s.): *„Τὸ εὐχέλαιον παρέχεται καὶ εἰς πάντα πιστόν, συναισθανόμενον, ὅτι ἔχει ἀνάγκην τῆς εὐλογίας καὶ ἐνισχύσεως τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ τοῦ μυστηρίου τούτου, ὅπως ἀκατακρίτως μετάσχῃ τῆς θείας Εὐχαριστίας. Διὰ τούτου καὶ ἐπαναλαμβάνεται πολλάκις ἐν τῇ ἡμετέρᾳ Ἐκκλησίᾳ, ὁσάκις ὁ πιστὸς ἔχει ἀνάγκην τούτου.*

Idem docent catechismus Constantinopolitanus et Atheniensis.[1]) Unde si hæ ecclesiæ tempore, quo Goar suum

[1]) Confer. *G. Jaquemier* in articulo citato, quem publicavit in „Echos de l'Orient, Avril-Mai 1899. Proponit doctrinam catechismorum et complurium theologorum atque infert: „Quoiqu' il en soit de la pensée des Grecs à l'époque d'Arcadius [Arcudius] et de Goar, leur croyance actuelle n'est pas douteuse. Si l'on doit en trouver quelque part l'expression authentique, c'est à coup sûr dans les catéchismes revêtus de l'approbation du Saint-Synode de Constantinople ou d'Athènes. Or, ces livres quasi officiels de l'Eglise orthodoxe considèrent l'Euchelæon comme un *sacrement* destiné, non seulement à ceux, qui souffrent dans leur corps, mais pouvant être administré dans les maladies purement spirituelles, et, dans ce dernier cas, ils lui reconnaissent une efficacité propre au sacrement. Ils ne font aucune différence entre l'Euchelæon des malades

opus edidit (a. 1647), revera nondum contulerunt mysterium s. olei perfecte sanis, certe eis accidit, quod Goar timuit, „ne aut imprudenter sacramenti conferendi animum assumant aut erronee anticipata gravis morbi occasione a recta valetudine utentibus sacramentum illud præveniri posse arbitrentur, vel tandem levissimo morbo curando adeo pretiosum huius sacramenti remedium impendant et pœnitentiæ usum in Extremæ Unctionis susceptionem illegitimam convertant."

B. Praxis Occidentalium.

Si iam quæramus, num Orientales recte ecclesiæ latinæ exprobrent, quod contra doctrinam s. Jacobi Extremam Unctionem ad ultimum fere momentum differat, certe fatendum est, vituperatam praxim a sæculo XII. longe lateque per Occidentem fuisse usitatam neque hodie esse extinctam. Si negaremus, adversarii fere innumeris documentis nos possent convincere. Causæ illius praxis sunt vere tristes: impia avaritia multorum sacerdotum, insanæ superstitiones plebis, errores theologorum.

1. Impia avaritia multorum sacerdotum. Qui expendit decreta synodorum sæculi XIII. et XIV. de administratione Extremæ Unctionis, non potest non mirari, quod toties severe mandatur parochis, ut medicinam divinam non tantum divitibus, sed etiam pauperibus largiantur. Ut quædam exempla afferamus, *Constitutiones Richardi Poore,* Sarum episcopi (c. a. 1217), n. 67 ordinant:[1]) „Præcipimus, quod ad sacramentum Extremæ Unctionis moneant frequenter populum sacerdotes, in necessitate videlicet: et *non tantum divites,* sed *pauperes, senes et iuvenes omnes,* maxime a 14 annis et supra. Et omnibus petentibus et pœnitentibus gratis exhibeant hoc sacramentum in necessitate, cum fuerint humiliter requisiti."

et l'Euchelæon des pénitents, si ce n'est que le premier s'adresse à la fois à la maladie du corps et à celle de l'âme, le second à la maladie de l'âme seulement. — Les renseignements particuliers, que nous ont fournis nos relations avec les Grecs, nous ont conduit à la même conclusion." Cf. etiam, quæ *F. di Mento* profert in „Bessarione" (1899—1900) p. 538 ss.

[1]) Harduin VII, 107.

Constitutiones synodales episcopi anonymi (c. a. 1237) edicunt: „Ad sacramentum Extremæ Unctionis moneant sæpe populum Domini sacerdotes: sc. omnes a 14 annis et supra: et ad omnes, *tam pauperes quam divites,* communiter paratos se exhibeant, cum necesse fuerit."

Synodus *Baiocensis* (c. a. 1300) n. 74 hortatur:[1]) „Ad sacramentum Extremæ Unctionis moneant sæpe sacerdotes populum, non *tantum divites,* sed *etiam pauperes* et omnes, maxime a 14 annis et supra. Et omnibus communiter, cum fuerit necesse, exhibeant se paratos, s. oleum ad eos cum magna reverentia et honore deferentes." *Ratio decretorum non potest esse dubia.* Ceterum alia concilia clare eam indicant.

Synodus *Exoniensis* (a. 1287) præcipit parochis, ut quandocunque fuerint requisiti, ad visitandos infirmos se promptissimos exhibeant.[2]) „Et qui difficiles se exhibuerint in hac parte et infirmis pœnitentibus et petentibus *gratis absque ulla exactione pecuniæ* sacramentum hoc non contulerint, cum gratia sit gratis data et non pretio conferenda: convicti super hoc iuxta canonicas sanctiones punientur condigne."

Synodus *Valentina* (a. 1255) conqueritur,[3]) quod „Extrema Unctio, quæ datur extremis laborantibus, nihil in ecclesiis servabatur." Quæ fuerit ratio, cur fideles tantam gratiam prætermiserint, satis apparet ex mandato: *„Nihil inde penitus exigatur sive a paupere sive a divite,* sed si quid gratis datum fuerit, accipiatur." Medio adhuc sæculo XVI. *Concilium Moguntinum* testatur:[4]) „Execrabilis quorundam sacerdotum avaritia usque ad sacramentorum ipsorum contemptum et iniuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre sacramenta detrectant."

Pretium, quod multi sacerdotes pro administratione Extremæ Unctionis exigebant, erat enorme. Pellicia refert:[5]) „Præbuit huic abusui [differendi sacramentum] incrementum

[1]) Ibid. 1237.
[2]) Ibid. 1081.
[3]) Ibid. 1979.
[4]) Harduin IX, 2136.
[5]) De christ. Ecclesiæ Politia l. VI, sect. II, c. 3, § 1.

presbyterorum cupiditas atque avaritia, qui infirmum fere bonis denudatum post Unctionem relinquebant; tum enim *linteamina,* quibus iacens infirmus inungebatur, tum *vaccæ saltem duæ* eiusdem infirmi presbytero, qui Unctionem ministrabat, cedebant, cui *duodecim etiam luminaria,* quæ in liturgia Unctionis accendebantur, tradenda erant. Quamobrem Waldenses hæretici sacramentum illud ultimam superbiam esse dixerunt, quippe quod nonnisi divitum proprium ea ætate, sæculo præsertim XII. atque XIII. esset; ex quo sane factum est, ut . . illud neque pauperibus ministrarent presbyteri, cum illi haud pares essent iis impensis, quæ Extremam Unctionem comitabantur." Videtur tamen Pellicia rem eo exaggerare, quod totum illud pretium simul exactum esse affirmat, quod ex documentis non videtur posse deduci.

Sane *Anonymus Passaviensis,* qui anno 1260 edidit opusculum „de occasionibus errorum hæreticorum", scribit:[1]) „Quidam in ecclesia dictis et factis plurimos scandalizant tam catholicos quam hæreticos leonistas (Waldenses) sacramentis Ecclesiæ irreverentiam exhibentes, et sic per eos divino cultui et sacramentis et clero et statutis et observantiis Ecclesiæ ab hæreticis derogatur." *Quod Extremam Unctionem attinet,* ait: „Sacramento Unctionis derogant, qui hoc sine pretio nulli dant; qui dicunt, quod sine pluribus sacerdotibus non possit dari et sine 12 luminibus; *qui dicunt, quod nullus debeat hoc petere nisi habens valorem duarum vaccarum;* qui inungendis iniungunt, ut alicui licito renuntient." Ex his sacerdoti solum pretium duarum vaccarum cessisse videtur.

Martène citat[2]) statutum synodale Guilelmi Maioris, episcopi Andegavensis, ex fine sæculi XIII., in quo dicitur: „Nosque accepimus referentibus fide dignis, quod dictum sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est, ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittitur, immo ut verius loquamur, ex sacerdotum rapacitate et avaritia, qui in collatione huius sacramenti novas et insolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina, quibus iacens inungitur ægrotans." Quantum iam antea sit exactum, non indicatur.

[1]) Vide *Preger,* Beiträge zur Geschichte der Waldenser im Mittelalter p. 66.

[2]) t. I, p. 835.

Bertholdus Ratisbonensis O. S. Fr., celeberrimus medii ævi in Germania concionator et missionarius, in quodam sermone de septem sacramentis instanter hortatur fideles, ut morbo occupati s. Unctionem expetant. Facit auditores præter varias superstitiones opponentes, quod parochus a quovis infirmo pro Unctione exigat *tres schillingos* (secundum modernum valorem pecuniæ circ. 50—60 francos), a divitibus etiam maiorem summam, et absolute neminem velit ungere, qui eum non possit pecunia conducere.[1])

2. Insanæ superstitiones plebis. Ne unum quidem Concilium sæculi XIII. de sacramento tractans invenitur, in quo non redarguantur una vel plures stultæ opiniones de sequelis Extremæ Unctionis. Omnium frequentissima erat persuasio, munito per s. oleum *nunquam amplius,* si reconvalescat, *licitum esse usum matrimonii.* Constitutiones synodales modo citatæ omnes ad minimum præcipiunt, ut doceantur fideles, „post susceptum hoc sacramentum licitum esse reverti ad opus coniugale." Insuper per diversas partes Ecclesiæ plurimorum mentibus firmiter insederat absona sententia, accepta Extrema Unctione in perpetuum *prohiberi comedere carnes, nudis pedibus incedere, testamentum condere etc.* Synodus *Wigorniensis* (a. 1240) n. 19 edicit:[2]) „Sunt autem quidam, ut audivimus, qui post perceptionem huiusmodi sacramenti sanitati pristinæ restituti nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doc-

[1]) „Bruder Berthold! ich fürchte noch eins, darum es gar mancher Mensch lässt. Nun, was fürchtest du noch? — Da will der Pfarrer drei Schillinge haben, und etwann von einem Reichen mehr, und von jedem Siechen, darnach er Vermögen hat; er will durchaus Niemand ölen, wenn man ihn nicht dingen kann. — Magnus missionarius probat, quod sacramentum nolint emere, et dat consilium: „Da sollst du ihn fleissig bitten, dass er ungedingt öle; und will er das nicht thun, so sollst du es fleissig hin zu Gott begehren mit rechter Andacht und sollst lieber ohne Ölung sterben; denn dingest du mit ihm, das wäre ihm eine grosse Hauptsünde. Darum sollst du eher ohne Ölung sterben. Er muss es aber Gott büssen, und wehe ihm, dass er je daran dachte." Vide: Die Missionspredigten des Franziskaners Berthold von Regensburg,[2] herausgegeben von Göbel p. 333.

[2]) Harduin VII, 337.

trinæ sanæ contrarium, execramur et eos excommunicationibus et monitionibus duximus corrigendos, quia ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non capiunt.“

Eosdem errores synodus *Exoniensis* (a. 1287) magnam hæresim vocat:[1] „Quoniam quidam laici imperiti de hoc sacramento nequiter sentientes illud abhorrent in tantum, quod vix velint illud suscipere etiam in extremis, fatue existimantes, quod post ipsius susceptionem carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima sibi fore penitus interdicta: præcipimus parochialibus presbyteris, ut ubi noverint tantam *hæresim* pullulare, contrarium prædicent parochianis notificantes inter cetera, hoc sacramentum posse licite iterari, et quod uncti, si ab infirmitate postea convaluerint, carnes comedere, nudis pedibus ambulare et, si coniugati fuerint, uxores suas cognoscere occasione huiusmodi omittere non tenentur.“

Quæ absurdæ opiniones mentes populi christiani in Germania occupaverint, discimus ex citato sermone *Bertholdi Ratisbonensis*:[2]) autumabant, sanitati restitutis interdici usum matrimonii, dormire in linteaminibus, quibus quis superpositus sit inunctus, pedibus terram tangere, edere carnes. — Similem superstitionem grassatam esse in Gallia, licet videre apud *Chardon* (Histoire du sacr. de l'Extrême Onction c. 3).

Testamentum ab inuncto conditum in quibusdam regionibus non habebat valorem iuridicum. Nam Concilium *Mechlinense* (a. 1607) docet:[3] „Falluntur, qui existimant, suscepto hoc sacramento vel testamentum condi non posse vel spem convalescendi ob id imminui. Ideoque pastores contrarium

[1]) Harduin VII, 1081.

[2]) Postquam refutavit errorem de usu matrimonii, inducit opponentes fideles: Bruder Berthold! ich fürchte noch zwei. — Was fürchtest du denn noch? — Da höre ich sagen: ich dürfe kein Fleisch mehr essen, und dürfe kein Mensch mehr auf dem Leilachen liegen, darauf man mich geölt habe, und ich dürfe nimmermehr auf die Erde treten. — Das ist allessammt gelogen. Du darfst Fleisch essen wie zuvor, liegen und schlafen auf deinem Lailachen wie zuvor, wenn man sie gewaschen; tritt auf die Erde baarfuss und beschuhet ohne Sünde.

[3]) Harduin, X, 1946 s. Cf. Walter, Lehrbuch des Kirchenrechts, § 319 Anm., qui dicit, opinionem, inuncto non licere testamentum condere, fundari in quibusdam principiis iuris germanici.

subinde populum doceant. Et si forte alicubi usu introductum sit, ut testamentum a susceptione huius sacramenti conditum non subsistat, declarat hæc synodus, eiusmodi consuetudinem pro corruptela habendam esse, utpote causam, cur tam salutaris sacramenti susceptio ad extremum vitæ spiritum a plerisque differatur, iique interim effectus sacramenti non percipiant et sæpe etiam sine eo moriantur.“ Mechlinensis synodus iam commemorat errorem impium, sacramento suscepto mortem esse indeclinabilem, errorem, quem multa Concilia recentioris ævi oppugnant, quæ speciatim indicare superfluum est, cum omnes sciamus, quam vim hodie quoque in mentem etiam piorum exerceat timor, ne suscepta s. Unctione spes vitæ sit abscissa.

3. Errores theologorum. Vidimus (L. III, c. 2, a. 1) theologos multos, imprimis integram scholam scotisticam, docuisse, effectum principalem Extremæ Unctionis esse remissionem finalem peccatorum venialium ideoque sacramentum non esse conferendum, nisi cum ægrotus non amplius possit peccare venialiter vel saltem iam possit non amplius peccare. Sequela illius falsæ doctrinæ erat error alter, s. Unctionem non esse dandam nisi iamiam morientibus. Unde etiam pii sacerdotes, qui seriam curam salutis animarum gerebant, religione prohibebantur, quominus subvenirent iis, quos mortem effugere posse, nondum omnis spes erat sublata. Solum ex hoc errore declaratur, quomodo etiam unum vel alterum Concilium particulare potuerit præscribere, sacramentum esse administrandum „periculose ægrotantibus propeque moribundis.“[1]) *Rationes adductæ profecto abunde sufficiunt ad declarandum, unde factum sit, ut a sæculo XII. vel XIII. administratio s. Unctionis sit dilata fere usque ad ultimum spiritum.*[2])

[1]) Concil. Avenionense (1594), Harduin X, 1848; Aquense (1585), Harduin X, 1535.

[2]) Mirum non est, quod in quibusdam regionibus maxime supervenientibus turbis religiosis sæc. XVI. sacramentum pene in desuetudinem abiit. *Knöpfler* (Die Kelchbewegung in Bayern unter Herzog Albrecht V. p. 61 s.) ex relationibus Visitatorum (post medium sæculum XVI.) narrat: „Auffallend ist sodann die grosse Vernachlässigung, ja Verachtung der letzten Ölung; in Regensburg war sie in 58 Ortschaften ganz

Ceterum *theologi orientales ipsi testantur, apud se eundem tristem morem vigere, quem ecclesiæ latinæ exprobrant.* Ut ex multis unum citemus, scribit *A. Dmitrievskij* (De defectibus contemporaneæ ecclesiastico-religiosæ educationis necnon de causis, quæ illos produxerint, p. 16 s.): „Quod vero sacramentum benedictionis olei attinet, quod ab Ecclesia ‚in sanationem animæ et corporis, in purgationem et ablationem omnis doloris et omnis morbi atque ægritudinis et omnis maculæ corporis et animæ' (III. oratio) ordinatum est, fit, ut a permultis, ne ægrotus prolixis ritibus, qui plures extraneas personas præsentes, uberes lucernas accensas exposcunt, totaliter negligatur; tametsi vero conficiatur, id tum demum fiat, cum ægrotus iam fere sensibus est alienatus, aliis verbis, cum necessitas huius sacramenti totaliter cessavit. Verba orationis in Ordine benedictionis olei: ‚Aufer ab eo omnem dolorem et infirmitatem, ut manu tua forti levatus serviat tibi cum omni grato animo' (ibidem), quæ a sacerdote super semimortuum recitantur, debent orantes et lectum morientis circumstantes nimio suo anachronismo percellere. Ob intempestivam collationem sacramenti benedictionis olei multi persuasum habent, istud sacramentum necessarium esse graviter ægrotis, qui nullam præbeant spem recuperandæ valetudinis, esse quodammodo sacramentum ‚extremum', homini, qui convaluerit post collatum sacramentum (sic e. gr. simplex plebs opinatur), non licere lavare corpus suum, comedere carnes, inire matrimonium et sic porro." En, eadem praxis, eædem superstitiones atque in Occidente. Attamen si assereremus, ecclesiam russiacam non conferre euchelæon nisi infirmis fere moribundis, recte theologi russiaci quererentur, quod tamquam doctrinam ecclesiæ suæ sugillemus errorem plebis ab ecclesia reprobatum.

---

ausser Übung gekommen: in Freising plane inolevit an 46 Seelsorgstellen, und in Passau heisst es fast allgemein: ‚wird nit begert'." Malum istud minime fuisse coarctatum ad Bavariam, ostendit quædam instructio legati s. Sedis *Fel. Niguardæ*, ex qua Knöpfler l. c. refert: „Non absque gravi gemitu comperit Sua Sanctitas, in infinitis propemodum partibus Germaniæ ob negligentiam parochorum ac fortasse etiam episcoporum sacramentum Extremæ Unctionis pene abolitum esse."

ARTICULUS II.

SUBIECTUM ESSE TANTUM HOMINEM GRAVITER INFIRMUM.

Est *doctrina catholica, pharmacum sacramentale non posse administrari nisi infirmo gravi morbo laboranti.* Quæ veritas a Concilio Tridentino tam claris verbis enuntiatur, ut sine temeritate in dubium vocari nequeat. Sane Concilium in prooemio „declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit." Instruit nos Concilium, Christum Dominum hominibus sanis et in nullo periculo mortis versantibus abunde per alia sacramenta providisse; ergo non pro sanis est destinata Extrema Unctio. Docet nos Concilium ulterius, nostrum sacramentum Dominum dedisse tamquam firmissimum præsidium pro fine vitæ; ergo primaria intentione destinatur pro iis, qui de facto ex sua conditione morte occumbent, sed non pro illis solis, nam per sacramentum infirmus „sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur." Est ergo cœleste præsidium institutum ad salutem eorum, qui in periculo mortis versantur, est supernaturale auxilium contra mala, quæ premunt eos, qui in tali periculo sunt constituti, sive de facto moriuntur sive non. Porro in periculo mortis potest quidem etiam sanus versari — morti a iudice addictus, prœlium initurus etc.; sacramentum vero dirigitur contra mala, quæ graviter ægrotum et vi morbi viribus animæ destitutum premunt. Nam unctio Spiritus Sancti „ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incom-

moda ac labores levius fert et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit." Si sacramentum tantum ægrotum contortat, tantum ægroto vires contra insidias dæmonis suppeditat, ex pari ratione tantum ægroti „delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit." Unde cum Concilium declarat, „esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur", non statuit legem disciplinarem, sed divinam ordinationem in memoriam revocat. Sed cum decreta dogmatica Concilii Tridentini Græcos dissidentes, qui sanos sacramentaliter inungunt, non convincant, sit

Propositio XI. Auctoritate s. Scripturæ, perenni Traditione et ratione theologica constat, solum gravi morbo laborantes esse capaces sacramenti Extremæ Unctionis.

Probatur I. pars ex textu s. Jacobi apostoli. Theologi quidem latini communiter censent, rem posse decidi ex ipsis terminis, quibus utitur apostolus, cum ait: *ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν* · et: *ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα.* *Cornelius a Lapide* e. gr. scribit (Comment. in ep. s. Jac. ad V, 14): „Quod ait ‚infirmatur', intellige graviter et periculose ad mortem; hic enim *ἀσθενεῖ,* i. e. viribus et robore plane destituitur, quem proinde mox vocat *τὸν κάμνοντα,* i. e. periculose laborantem." Ipse *Suarez* præter morem suum ad textum græcum recurrit et advertit (Disp. 42, s. 2, n. 3): „Verbum *κάμνοντα* deficientem et pene morientem significat." *Berti* erudite nos docet (L. 35, c. 9): „Græca vox *ἀσθενεῖ* de morbo graviori intelligitur, prout constat ex Matth. X, 8; XXV, 36, Marci VI, 56, ad Philipp. II, 27, quod etiam notavit Grotius. Addam vero magis perspicua; nam Jo. IV, 46, ubi legitur: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum,* extat in Græco: *οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ.* XI, 2 legunt Latini: *Cuius frater Lazarus infirmabatur,* Græci vero: *ἧς ὁ ἀδελφὸς Λάζαρος ἠσθένει;* ibidem versu 3 Latini: *Ecce quem amas, infirmatur,* et Græci: *ἴδε, ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ;* ac versu 6 apud nos: *Ut ergo audivit, quia infirmabatur,* et apud Græcos: *ὡς οὖν ἤκουσεν, ὅτι ἀσθενεῖ,* ac demum Act. IX, 37 in Vulgata: *Ut infirmata moreretur,* in græco textu: *ἀσθενήσασαν ἀποθανεῖν:*

in quibus locis manifestum est agi de gravioribus corporis infirmitatibus et ubique apponi verbum *ἀσθενεῖν.* Tertium quod noto, est, quamquam hoc verbum ambiguæ foret significationis, coarctari ad commonstrandam gravem corporis infirmitatem iis, quæ subiciuntur: *Et oratio fidei salvabit infirmum: Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα;* est enim *κάμνω* consentientibus omnibus idem ac: deficio, lassesco, et graviore infirmitate laboro." Non est mirum, quod post tantos doctores plurimi alii theologi asseruerint, *ἀσθενεῖν* significare: periculoso morbo laborare, *κάμνειν*: morti propinquum esse.

Verum tale argumentum seponendum est, ne Orientales irridentes nobis acclament: „Quanti momenti est lingua originalis." Tum *ἀσθενεῖν* tum *κάμνειν* nec unice nec primo nec communiter significare: ægrotum esse, multo minus periculose, ad mortem ægrotum esse, sufficit inspicere lexica. Nec licet excipere, in s. Scriptura dictos terminos determinari ad sensum: graviter, ad mortem ægrotare. Nam *κάμνειν* præter Jac. V, 15 solum quinquies occurrit (in textu græco originali et in versione septuaginta simul), nullibi autem sensu: ægrotum esse. *Ἀσθενεῖν* quidem sæpissime adhibetur, sed plerumque significat defectum virium sive naturalium sive supernaturalium ad certum aliquem finem. Sic, ut unum exemplum afferamus, Samson (Jud. XVI, 7, 11) iterato fallit Dalilam dicendo, si feceris hoc vel illud, *„καὶ ἀσθενήσω καὶ ἔσομαι ὡς εἷς τῶν ἀνθρώπων.* Certe non raro, præsertim in Evangeliis, ut in textibus a Berti adductis, *ἀσθενεῖν* idem valet, quod ægrotum esse; id vero non ex sola voce, sed ex contextu patet. Ex eo autem, quod quorundam *ἀσθενούντων,* ut Lazari, morbus erat ad mortem, non licet inferre, terminum ipsum per se indicare morbum periculosum. Multi ægroti sine spe decumbunt; ex quo male inferretur, ægrotare idem esse ac morbo mortifero occupatum esse.

Omissa igitur argumentatione ex grammatica significatione terminorum, quibus apostolus indicat subiectum sacramenti, *probemus ex textu s. Jacobi, solum gravi morbo laborantes esse capaces Extremæ Unctionis. Versus 13 continet generale monitum: κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσευχέσθω,* quibus verbis oratio tamquam universale remedium contra afflictiones quascunque proponitur. *Versu 14 specialis modus orationis* pro

statu specialis afflictionis commendatur. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου. Agi de morbo idque de *morbo gravi,* contextus clare ostendit. Monetur enim ὁ ἀσθενῶν, ut ad se accersiri faciat presbyteros Ecclesiæ. Ergo supponitur ea infirmitate oppressus, ut non valeat ipse adire presbyteros, quod per se decet, sed cogatur ope aliorum eos rogare, ut ad se veniant. Ad hæc solemnis ritus non a quibuslibet fidelibus, sed a solis presbyteris super infirmum in domo eius peragendus menti sistit gravem causam, in contextu gravem morbum. Apostolum præ oculis habere non leve aliquod incommodum valetudinis, sed gravem morbum, ostendunt etiam *effectus,* qui sacramento tribuuntur. Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος κ. τ. λ. Igitur describitur infirmus connitens et luctans contra mala, quibus ex morbo suo affligitur. Sed vires naturales non sufficiunt; nam Dominus est, qui eum ope sacramenti salvat et erigit. Quod manifestat, gravem esse infirmitatem, quomodocunque ceteroquin concipitur auxilium divinum.

Quod adversarii excipiunt, apostolum commendare quidem ritum salutarem imprimis pro graviter infirmis, sed *non positive excludere* eos, qui tristitia aliisque malis animæ affliguntur, sustineri nequit. Nam s. Jacobus versu præcedente expressis verbis remedium contra alias afflictiones assignavit propriam hominis, qui patitur, orationem. Unde cum pro graviter ægroto præscribit orationem presbyterorum cum unctione, eo ipso alios afflictos ab *hoc* ritu excludit. — *Stephanus* episcopus, ut ecclesiarum ritus græci dissidentium disciplinam sacramentaliter inungendi etiam sanos defendat, producit suam theoriam de effectu principali sacramenti (Cf. p. 230), qui consistat in sanatione invisibili morbi imperceptibilis, sequelæ peccati (De sacramentis p. 23): „*Aliter,* inquit, *nullam haberet rationem* collatio sacramenti in bene valentes, quæ in ecclesia orthodoxa etiamnunc exercetur in urbibus, quondam autem, ut dictum, erat usus communis et stabilis.“ Respondemus, plane evidens esse, infirmum, in cuius levamen secundum doctrinam apostolicam sacramentum institutum est, laborare morbo tam perceptibili, ut non valeat amplius domo egredi.

Probatur II. pars. Per decursum tractatus, maxime libro primo, permulta Conciliorum, ss. Patrum aliorumque theologorum documenta, in quibus sermo fit de subiecto sacramenti, consideravimus. Omnia, ne uno quidem excepto, instruunt nos, medicinam supernaturalem concessam esse in salutem corporaliter infirmorum. Immo *Innocentius I.* a Decentio ex officio consultus relatis verbis s. Jacobi docet: „Quod non est dubium de fidelibus *ægrotantibus accipi vel intelligi debere,* qui sancto oleo chrismatis perungi possunt.“ Ipsi Græci ex toto tempore, quod præcessit triste schisma, nullum nobis proferunt testimonium, quo indicetur, sano aliquando esse collatum sacramentum vel saltem posse conferri. Sed etiam post separationem diu permanserunt in eadem persuasione cum Latinis. Imperator *Michael Palæologus* in professione fidei Gregorio X. in Concilio œcum. Lugdunensi II oblata confitetur: „Aliud [sacramentum est] Extrema Unctio, quæ secundum doctrinam b. Jacobi infirmantibus adhibetur.“ Nec ullum extat vestigium, Græcos confessione illa aliud ac perpetuam suam fidem expressisse. Eandem fidem etiam diu post Concilium Lugdunense perdurasse, ostendit Confessio *Metrophanis Critopuli,* quæ caput XIII. (De euchelæo) orditur definitione: „Euchelæon est ritus mysticus, per oleum et preces ab Ecclesia pro fidelibus *ægrotantibus (νοσούντων)* celebratus.“ Totus tractatus Metrophanis de olei sacramento tamquam certum et indubitatum supponit, solis ægrotis mysterium euchelæi exhiberi.

Varios alios auctores græcos, qui idem firmiter asseverant, licet videre apud *Leonem Allatium* (De Eccl. occ. et or. perpetua consensione l. III, c. 16, n. 6). *Non sufficere quodlibet leve incommodum valetudinis,* ut tanti sacramenti auxilium expeti possit, sed requiri *gravem* morbum, ostendunt exempla collatæ s. Unctionis, quæ libro primo posuimus, decreta episcoporum singularium et synodorum, quæ præscribunt, ut presbyteri sacrum mysterium præbeant decumbentibus cum periculo vitæ, effata Patrum, quæ supponunt, presbyterum vel episcopum debere accedere ad infirmum, non vicissim. Idem clarissime elucet ex Latinorum Ordinibus ad visitandum et inungendum infirmum et ex Græcorum officio euchelæi. Totus ritus id unum agit, ut infirmum in periculo

mortis constitutum misericordiæ divinæ commendet. Plane indignum esset, si Ecclesia cum tali apparatu cæremoniarum et orationum, qualem antiquitus præscripti libri rituales continent, leviter indisposito succurreret.

Probatur III. pars. *Rationem theologicam s. Thomas* optime desumit ex natura sacramenti (Suppl. q. 32, a. 1 et 2): „Hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio . . ., quæ quidem per quemdam corporalis curationis modum significatur. Et ideo illis, quibus corporalis curatio non competit, sc. sanis, non debet hoc sacramentum conferri" (a. 1). Ad obiectionem, principaliorem effectum sacramenti esse sanitatem mentis, qua indigeant etiam sani, respondet: „Quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus huius sacramenti, tamen oportet, quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis huius sacramenti, etiamsi corporalis sanatio non sequatur. Et ideo solum illis hoc sacramento sanitas spiritualis dari potest, quibus corporalis curatio competit, sc. infirmis; sicut ille solus potest Baptismum suscipere, qui potest corporalis ablutionis esse particeps." Ergo sanus excluditur ab Extrema Unctione, quam neque leviter infirmis dari posse, a. 2 ex fine eius deducit: „Hoc sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod ægritudo nata est inducere mortem et de periculo timetur." Et revera cum sacramentum sit institutum pro infirmis et quidem ad eum finem, ut ita in anima mundentur et sanctificentur, ut, nisi longior vita magis expediat, statim valeant introire in gloriam, concludendum est, tunc solum s. Unctionem posse conferri, cum infirmus tali morbo est subiectus, qui fundet suspicionem, ne ægrotum ducat ad mortem. Quam rationem *Suarez* bene exequitur et confirmat (Disp. 42, s. 2, n. 4): „Est hoc sacramentum institutum tamquam extremum remedium hominum infirmorum et morientium, quo et in gravissimo [i. e. quod habet maximum momentum] mortis periculo iuventur et ad gloriæ introitum, quoad fieri possit, disponantur; ergo ut minimum requirit hominem ita decumbentem, ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri saltem remote et quantum est ex natura talis ægritudinis in tali subiecto. Item cum sanitas etiam corporis per hoc sacramentum procuretur, certe supponi debet infirmitas ex se gravis, nam verisimile non est, tale sacramentum esse institutum propter quamlibet levem ægritudinem curandam. Et sane, si sacramentum hoc valide dari posset cuilibet ægrotanti communi et ordinario morbo, ex quo nullum periculum timeretur, non esset, cur omnibus huiusmodi infirmis tale sacramentum denegaretur, ita ut licite illis dari non posset. Cur enim privarentur hoc sacramento, cum alias nulla tali sacramento irreverentia fieret. Requiritur ergo gravis seu letalis morbus etiam ad valorem sacramenti." Ultimam rationem habere vim solum pro latina et illis orientalibus ecclesiis, in quibus interdictum est, ne sani sacramentaliter inungantur, patet.

Tota propositio confirmatur eo, quod ex fontibus revelationis nihil adducitur, quod speciem præ se ferat veri argumenti, sanos vel leviter ægrotos fructuum s. Unctionis fieri participes. Orientales provocant ad usum suarum ecclesiarum. Sed coguntur concedere, usum, quem invocant, habere originem satis recentem. *Archangelskij* ostendit (p. 81 ss.), ipsam solemnem inunctionem fer. V. in Cœna Domini ante sæculum XVI. nullibi apparere; et recte opinatur, eam ortam esse ex usu non sacramentali s. olei.

Pauci quidam theologi latini, inter quos eminent *Juénin* et *De Sainte-Beuve,* conati sunt defendere ut validam praxim Græcorum, qua euchelæon præbent sanis. Sed eorum argumenta Benedictus XIV. merito vocat „frivola et nullo negotio evertenda" (De synodo l. VIII, c. 5, n. 5). Ad sequentia reducuntur:

1. Græci adhibent rectam materiam et formam per rectum ministrum, qui intendit conficere sacramentum. Resp. Argumentum supponit, quod intendit probare, subiectum esse capax.

2. Documenta ecclesiastica positive asserunt, infirmis esse dandum sacramentum, sed non excludunt sanos. Resp. Post propositionem demonstratam falsum est dicendum quod affirmatur.

3. Græci habent illam praxim et Latini eos nunquam redarguerunt, speciatim non in Concilio Florentino. Resp. Non redarguerunt, quia tunc nondum habebant illam praxim.

Veritas probata illustratur ex effectu principali sacramenti, quem esse confortationem animæ ægroti ad vitandum circulum supponimus probatum argumentis primo (p. 227 ss.) et tertio (p. 238 s.). Specifica enim illa depressio, contra quam iuvat confortatio sacramenti, neque in sano neque in leviter infirmo locum habet.

ARTICULUS III.

IN QUO STATU INFIRMITATIS EXTREMA UNCTIO RECTE CONCEDATUR.

Articulo præcedenti ostendimus, s. Unctione non posse muniri nisi gravi infirmitati subiectos. At ex eo, quod gravis infirmitas exigitur, ut sacerdos inungendi officium impendere possit, nondum constat, eam etiam sufficere. Novimus, saltem a sæculo XIII. per ecclesiam occidentalem latissime viguisse et multis in locis adhuc vigere praxim non recipiendi sacramentum, dum omnis spes mortem effugiendi nondum est præcisa; scimus, non defuisse theologos, qui affirmarent, expectandum esse, donec mors proxime instet. Præterea etiam dato, in quavis gravi infirmitate ægrotum sacramentali medicina recte iuvari, non raro accidit, ut sacerdos anxie hæreat, sitne morbus dicendus gravis. Unde variæ restant quæstiones de statu infirmitatis requisito, ut Extrema Unctio valide et licite administretur.

Quod spectat valorem, norma universalis est: Quodvis sacramentum valide recipiunt, qui sunt capaces effectus eius principalis. Effectus autem principalis Extremæ Unctionis est confortatio animæ contra depressionem ex morbo causatam. Cum sacerdos sæpe facilius diiudicet statum animæ quam corporis, ex prostratione mentis cognita colligere datur, morbum habere eum gradum, ut valide præsidium sacramentale languido impertiatur. Igitur indigentia confortationis ideoque capacitas subiecti modo immediate in se modo ex cognita vehementia morbi deprehenditur.

Cum constat, sacramentum valide conferri, plerumque aliis conditionibus — intentione, dispositione animæ etc. — suppositis etiam licite confertur. *Normam universalem, quando liceat, immo oporteat Extremam Unctionem dare, statuit ipsum rituale romanum* (Tit. V, c. 1, n. 5): „Debet autem hoc sacramentum infirmis præberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui præ senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.“

Quibus præmissis variæ quæstiones, quæ oriuntur, sine magna difficultate solvuntur. Igitur

1. *Si morbus est levis, timetur tamen, ne evadat periculosus,* s. Unctio nec licite nec valide præstatur. Dum enim morbus non est periculosus et leviter tantum affligit, non causat eam depressionem animæ, contra quam principalis effectus sacramenti dirigitur. Ergo ex timore, ne morbus evadat periculosus, licet quidem conicere fore, ut infirmus evadat capax cœlestis medicinæ, hic et nunc non est eius capax.

2. *Si morbus leviter tantum affligit ægrotum, coniungitur autem cum periculo mortis instantis,* et valide et licite sacramentum præbetur. Talis enim morbus est in se manifesto gravis; et quamvis non ferat secum magnos dolores corporis, adsunt tamen omnes aliæ rationes indigentiæ confortationis sacramentalis. Unde immerito theologi quidam ecclesiæ russiacæ oppugnant præscriptum ritualis romani, quo edicitur, iis, qui præ senio sine alia infirmitate deficiunt et in diem videntur morituri, sacramentum esse præbendum. Nullius momenti sunt rationes, quas opponunt. Arguit e. gr. *Archangelskij*, falsum esse dictum Ciceronis ab ecclesia romana pro nostro casu adductum: „Senectus ipsa morbus est;“ nam mortem physiologicam, mortem ex plena confectione organorum esse mortem sine morbo. Verum his tantum asseritur, quod probandum esset. Addit, verba s. Jacobi: *ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν,* non convenire in senem non graviter ægrotum. At negamus, senem tam male affectum, ut in diem videatur moriturus, non esse graviter ægrotum. Mira est sequens ratio: Medici sanant morbos iuvenum et senum, non sanant senium. Sed hinc solum sequitur, senium non includere merum periculum mortis, sed eius certitudinem; quam esse impedi-

mentum præbendi euchelæon, nec Archangelskij affirmaverit. Quod tandem non omnes orationes librorum ritualium quadrent in infirmum senio deficientem, verum est, sed nimium probat; sequeretur enim, τὸ εὐχέλαιον omnibus denegandum esse, qui a spe evadendi mortem plene sunt exclusi. Sufficit, ut ritus essentialis ægroto conveniat.

3. *Si morbus videatur gravis et periculosus esse, revera autem nullum adsit discrimen vitæ,* certe valide et licite ministratur sacramentum. Nam talis ægrotatio animum languentis non minus prosternit, quam quæ vere est letalis, et norma ritualis est salva. Insuper si obiectivum periculum exigeretur, non raro accideret, ut ægrotus a medicis depositus, cuius mors in horas expectatur, invalide inungeretur vi morbi iam fracta, quamvis ad extra id nondum appareat. Unde si Dominus obiectivum vitæ discrimen fecisset conditionem essentialem, ipse sacramentum crebro periculo nullitatis et optimos quosque sacerdotes anxiis scrupulis simulque infirmos periculo exposuisset, ne supernaturale auxilium eis denegaretur tempore, quo maxime apti existerent ad plenum eius fructum accedente perfecta cooperatione propria percipiendum.

4. *Si vicissim infirmus graviter affligitur per morbum, qui natura sua est quidem periculosus, sed nondum videtur secum ferre discrimen vitæ,* maxime quia iudicio medici periti servat normalem, quem vocant, cursum, pariter valide et licite præbetur s. Unctio. Præbetur valide, quia infirmus, qui graviter conflictatur cum morbo natura sua periculoso, animo valde deprimitur et præsenti angori subicitur, ne infirmitas sumat exitum letalem. Præbetur licite, quia talis homo tam graviter laborat, ut ex ipsa natura languoris „periculum mortis imminere“ videatur. Recte *Suarez* (Disp. 42, s. 2, n. 5): „Quoties, inquit, morbus ex se fuerit periculosus et gravis, existimo sacramentum esse validum, etiamsi ad statum morbi vel non satis vel etiam nihil attendatur.“ Quin in hoc statu languoris optime Extrema Unctio datur, si parochus ex natura morbi prudenter timet, ne, cum apparuerit periculum, etiam ratio ægroti obnubiletur vel ita debilitetur, ut convenientem cooperationem non amplius valeat præstare. Si talis timor abest, censeo, melius expectari tempus, quo periculum

iam sit apertum; tunc enim infirmus facilius disponitur, ut beneficium divinum recte æstimet, ex animo desideret et cum magna devotione recipiat. Ceterum in tali re multum dependet a iudicio prudenti parochi vel alterius sacerdotis, qui ex dictis sine scrupulo de valore sacramenti procedere potest.

5. *Si infirmus graviter affligitur per morbum, cuius natura nondum constat,* idem iudicium est ferendum quod in casu præcedenti. Tantum enim abest, ut illa incertitudo de natura morbi, quæ ex supposito cum vehementia hominem incessit, minuat depressionem animæ, ut angores soleat augere. Pariter fundat timorem, ne periculum mortis immineat.

6. *Si per se adsint omnes conditiones, sub quibus sacramentum præberi potest, medici autem fide digni declarent, per operationem chirurgicam gravem quidem, sed plene securam omne periculum posse removeri,* distinguendum est. Si infirmus operationem illam, cui ut se submittat non tenetur, nolit subire, manifesto licet eum sacramentaliter inungere. Simulac autem consentit consilio medicorum, mea quidem sententia se constituit inhabilem, qui sacri mysterii particeps fiat. Eo ipso enim, quod voluntate acceptat medium, cum quo certa restitutio sanitatis coniungitur, morbo suo rationem periculi adimit, omnem fundatum timorem mortis excutit et incapax fit illius confortationis, quæ est sacramenti effectus principalis.

7. Tandem, si *morbus secum ducat periculum certum mortis, sed remotæ,* cum e. gr. iudicio medicorum vel aliunde constat, hominem graviter laborare phthisi pulmonum, protracturum autem, si nihil inopinatum accedat, vitam per complures menses, *valide datur sacramentum.* Conditionem enim requisitam impletam esse, post omnia hucusque dicta quivis videt. Difficilius determinatur, num collatio sacramenti liceat. Licebit certe, si ex circumstantiis timendum sit, ne postea infirmo desit occasio illud recipiendi. Unde cum s. Congregationi de propaganda Fide proponeretur casus: „Aliquando missionariis christianos sibi commissos visitantibus occurrit ægrotus hectica febri vel simili morbo laborans, qui iuxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. Quæritur, an in tali casu missionarius ipsi possit administrare Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod,

quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit præsens haberi missionarius ob magnam distantiam et alias circumstantias id impedientes?"[1]) *Respondit s. Congregatio: „Affirmative"* 20. Febr. 1801. In aliis casibus expendendus est status morbi, spes restituendi languidum sanitati ope supernaturalis medicinæ, maius eius bonum spirituale, scandalum forte exoriturum, si Extrema Unctio detur homini adhuc sua officia obeunti etc. Unde speciales regulæ spectant ad theologiam pastoralem.

Post omnia hucusque constituta restat, ut respondeamus querelis Orientalium.

Propositio XII. Etsi theologi orientales recte vituperant consuetudinem intra ecclesiam latinam valde diffusam non administrandi s. Unctionem nisi in gravi periculo mortis proxime instantis, vehementer tamen errant, cum Ecclesiæ ipsi attribuunt doctrinam, Extremam Unctionem tantum morientibus esse concedendam.

Probatur I. pars. 1. Recte vituperatur consuetudo, quæ contra usum antiquæ Ecclesiæ per avaritiam sacerdotum, impias superstitiones plebis et errorem theologorum est introducta. Jam vero consuetudo, in quam theologi orientales tam acriter invehuntur, *a. multum discrepat ab usu antiquæ Ecclesiæ.* Id vel inde patet, quod ss. Patres aliique scriptores ecclesiastici et integræ synodi toties hortantur fideles, ut in infirmitate positi pro recuperanda sanitate cœlestem Unctionis medicinam requirant, et quod eos increpant ob usum mediorum a superstitione suggestorum, cum habeant paratum remedium longe efficacius in mysterio a s. Jacobo commendato. *Innocentius I.* instruit Decentium, verba s. Jacobi „de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt." Non dicit Pontifex: „de fidelibus ægrotantibus cum extremo periculo;" e contrario talem sensum aperte excludit. Addit enim: „Pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus

[1]) *Ferraris,* Promptæ Bibliothecæ Supplementum, p. 362.

reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?" Declarat ergo s. Innocentius, pœnitentibus, i. e. canonicæ pœnitentiæ ob crimina enormia subiectis concedendam non esse sacramentalem Unctionem, *quia* omnia sacramenta eis negantur. Novimus autem ex alia epistola eiusdem Innocentii I. (Ep. 6. ad Exsuperium n. 6), pœnitentibus illis et sacramentum Pœnitentiæ et Eucharistiam „in extremo fine vitæ suæ" esse concessum. Tunc igitur cessante ratione, ob quam eis Extrema Unctio antea non præbebatur, sacrati olei præsidio pro ultimo agone muniri poterant.[1]) Ergo s. Pontifex clare indicat, reliquis fidelibus s. Unctionem dari posse et de facto dari, cum sunt vere „ægrotantes", non autem tum demum, cum sunt morituri.

Ad hæc in antiqua Ecclesia Extrema Unctio ante Viaticum conferrebatur. Quod inter alia ostendunt textus p. 12 relati et vix non omnes antiqui libri rituales. *Martène* postquam attulit ex fontibus historicis plurima exempla servati ordinis illius, concludit (De antiquis Ecclesiæ ritibus t. I, p. 828 s.): „Ex his omnibus aliisque huiusmodi testimoniis, in quibus ordo ministrandorum infirmis sacramentorum describitur quæque hic congerere possem, luce meridiana clarius demonstratur, Unctionem Viatico olim ordinario usu præmissam fuisse: id quod confirmant omnia pene Ritualia mss., quæ meas in manus aliquando ciciderunt. Non ibo tamen infitias, contrariam alicubi consuetudinem obtinuisse."[2]) Immo extant documenta, ex quibus apparet, administratam esse s. Unctionem, et dilatam Communionem ad tempus maioris periculi. Sic præscribit magna *synodus Aquisgranensis a.* 816 (p. 12): „Si subditus infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali necnon unctione sacrati olei per eius [presbyteri] negligentiam careat. Denique si finem urgentem per-

[1]) Recte mentem Innocentii I. interpretatur Concilium Ticinense a. 850 (vide p. 11), cum sancit: „Hoc tamen sciendum, quod si is, qui infirmatur, publicæ pœnitentiæ mancipatus est, non potest huius mysterii consequi medicinam, nisi prius reconciliatione percepta communionem Corporis et Sanguinis Christi meruerit. Cui enim reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur."

[2]) Cf. *Binterim,* Denkwürdigkeiten, 6. B., 3. T., p. 306 ss. *Launoi,* t. I, p. I, p. 594 ss.

spexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali *cum acceptione s. Communionis.*" Huc pertinet, quod p. 6 s. ex *Isaac*, Lingoniensi episcopo, adduximus; unde saltem id clarum est, Viaticum etiam iam data Extrema Unctione esse dilatum. Ceterum ex eo ipso, quod s. Unctio, quantum ex antiquis documentis iudicare possumus, semper cum confessione ægroti, quæ certe non differebatur, usque dum mors proxime instaret, coniungebatur, oportet concludere, infirmos mature utroque sacramento esse munitos.[1])

b. Contrariam consuetudinem per avaritiam sacerdotum, superstitionem plebis et errores theologorum esse introductam, ostendit huius capitis articulus primus. Cum successissent lætiora tempora Ecclesiæ, multis sacerdotibus consuetudo, cuius tristem fontem non noverant, videbatur legitima praxis et fideles retinebant aversionem a tam salubri mysterio tamquam a certo nuntio mortis.

2. Si Extrema Unctio differatur, donec mors proxime instare videatur, *ægrotus plerumque privatur* beatissimo illo bono, quod Christus Dominus in instituendo sacramento intendit: *immediato introitu gloriæ.* Moriturus enim vel nullo modo vel imperfecte tantum cooperari valet gratiis sacramentalibus; sæpe non amplius supersunt ei vires animæ, ut eliciat actus doloris de omnibus peccatis suis, actus plenæ resignationis in beneplacitum Dei, intensæ fiduciæ in misericordiam infinitam, perfectæ caritatis.

Ipse *effectus principalis irritus redditur.* Concilium Tridentinum post multos ss. Doctores nos instruit, Extremam Unctionem esse præsidium a piissimo Salvatore datum contra gravissima mala, quæ solent animum periculose decumbentis cruciare, esse præsidium maxime adversus vehementes oppugnationes adversarii nostri intendentis omnes versutiæ suæ nervos ad perdendos nos penitus, cum impendere nobis exitum

[1]) Idem sequitur ex quibusdam rubricis antiquorum Ordinum, e. gr. apud Warren, the liturgie etc. p. 169: „infirmus canit, si potest; si non, persona eius canit sacerdos: ignosce, domine" etc. Pontificale Salisburgense sæc. XI.: „flectat genua, qui est languidus, et stet ad dexteram sacerdotis" (Martène l. c. p. 902); quæ rubrica in compluribus aliis Ordinibus recurrit.

vitæ perspexerit. Pugna deciditur, dum ægrotus pollet usu rationis necessario ad peccatum mortale. Si ergo infirmo subtrahitur auxilium a suo Redemptore ei provisum, ut valeat tanta mala perferre; si non munitur fortitudine divina, qua superior evadat hostis atrocis insultibus, merito timendum est, ne ab adversario vincatur et prosternatur. Quid iuvabit, si tunc tandem ei suppeditentur arma, cum iam non valet se erigere ad novum certamen? Neve dicatur: Abunde ei provisum est per Pœnitentiam et s. Communionem. Si hoc verum est, cur Dominus instituit Extremam Unctionem? Sacramenta semper operantur eodem modo. Hinc in extraordinaria indigentia opus est extraordinario remedio. Non sufficit militem progredientem in agonem instruere viatico, indiget armis, quibus vincat.

Tandem *sanitatis restitutio,* quam Deus ope sacramenti concedere paratus est, si ad salutem animæ expediat, penitus impeditur. Efficitur enim restitutio sanitatis per confortationem supernaturalem vi redundantiæ eius in corpus. Talis autem redundantia excluditur, si anima ipsa non est amplius capax actualis confortationis; sed etiamsi adhuc confortationis sit capax, rarissime sufficit ad salvandam vitam. — Tres orationes, quæ secundum romanum Ordinem post collatum sacramentum sunt dicendæ, omnes a Deo postulant restitutionem pristinæ sanitatis. Quo sensu eas recitabit sacerdos, qui ipse s. officium distulit, donec iudicaret, nullam amplius superesse spem vitæ? Si conferamus, quæ fontes revelationis nos docent de effectibus „cœlestis medicinæ animæ et corporis", cum sequelis tristis illius consuetudinis, de qua agimus, oportet nos concludere:

Multi cruciantur in purgatorio, qui iam triumpharent in cœlo;
multi in æternum perierunt, qui essent salvi;
multi mortem obierunt, qui adhuc sani viverent, si mature remedium piissimæ misericordiæ divinæ eis esset impensum.

Probatur II. pars. Doctrina ipsius Ecclesiæ non est colligenda ex abusibus, qui forte grassantur, sed ex decretis Conciliorum et ex approbatis catechismis. Hi autem fontes

nobis manifestant, Ecclesiam longissime abesse, ut foveat praxim, quam theologi orientales recte vituperant.

1. *Ut discamus doctrinam Ecclesiæ, imprimis consulendum est Concilium Tridentinum.* Hoc clare determinat (c. 3) subiectum sacramenti. „Declaratur etiam, esse hanc Unctionem *infirmis adhibendam,* illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde et sacramentum exeuntium nuncupatur.“ Orientales nec possunt nec, opinor, volunt negare, *τὸ εὐχέλαιον* esse *præsertim* illis adhibendum, qui in exitu vitæ constituti videntur, i. e. in talibus maximam sollicitudinem exercendam esse, ut sacro mysterio muniantur; alias damnum neglecti sacramenti resarciri nequit. Concilium autem beneficium s. Unctionis non restringit ad morituros, sed permittit et præcipit, ut omnibus infirmis, qui eius effectibus recipiendis sunt apti, præbeatur: „Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam.“

2. Adiungamus statim doctrinam *catechismi romani* ex decreto Concilii Tridentini auctoritate pontificia editi (De sacr. Extremæ Unctionis IX): „Docendi sunt fideles, quamvis hoc sacramentum ad omnes pertineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus administrandum non sit. Ac primum excipiuntur, qui sano et firmo corpore sunt; iis enim Extremam Unctionem tribuendam non esse, et Apostolus docet, quum inquit: *Infirmatur quis in vobis?* et ratio ostendit; siquidem ob eam rem instituta est, non modo ut animæ, sed etiam ut corpori medicinam afferat. Quum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant: idcirco iis *etiam,* qui adeo periculose ægrotare *videntur,* ut, ne supremus illis vitæ dies instet, metuendum sit, hoc sacramentum præberi debet. *In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, quum iam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat;* constat enim, ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, quum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, s. oleo liniatur. Quare parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore cœlestem medicinam adhibeant,

illam quidem semper vi sua admodum salutarem, quum eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerit.“ Tum Concilium tum catechismus, quantum ad sensum attinet, plane idem docent, quod theologi orientales magno numero cum *Macario* metropolita asserunt: „Mysterium s. olei destinatum est pro infirmis graviter ægrotantibus, graviter infirmis“. Erravit autem idem doctissimus auctor, cum mox addidit: „Non recte procedit ecclesia romana, cum mysterium s. olei tamquam viaticum solum iis ægrotis ministrat, quorum mors iam prope instat.“

3. Evincit quidem rem plene argumentum adductum. Nam non potuit fieri, ut post Tridentinum evaserit doctrina Ecclesiæ opinio, quæ pugnat cum decreto dogmatico Concilii œcumenici. *Confirmemus tamen argumentum allatum per quædam statuta synodorum particularium post Tridentinum celebratarum.* Notavimus p. 268, unam alteramve talem synodum, cuius membra praxim in suis provinciis vigentem videntur reputasse usum legitimum, præcepisse, ut Extrema Unctio detur „periculose ægrotantibus propeque moribundis.“ At dictæ synodi plane evanescunt præ multitudine earum, quæ talem praxim reiciunt et sacerdotes, speciatim parochos, instanter monent, ut ipsi ægrotos mature inungant, quia differendo ad ultimum momentum gravissimum peccatum contraherent, et ut fideles sedulo instruant, ut deposita stulta opinione, sacramentum esse certum nuntium mortis, illud magni faciant et data occasione sine cunctatione expetant.

Concilium *Bituricense* (a. 1584) tit. 28, can. 1 s. statuit:[1]) „Administretur *tempestive* a sacerdote Extrema Unctio olei sancti, ita ut Christianus *mente adhuc integra* sacramenti efficaciam agnoscere possit. Doceantur infirmi eam percepturi, quis sit eius fructus et non esse expectandum ad eam suscipiendam finem vitæ.“

Concilium *Tolosanum* (a. 1590) c. 9:[2]) „Ægrotos parochi quanta maxima fieri poterit caritate visitabunt, consolabuntur, instruent, ultro sese etiam non vocati iis offerent: dabuntque sedulo operam, ne in id tempus sacram extremamque Unctionem differant, quo novissima conflictati valetudine *auctiori-*

---

[1]) Harduin X, 1489. [2]) Ibid. 1804.

que morbo tam profuturi sacramenti commoda, quod frequenter nimium accidit, satis agnoscere non possint."

Constitutiones synodi prov. *Beneventanæ* (a. 1693) tit. 7, c. 1 s. habent:[1] „Non est sine animadversione prætereundum, a parochorum quamplurimis Extremæ Unctionis sacramentum collaturis ex culpabili negligentia illud differri, donec ægrotus amissis sensibus animam agere incipiat, quod (ut Catechismo Romano admonentur) gravissimo peccato eos involvit, cum constet, ad huius sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. — Quare parochos omnes s. Synodus monet, ut, *quoties ægritudo ea est, ut apta sit inducere mortem et de periculo timetur, cum ægrotus sensibus est integris et rationis usu viget,* cœlestem hanc medicinam cum eius pietate et religione maxime profuturam adhibeant."

Concilium prov. *Westmonasteriensis* (a. 1852) n. 20 docet:[2] „Magno pretio habenda est huius sacramenti institutio, quo in extremo cum salutis hoste certamine ad victoriam uncti roboramur. 1. Quamobrem caveat sacerdos, ne quis fidelium sibi commissorum vel propria incuria vel ex defectu suæ pastoralis vigilantiæ absque hac salutari medicina tam corporis quam animæ e vita discedat. 2. Hortetur itaque fideles, ut non ad extremum vitæ punctum, cum iam sensus deficere cœperint, huius saluberrimi sacramenti receptionem remittant, sed ut potius, ingravescente morbo, statim ac fuerint in periculo constituti vocent presbyteros Ecclesiæ, qui eos oleo ungant sicque pro extremo agone vires præbeant et tutamen. 3. Ideoque ægroti familiares studiose moneat, ac frequenter fidelibus, dum bene valent, insinuet, quod, si medici acatholici ope utantur, insistant ac frequentibus interrogationibus urgeant, ut *statim ac morbus periculi speciem inducat,* ipsos admoneat, ne superveniente improviso aliquo casu anima huius sacramenti beneficio privetur."

Concilium prov. *Aquensis* (a. 1850) c. 6 decernit:[3] „1. Ecclesiarum rectores parochianos gravi morbo laborantes adhortationibus iteratis, si opus est, alliciant et inducant ad *mature* devoteque suscipiendum hoc ultimum misericordiæ Christi sacramentum, quo alleviatur et purgatur anima, peccata quandoque remittuntur, et, si ad salutem æternam expedierit, sanitas restituitur. 2. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani et impia opinione abducere, qua plerique de virtute huiusce sacramenti inepta sentiunt, perinde ac si mortem ægris acceleret."

[1]) Coll. Lac. t. I, p. 30 s. [2]) Ibid. t. III, 935. [3]) Ibid. t. IV, 992 s.

Ex multis aliis Conciliis post Tridentinum celebratis congeri possunt documenta in rem nostram. Allata sufficiunt, ut tuto concludamus: *Theologi orientales vehementer errant, cum Ecclesiæ ipsi attribuunt doctrinam, Extremam Unctionem tantum morientibus esse concedendam.*

ARTICULUS IV.

QUI STATUS ANIMÆ INFIRMI REQUIRATUR, UT EI EXTREMA UNCTIO VALIDE ET LICITE CONFERATUR.

Agentes de effectibus Extremæ Unctionis simul expendimus spirituales dispositiones subiecti necessarias ad consequendos singulos eius fructus. Non omnes illas dispositiones simul requiri, ut infirmo valide et licite divinum beneficium impertiatur, per se intelligitur. Restat ergo, ut investigemus, qualem esse oporteat statum animæ ægroti, ut ei sacerdos tuto sacramentalem Unctionem præbere possit. Igitur

I. Necessarius est usus rationis, *si minus actualis,* **saltem aliquando habitus.** Hanc conditionem assignant *rituale romanum* (tit. V, c. 1, n. 5), *plurima Concilia,* quorum nonnulla mox citabimus, *praxis constans Ecclesiæ, consensus theologorum vix non unanimis.*[1]) At quam certum

[1]) Ex antiquis scholasticis *Joannes Maior* (Comm. in textum Magistri) et ex posterioribus theologis *Joannes Maldonatus* (De septem Ecclesiæ sacramentis) affirmare dicuntur, etiam infantibus nondum usum rationis adeptis sacramentum dari posse. At non recte. Maior enim dicit: „Non video, quare non possit dari iuvenibus nec quare confessionem in iuvenibus rationis incapacibus præsupponat". Docet igitur idque recte, non esse in omni casu necessarium, ut ægrotus iam aliquando susceperit sacramentum Pœnitentiæ ideoque iuvenibus nondum confessis et nunc per morbum rationis incapacibus Extremam Unctionem recte ministrari. Maldonatus non scripsit opus de septem Ecclesiæ sacramentis. Cf. Hurter, nomenclator[2], t. I, p. 89.

est, usum rationis saltem aliquando habitum esse necessarium, tam difficile est, assertæ conditionis reddere internam rationem convincentem. Proferunt quidem theologi non paucas rationes, quibus probent, quod affirmamus. Sed nescio, an omnes sint inefficaces. Examinemus breviter singulas.

1. „Institutum est [sacramentum] propter luctam et gravissimas tentationes articuli mortis, ad confirmandum infirmum hominem et exhilarandum illum ac recreandum eius animum molestiis ægritudinis oppressum, atque adeo ad superandam debilitatem ex peccato relictam, vel conferendam etiam remissionem actualium peccatorum, si necessaria sit; quorum omnium non est capax infans, quia nec tentari potest nec resistere etc.; non est ergo subiectum capax huius sacramenti" *(Suarez* disp. 42, sect. 1, n. 3).

Verum, ut interim omittamus remissionem peccatorum, confortationis actualis incapax est etiam ille, qui per vim morbi privatus est usu rationis; nihilominus propterea nemo excluditur a beneficio sacræ inunctionis.

2. „Hic *supponeretur in forma,* quando diceretur: ‚per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum', quia in sanctis non tenet neque in infante, qui nihil deliquit per visum et similiter per auditum et incessum, quia forte nunquam incessit: ergo infantibus non debet exhiberi." *(Albertus* M. in Comm. ad textum Magistri a. 10.) Data ratio, quam cum b. Alberto plurimi theologi probant, ostenderet ad summum, erga infantes non posse adhiberi eandem formam, quæ pro adultis nunc in Occidente est præscripta. Quid autem si adhiberetur forma Orientalium vel alia ex antiquis, quæ non commemorant remissionem peccatorum? Magis autem obstat, quod sacramentum administrari potest iis, qui plene a peccatis sunt purgati, e. gr. moribundis immediate post collatum Baptismum.

3. „Hoc sacramentum *exigit actualem devotionem* in suscipiente, sicut et Eucharistia. Unde sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum." (*S. Thomas,* suppl. qu. 32, a. 4.) At cur s. Doctor exigit actualem devotionem in suscipiente? „Quod ad effectum huius sacramenti percipiendum *plurimum valet* devotio suscipientis, et personale

meritum conferentium et generale totius Ecclesiæ; quod patet ex hoc, quod per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur. Et ideo illis, qui non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet" (L. c. a. 3). — Verum ista ratio non permovit Ecclesiam, ut a sacramento excluderet adultos, qui iam carent usu rationis, cum sacerdos vocatur. Quare momentum allatum etiam ex mente s. Thomæ, ni fallor, solum aliquam inconvenientiam aperit, quæ nec valorem nec per se solam licitum recursum ad remedium sacramentale adimit.

4. „*Non datur* [Extrema Unctio] *contra reliquias originalis peccati, nisi* secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo *confortatæ.* Unde principaliter contra actualia peccata datur (ut ex ipsa forma patet), quæ non sunt in pueris" (*S. Thomas,* l. c. a. 4 ad 2). Ex verbis Doctoris angelici *tale conficiunt argumentum:* Qui incapax est effectus principalis, incapax est sacramenti. Jam vero effectus principalis Extremæ Unctionis est confortatio infirmi contra debilitatem naturæ lapsæ, quatenus aucta est per peccata personalia. Infans autem, cum nullum commiserit peccatum, illam determinatam debilitatem non habet. Ergo nec actualis nec habitualis confortationis ideoque nec sacramenti est capax.

Sed argumento vim inesse, *negat Suarez* (Disp. 42, s. 2, n. 8): „Neque ex verbis Jacobi neque ex aliquo Concilio nec ex forma vel materia huius sacramenti neque ex fine eius colligi potest necessitas huius conditionis [ut debilitas naturæ lapsæ sit aucta per propria subiecti peccata]; et alioqui effectus primarius huius sacramenti optime locum habet in eo, qui nunquam actualiter peccavit; ergo et ipsum sacramentum." Defensores argumenti adducti iterum provocant ad formam: Per istam s. Unctionem . . indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum etc. deliquisti: quæ forma reddatur simpliciter falsa, si in subiecto peccatum personale nec in se nec per aliquam sequelam inveniatur. Sed merito respondetur: Non ideo infantes a sacramento excluduntur, quod forma eis non conveniat, sed e contrario, quia Christus Dominus ob rationem aliam infantes a sacramento exclusit, ecclesia latina assumpsit formam, quæ aliquo modo exprimit omnes effectus,

quos s. medicina in adultis, quibus solis conferri potest, communiter producit. — Ceterum, ut id statim adiungamus, ne adultus quidem, qui vel per speciale privilegium nunquam peccavit, vel, quod in sanctis accidere solet, omnia peccata eorumque sequelas iam sanavit, a fructu sacramenti propter formam latinam arcetur. Quis affirmabit, s. Aloysium e. gr. illicite et invalide s. oleo esse munitum, quia, cum moriebatur, debilitas naturæ lapsæ in eo non solum non erat aucta, sed per immensam vim supernaturalem acquisitam vix non plene deleta? Forma etiam in tali casu retinet necessariam veritatem, quia exprimit vim et virtutem, quam Unctio ex se habet, ideoque determinat materiam ad sacramentum.

5. Sacramentum *Extremæ Unctionis* „*non modo Pœnitentiæ, sed et totius vitæ christianæ,* quæ perpetua pœnitentia esse debet, *consummativum* existimatum est a Patribus“ (Trid. in proœm.). *Unde:* Consummatio Pœnitentiæ in eo non habet locum, qui non est capax Pœnitentiæ. Atqui infantes, de quibus agitur, non sunt capaces Pœnitentiæ, *cum* nunquam peccaverint. Ergo neque Extremæ Unctionis sunt capaces.

Ex dictis ad rationem præcedentem facile intelligitur, etiam hoc argumentum rem non evincere. Nam ut Extrema Unctio recte dicatur consummativa Pœnitentiæ, sufficit, ut habeat effectum principalem, ex quo sequatur abolitio sequelarum peccati, *si* per Pœnitentiam nondum sint sublatæ; at non est necessarium, ut ipse effectus principalis contra aliquam sequelam actualis peccati essentialiter ordinatus sit. Sane effectus principalis Extremæ Unctionis est „roborare infirmum in eo articulo contra dæmonis insidias et ungere athletam ad pugnam; hoc autem subsidio indiget etiam ille homo, qui nunquam peccavit. Atque hac ratione locum habet in huiusmodi homine [qui nunquam peccavit] auxilium huius sacramenti contra reliquias peccati; nam satis ad hoc sunt reliquiæ peccati originalis, quales sunt ipsa etiam corporis ægritudo vel debilitas vel etiam quilibet dolor aut tristitia, quæ possit hominem retardare a fervore devotionis et hilaritate mentis in eo articulo maxime necessariis“ (*Suarez,* disp. 42, sect. 2, n. 8).

Numquid igitur cogimur fateri, impossibile esse assignare internam rationem, cur infantes arceantur a fructibus Extremæ Unctionis? Adductæ quidem rationes omnes parum validæ esse videntur. Quod non impedit, quominus *alia via scopum attingere conemur.* Revocemus nobis in mentem principium s. Thomæ, quod jam sæpius nos iuvit: „Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit.“ Hic unus effectus in Extrema Unctione est confortatio saltem habitualis, ius ad omnia auxilia, quibus constituitur alleviatio. Infans manifesto incapax est confortationis actualis. Si igitur ne habitualis quidem confortationis recipiendæ potentiam passivam habet, exclusus est ab omnibus fructibus sacramenti, etiam a consecutione sanitatis, immo etiam ab augmento gratiæ sanctificantis, quod in sacramentis non propter se solum, sed propter speciales effectus datur. Facile autem ostenditur, infantem non habere potentiam passivam recipiendi habitualem confortationem sive ius ad illa auxilia, quibus continetur alleviatio. Est enim repugnantia in ipso conceptu iuris, cuius usus pro quavis differentia temporis est exclusus. Si princeps pauperi pro spatio unius diei tribueret facultatem assumendi sibi, quidquid placet, ex palatio adeo dissito, ut ante triduum nullo modo eo pervenire queat, iocaretur, sed nullum daret ius. Et si infans constitueretur hæres magnorum bonorum cum conditione, ut ex illis nullum commodum percipiat, donec sui iuris fiat, tum vero statim tota hæreditas in alium transeat, revera nihil acciperet. Hæc est sors infantis, quod attinet ad bona Extremæ Unctionis, per quam datur ius ad auxilia supernaturalia tantum pro tempore gravis infirmitatis. Infans, dum est infirmus, talia auxilia non valet percipere. Si reconvalescat et ad usum rationis pertingat, iam evanuit titulus ad bona sacramenti. Ergo si s. oleo inungeretur, nihil ei tribueretur, invalidum esset sacramentum.

Inde iam patet, cur infanti ægroto valide et per se licite ministretur *Confirmatio,* sed non ipsum *infirmorum* sacramentum. Per Confirmationem enim datur ius charactere obsignatum ad auxilia contra pericula fidei. Interim quidem infans talia auxilia nec indiget nec recipere valet. Sed non repugnat, ut reconvalescat atque ad ætatem maturam per-

tingat ideoque capax fiat auxiliorum, ad quæ Confirmatio ordinatur. Ergo infans infirmus capax est effectus principalis Confirmationis, proinde etiam augmenti gratiæ sanctificantis secum ferentis speciale ius ad robur contra discrimina fidei. Per accidens est, si forte morte præmatura ab usu iuris sacramentalis impediatur. Transfert tamen in beatam vitam immensa bona, cum quibus et in quibus supernaturale ius ad auxilia contra pericula fidei accepit. E contrario *vere per accidens* fit, si quando infans infirmus gravem morbum protrahit, donec obtineat usum rationis et capax fiat confortationis. Sacramenta autem non sunt instituta pro casibus, qui mere per accidens eveniunt. Quare ex eadem ratione, qua infans est subiectum aptum Confirmationis, etiamsi moriatur, antequam actu indigeat robur ad fortiter profitendam fidem, incapax est Extremæ Unctionis, etiamsi morbus eius perduret, donec indigeat confortationem contra mala per languorem causata. Sufficit ei, si accipiat sacramentale subsidium tum, cum per se eius fructus percipere potest.

Ex dictis de necessitate usus rationis saltem aliquando habiti et ex rationum pro asserta necessitate adductarum examine sequentia recte statuuntur.

1. Præter infantes etiam *perpetuo amentes* sunt inepti, quibus sacerdos sacramentale subsidium largiatur. His enim pariter deest evolutio vitæ intellectualis, sine qua per se et absolute fieri nequit, ut ex morbo corporali sequatur illa prostratio animi, contra quam sacramenti effectus principalis ordinatur.

2. *Adultis, qui per vim morbi mentis non sunt amplius compotes,* valide beneficium s. olei datur. Nam cum habeant vitam intellectualem evolutam et sint occupati languore ex se apto, qui in homine usum rationis iam consecuto causet illam animi debilitatem, contra cuius pericula Dominus cœlestem medicinam providit, omnia adsunt, ut valeant percipere ius ad supernaturalia auxilia et cum eo iure omnia bona, quæ cum ipso immediate connectuntur: remissionem peccatorum tum venialium tum mortalium, quorum necessaria detestatio præcessit, et condonationem pœnæ temporalis pro habituali dispositione. Quod hic et nunc robur acceptum non possunt

actu exerere, quia debilitatio mentis excessit gradum, qui relinquit facultatem exercendi actus humanos, per accidens est. Ceterum nobis ignotum est, quinam ex his infirmis, qui iam ideas compararunt, usque ad finem permansuri sint in plena carentia usus virium spiritualium et cognitionis acquisitæ.

3. *Qui per aliquod vitæ tempus habuerunt usum rationis, postea autem facti sunt amentes,* pariter superveniente morbo periculoso s. Unctione cum fructu iuvari possunt. Valet enim etiam pro talibus argumentum modo propositum. Tum his tum illis, qui tantum per morbum præsentem mentis non sunt compotes, ceteris necessariis conditionibus expletis, etiam licite sacramentum ministrari, patet, ut hoc unum nunc commemoremus, ex rituali romano (L. c. n. 6): „Infirmis autem, qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.“ Commendat quam maxime misericordiam Christi Domini, quod extremum remedium salutis ita instituit, ut possit applicari etiam iis, qui propriis actibus nullo modo se iuvare valent, ob quam causam nec sacramentalis absolutionis sunt capaces. Si talis homo letali culpa irretitus et usque ad exitum lucidum momentum non amplius consecuturus post ultimum peccatum mortale patratum aliquando elicuit actum attritionis: eius sors æterna erit beata, si Extrema Unctione iuvetur; qua negata certe peribit. Quare non recte aliquot theologi antiquiores necnon unum alterumve Concilium particulare[1]) actualem infirmi devotionem non solum ut per se convenientissimam, sed etiam ut conditionem sine qua non postularunt. Praxis Ecclesiæ eorum sententiam eliminavit.[2])

---

[1]) Synodus prov. *Cameracensis* (a. 1586) tit. 12 statuit: „Hoc sacramentum nec pueris, qui rationis usum nondum habent, nec amentibus aut furiosis, qui lucidum circa mortem non habent intervallum, . . . ulla ratione est conferendum“ (Harduin IX, 2164s.).

[2]) *Rituale romanum* (L. c. n. 7) præscribit: „Sed si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino“. Irreverentia, quam infirmus mente impos, cum baptizatur vel inungitur, committit, est materialis tantum; quare fructum sacramenti non impedit.

4. *Pueri, qui aliquatenus pervenerunt ad usum rationis,* ita ut angoribus et horrori mortis per se iam sint expositi et pateant insidiis dæmonis conantis eos inducere, si peius quid nondum perficere possit, in aliqua peccata levia, valide et licite s. oleo liniuntur. Capaces enim sunt confortationis, effectus principalis, ideoque etiam augmenti gratiæ et iuris ad maiorem gloriam æternam. Et si iam defectus morales admiserint atque iuvante gratia ad dolorem de suis culpis disponantur, facillime totum fructum sacramenti cum immediato introitu gloriæ, nisi restitutio sanitatis magis expediat, percipiunt. Sæpe oritur dubium de parvulorum morti appropinquantium dispositione necessaria, ut valide eis detur absolutio, ad quam proprios actus, qui spectant ad essentiam sacramenti Pœnitentiæ, ordinare debent. Facili autem negotio præparantur, ut cum devotione convenienti sacerdotalem Unctionem suscipiant.

Clarum est, non posse in universum determinari annum ætatis, a quo pueris Extremam Unctionem largiri liceat. Evolutio enim vitæ intellectualis multum dependet a regione variisque aliis circumstantiis.[1])

Sacerdos autem reum se faceret irreverentiæ formalis, si non pro viribus præcaveret materialem infirmi irreverentiam, „quæ communiter caveri potest, etsi forte ægrotus propter furorem ligari debeat“ (Lehmkuhl, Theol. mor. t. II, p. 576), vel, quod interdum forte præferendum est: etsi sacramentum unica Unctione cum forma universali dari debeat.

[1]) *Martène* (l. I, c. 7, a. 1, n. 3) refert antiquum carmen:

Non nisi mense semel aliquis communicet æger.
Hic idem solo non bis ungatur in anno.
Octo decemque tantum annos ungendus habebit.
Ordine claustrales alio potiuntur in aegris.

His commendatur inter alia perversa abusus, contra quem synodi medii ævi pugnabant, non dandi Extremam Unctionem iuvenibus. Cum eædem synodi præscribunt, ut saltem a 14 annis sacramentum conferatur, solum non urgent, quod spectatis conditionibus temporis obtineri non poterat. *Launoi* (Opp. t. I, p. 562 s.) multa particularia Concilia gallica sæculi XVI. profert, quæ mandant, ne ante expletum 14. annum pueri sacramento roborentur. Videntur id, quod fiebat, confudisse cum eo, quod fieri debebat (Cf. Benedictum XIV. de synodo l. VIII, c. 6, n. 2). „E contra vero, scribit *Martène* l. c., statuta synodalia eccles. Caturcensis, Ruthenensis et Tutelensis a nobis edita t. 4 Anecdot. hanc ætatem longe antevertunt. Sic enim habent cap. 17: ‚Præcipimus ita-

In casu dubii, num infans iam habeat sufficientem usum rationis, sacramentum dandum est sub conditione, „quia per conditionem iam salvatur reverentia sacramenti, et aliunde iusta assistit causa illud ministrandi sub conditione, ne priventur pueri fructu tam salutari huius sacramenti“ (*S. Alphonsus,* Tract. de Extrema Unctione c. I, n. 718, dub. 2).

Ut ea, quæ hucusque de necessaria animi dispositione statuimus, maiore firmitate consistant, iuvat ea communire per decreta synodalia recentis ævi. Ex permultis Conciliis particularibus, quæ quæstiones huc spectantes attingunt et sensu proposito solvunt, pauca seligamus.

Concilium prov. *Casseliensis* (a. 1853) parochos instruit:[1]) „Haud denegandum hoc sacramentum pueris ad sacram Communionem nondum admissis, qui in periculo mortis positi intelliguntur doli capaces.“

Concilium prov. *Quebecensis* (a. 1854), postquam verbis ritualis romani docuit, eos, qui per morbum mente exciderunt, a fructu sacramenti non excludi, pergit:[2]) „Conferatur pariter pueris, qui, etsi ad sacram Communionem nondum admissi, ad eam tamen pervenerunt ætatem, in qua peccati probabiliter præsumuntur capaces.“

Concilium prov. *Remensis* (a. 1849) docet:[3]) „Omnes fideles, qui usu rationis pollent, vel qui olim mentis compotes fuerunt, modo periculose decumbant, Extremæ Unctionis sunt capaces . . Nec omittat parochus eos ungere pueros, qui ad s. Communionem nondum admissi ad eam tamen pervenerunt ætatem, in qua peccati probabiliter præsumuntur capaces.“ Eadem fere ad verbum repetit Concilium prov. *Burdigalensis*[4]) (a. 1850).

Concilium prov. *Aussitanæ* (a. 1851):[5]) „Omnes, inquit, animarum rectores . . invigilabunt, ut morbo decumbentes illud

que, ut doceant populum sacerdotes, ut omnes maxime postquam ad annos discretionis pervenerint, pœnitentes et confessi et recepta Pœnitentia et Eucharistia, vel etiam ex quo aliquam discretionem habere incœperint, puta post *quatuor aut quinque annos,* et totiens quotiens infirmitas supervenerit, hoc sacramentum recipiant Extremæ Unctionis‘.“

[1]) Coll. Lac. t. III, p. 838. [2]) Ibid. p. 645. [3]) Ibid. IV, p. 122. [4]) Ibid. p. 574. [5]) Ibid. p. 1189.

recipiant cum debitis dispositionibus, dum adhuc mentis sunt compotes, quin tamen sensu destitutis denegetur. Pueri doli capaces tam salutari remedio, in supremo vitæ discrimine, non priventur; sed concessa absolutione et proposita huius sacramenti virtute, illis conferatur hæc divina Unctio."

Concilium *Strigoniense* (a. 1858) decernit:[1] „Pueris doli et culpæ capacibus etiam ante primam Communionem, nec non adultis, qui aliquando usum rationis habuerunt et postea in phrenesim aut amentiam inciderunt, conferri debet hoc sacramentum; minime vero amentibus, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt. Moribundi autem sensibus destituti, licet Communionem non possint recipere, si ante petierint aut saltem christiane vixerint, hoc salutis præsidio muniantur; de quolibet enim fideli, nisi contrarium constet, præsumendum est fuisse hoc sacramentum petiturum. Quod de hæreticis et notoriis impœnitentibusque peccatoribus præsumi nequaquam potest."

Concilium prov. *Pragensis* (a. 1860) in eundem sensum concedit:[2] „Pueris infirmis, quum ad eam ætatem pervenerint, in qua peccare potuerunt, quamvis nondum communicaverint, administrandum est hoc sacramentum; nec non adultis, qui amentes facti sunt vel delirant, si aliquando usum rationis habuerunt, minime vero amentibus, qui eius usum nunquam adepti sunt. Moribundi, qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierunt seu verosimiliter petiissent, muniendi sunt hoc salutis præsidio, quoniam de quolibet fideli Ecclesiæ communione non destituto, nisi impœnitens sit aut in manifesto peccato mortali decedat, præsumendum est, fuisse hoc sacramentum petiturum." Citata decreta synodalia ex diversis regionibus petita sufficiunt ad doctrinam propositam confirmandam.

II. Necessaria est intentio recipiendi sacramentum saltem habitualis implicita. Assumimus ex tractatu de sacramentis in genere, ob rationem sacramenti qua talis in subiecto nec actualem nec virtualem intentionem necessariam esse, sed sufficere *habitualem,* i. e. aliquando habitam et non

[1]) Coll. Lac. t. V, p. 24. [2]) Ibid. p. 514.

retractatam, eamque saltem *implicitam,* i. e. contentam in alio actu, cum quo nequeat componi voluntas sacramentum non recipiendi. Tantum autem abest, ut ex specifica ratione Extremæ Unctionis necessitas perfectioris intentionis deduci possit, ut facile ostendatur, seposito Baptismo nullum sacramentum esse, pro quo obtinendo minor intentio requiratur quam pro hoc. Est enim ultimum remedium, quod misericors Deus ad salutem suorum fidelium providit. Ergo eo modo sit institutum oportet, ut præter id, quod communis ratio sacramenti exigit, nihil requiratur. Ceterum indicatam intentionem sufficere, habet communis doctrina theologorum et manifestat universalis praxis Ecclesiæ largiendi spirituale præsidium fidelibus ægrotis, qui usu rationis non amplius pollent, etsi nunquam explicite declaraverint, se velle appropinquante morte officium s. olei percipere. „Qui enim Christianus est et vult in Ecclesia catholica vivere et mori, vult etiam eius sacramentis debito tempore iuvari; quam voluntatem Ecclesia præsumit de omnibus, qui signa pœnitentiæ suo tempore exhibuerunt" (*De Lugo,* de sacr. in genere, disp. 9, s. 7, n. 22). Porro nulla est difficultas, quod attinet infirmos sui compotes, cum ipsi possint manifestare suum consensum vel dissensum. Anxii autem non raro hærent sacerdotes, cum agitur de infirmis mente alienatis. Ex his igitur *sacramentum non potest administrari:*

1. *Hæreticis, qui secundum placita suæ sectæ s. Unctioni denegant dignitatem sacramentalem;* quales sunt Protestantes. Sunt enim in habituali intentione non admittendi istum ritum superstitiosum Catholicorum. Quare etsi sacerdos habeat firmam persuasionem, aliquem protestantem moriturum esse bona fide et in habituali dispositione explendi omne mandatum divinum cognitum, et utendi in hora mortis omnibus mediis salutis divinitus provisis, tamen non potest ei succurrere per Extremam Unctionem. Nam cum optima illa voluntate generali consistit habitualis voluntas respuendi hunc ritum determinatum. Qui inclinant in sententiam, illam bonam voluntatem generalem habitualiter permanentem sufficienter includere intentionem recipiendi in hora mortis omnia media salutis divinitus constituta, necessaria consequentia adstringuntur dicere, tali hæretico materiali etiam tum, cum est sui

compos, *valide* s. Unctionem applicari, etsi omnibus viribus reclamet et reluctetur. Nam si habitualis voluntas bona in eo, qui rationis usu caret, prævalet super habitualem voluntatem respuendi sacramentum, a pari actualis voluntas bona in eo, qui rationis usu potitur, prævalet super actualem voluntatem non admittendi ritus catholicos. Quis autem hoc ultimum admittet? *Si autem*, ut hoc statim adnectamus, *hæreticus bonæ fidei adhæret sectæ, quæ dignitatem sacramentalem Unctionis infirmorum profitetur,* valide et aliis conditionibus suppositis etiam cum fructu s. oleo munitur. Difficilius respondetur quæstioni, num sacerdoti catholico liceat, tali hæretico materiali spiritualem medicinam præbere. Cum, quantum scio, decisiones s. Sedis desint, salvo meliore iudicio censeo, id licere, si periculum scandali removeatur, cum moribundo sensibus destituto per absolutionem vix amplius possit succurri. Constat enim, hæretico materiali in articulo mortis remoto scandalo licite dari absolutionem. Conf. e. gr. Acta s. Sedis t. 31, p. 253 s. Cur ergo, si sacramentalis Pœnitentiæ non amplius est capax, sub eadem restrictione non iuvetur Extrema Unctione, a cuius receptione probabiliter dependet æterna eius salus?[1]

2. *Tum iis infirmis, qui inter Catholicos numerantur quidem,* quia Ecclesiam externe non deseruerunt, *at fidem abiecerunt et hostilem contra religionem animum gesserunt, tum iis, qui omnibus* exercitiis religionis abiectis *curam salutis penitus neglexerunt:* his omnibus, si, donec mentis compotes erant, nullum signum veræ pœnitentiæ exhibuerunt. In talibus enim hominibus non minus quam in hæreticis deest

[1] Orientales dissidentes ritus græci in nullo casu concedunt τὸ εὐχέλαιον iis, qui non sunt actu membra ecclesiæ „orthodoxæ". Sic auctores russiaci testantur. *Bieljaev* e. gr. scribit: „Unctio olei, utpote sacramentum ecclesiæ orthodoxæ, tantum Christianis iisque orthodoxis conferri potest. Quamquam Nestoriani, Monophysitæ, *Latini* agnoscant sacramentum Unctionis olei et inter se administrent, nihilominus si unus ex illis non habens facultatem advocandi proprium sacerdotem, in extrema necessitate sacramentum a sacerdote orthodoxo suscipere desideret, hic eius desiderio eiusque de hac re precibus non potest annuere. Non potest conferri christiano non orthodoxo etiam in casu, quo manifestet desiderium se uniendi ecclesiæ orthodoxæ, sed tantum post peractam unionem." Op. cit. p. 403.

intentio absolute requisita ad valorem sacramenti. Quare sacerdotibus præsertim nostro tempore, quo secus ac prioribus sæculis, innumeri huiusmodi „Catholici", maxime in urbibus vivunt, prudenti circumspectione est opus. Quæ certe non servatur, si omnibus istis hominibus, cum sensibus destituti non amplius valent reluctari, Unctio adhibetur secundum adagia: sacramenta sunt pro hominibus, in extrema necessitate omnia sunt tentanda, si moriturus ante exitum eliciat actum attritionis, ope sacramenti reviviscentis salvabitur. Verum Ecclesia eiusque ministri severa tenentur obligatione sancta sancte tractandi, tenentur custodire verbum Domini: „*Nolite dare sanctum canibus*" („Caveat autem parochus, monet Concilium prov. *Urbinatensis* a. 1859,[1] ne sacramentum eiusmodi canibus tradat, id est impœnitentibus"), tenentur cavere, ne sacrosanctos ritus irrisioni et ipsum munus sacerdotale contemptui exponant. Ecclesia quidem, quod suum est, præstitit per regulas ritualis romani inculcatas per multa Concilia provincialia: „Infirmis autem, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud *expetierint* seu *verisimiliter petiissent seu dederint signa contritionis,* etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint vel delirent aut non sentiant, nihilominus præbeatur . . Impœnitentibus vero et qui in manifesto peccato mortali moriuntur et excommunicatis et nondum baptizatis *penitus denegetur*" (n. 8). Conferantur supra Concilia prov. Strigoniensis et Pragensis. His addamus Conc. prov. *Neogranatensis* a. 1868:[2] „Hoc sacramentum denegandum est . . publicis peccatoribus, quos nulla præteritorum criminum pœnitentia tangi constiterit atque ceteris, qui in rituali romano indigni reputantur. Sacro oleo erunt ungendi, qui subito morbo correpti sensuum usu destituuntur, cum ex eorum actæ vitæ ratione *prudenter* existimetur, hoc sacramentum eos esse postulaturos, si sui compotes essent ac præsertim si salutaris pœnitentiæ signa præbuerint et huius sacramenti desiderium expresserint."

Sane excesserunt illi theologi, qui docebant, Extremam Unctionem ob reverentiam sacramenti denegandam esse omnibus, qui actu non fruuntur usu rationis. Sed peius excedunt,

[1] Coll. Lac. t. VI, p. 21. [2] Ibid. p. 516.

qui nulla habita ratione sanctitatis sacramenti attentant illud conferre omnibus, qui mentis non sunt compotes. „Constat, inquit *Suarez*, fore peccatum grave, dare sacramentum homini habenti obicem [eo quod amisit rationis usum in malo statu et indispositus], et nullo modo, i. e. nec expresse nec implicite seu interpretative petenti sacramentum et salutis suæ remedium, saltem per signa attritionis aut bonæ vitæ." (Disp. 42, sec. 1, n. 8).

Quod spectat adagia commemorata, sacramenta certe sunt pro hominibus, sed danda tantum iis, quos non esse indignos prudenter existimatur. In extrema necessitate omnia sunt tentanda, quæ sanctitas mysteriorum et præcepta Ecclesiæ permittunt. Si moriturus, qualem descripsimus, ante exitum eliciat actum attritionis tantum, manifesto non salvabitur, etiamsi sit inunctus. Sacramentum enim invalidum ob defectum intentionis in subiecto per nullum eius actum subsequentem evadit validum. Igitur conetur sacerdos tales infirmos iuvare unico medio, quod superest: implorando pro illis infinitam misericordiam Dei, qui eos, si vult, etiam sine ritu sacramentali ab interitu vindicare valet.

Unica ratio, quæ cum aliqua specie opponi potest, est: Si talis moriturus forte tamen, antequam mente penitus excideret, habuit mere internum actum attritionis cum implicito desiderio auxiliorum Ecclesiæ, inunctus salvabitur, derelictus peribit. Respondetur: Peribit propria culpa, sacerdos autem suæ obligationi satisfecit, quia mera possibilitas sufficientis dispositionis non fundat prudens iudicium, de facto adesse, quæ ex parte subiecti requiruntur. Si illa mera possibilitas existentiæ necessariæ dispositionis sufficeret, omnes Judæi morituri et sui non amplius conscii recte baptizarentur; forte enim, antequam mente penitus exciderunt, internum actum attritionis et desiderii Baptismi habuerunt.

III. Infirmi, qui habent debitam intentionem, semper valide et, modo sacerdos probabile sibi formare possit iudicium, eos non esse positive indignos, etiam licite sacramentali præsidio muniuntur.

Duplici modo ritus sacramentalis graviter profanatur: primo, si adhibetur subiecto, in quo deficit una ex conditionibus ad validam sacramenti receptionem necessariis; secundo, si confertur subiecto apto quidem, quod valide illum recipiat, sed ita positive indigno, ut sacramentum per se sine sacrilegio accipere nequeat. Cum agitur de ægroto sui conscio, sacerdos eius dispositionem explorare et prudens iudicium sibi comparare potest. Si eum inveniat indignum, quia gravi obligationi satisfacere obstinate recusat, sacramenta omnia ei sunt neganda. Quæstio iterum est de infirmis mente alienatis. *De his statui potest regula generalis:* Quoties prudenter præsumitur, infirmum habere debitam intentionem, licite s. oleo inungitur, nisi morali certitudine constet, eum esse positive indignum. Unde Extrema Unctio

1. *non debet ministrari iis, qui donec sui conscii erant, obstinate restiterunt, quominus præstarent omnia sub peccato mortali præstanda.* Moraliter enim certum est, eos habitualiter permanere in sua obstinatione ideoque positive esse indignos. „Impœnitentibus penitus denegetur."

2. *Debet ministrari iis fidelibus,* qui ante adventum sacerdotis usu rationis sunt privati: *a.* si *vitam christianam duxerunt;* prudenter enim præsumuntur esse in statu gratiæ. *b.* *si vita* quidem non in omnibus concordabat cum fide, *talis tamen erat, ut prudenter iudicetur, eos habuisse intentionem christiane moriendi.* Nam in hoc casu recte probabile esse iudicatur, eos, priusquam usu rationis sint privati, elicuisse saltem attritionem; et est moraliter certum, eos, si ante exitum lucidum momentum sortiantur, præstituros, quæ necessaria sunt, ut sacramentum valide datum suam efficaciam exerat. Quare in his circumstantiis bene sacerdos procedit secundum adagia supra commemorata: sacramenta sunt propter homines; ideo si vere, i. e. valide confici possunt, si subiectum non debet iudicari positive indignum per actualem vel habitualem affectum ad peccatum mortale, si probabile est, subiectum esse vel fore capax etiam fructuum mysterii, et est gravissima ratio ei hic et nunc succurrendi, sacramentum non profanatur et caritas, in pastore animarum etiam iustitia postulat, ut in extrema necessitate omnia tententur, quæ non aperte prohibentur. Insuper specifica ratio Extremæ Unctionis talis est, ut oporteat nos iudicare, Christum Dominum velle, ut ministretur omnibus infirmis, qui habent intellectum liga-

tum, dummodo possit prudenter præsumi, eos habere intentionem necessariam et probabiliter esse vel saltem ante ultimum momentum fore capaces fructuum sacramentalium. Est enim s. Unctio instituta, ut in tuto ponat salutem graviter ægrotantium. Ipsa imbecillitas naturæ humanæ secum fert, ut hinc morituri sæpe usu rationis sint privati, inde sacerdotes non valeant sibi formare de eorum statu habituali nisi iudicium plus minus probabile. Unde concludendum est, Dominum velle, ut sacerdotes sequantur tale iudicium.

Si igitur nullum est dubium rationale de intentione requisita, et probabile est, moribundum non esse positive indignum, s. Unctio danda est *absolute*. In hoc enim casu intentio ministri conditionata ritum sacrum sine ratione periculo nullitatis et salutem æternam infirmi gravi periculo exponeret.

Si de ipsa intentione solum cum probabilitate, non cum certitudine morali constat, sacramentum conferendum est sub conditione: si adsit intentio. Quod ex generalibus regulis de intentione ministri sacramentorum assumimus. Ceterum in praxi iudicium sacerdotis a multis pendet circumstantiis, ita ut ne in duello quidem letaliter vulnerati et suicidæ vitam sine sensu trahentes omnes possint dici inepti, ut sacramentalem Unctionem valide et cum fructu percipiant. Magna misericordia erga animas Christi sanguine redemptas, magna reverentia erga sacrosanctum mysterium et illustratio Spiritus Sancti ardenter expetita docebunt in quovis casu, quid facere in Domino conveniat.

Nota. Plurimæ inquisitiones medicorum solidam probabilitatem conciliarunt opinioni, plerumque animam non eo instanti separari a corpore, cum homo apparenter moritur; pro diversis circumstantiis veram mortem ad dimidiam vel integram horam et multo amplius ultra instans, quo omnia signa vitæ evanuerunt, differri. Quanti momenti hæc sint pro praxi, ex eo apparet, quod ceteris suppositis s. Unctio possit et debeat sub conditione impendi omnibus, qui probabiliter nondum obierunt. Utilissime de hac re consuluntur *Ferreres-Geniesse*, La mort réelle et la mort apparente.

LIBER QUINTUS.

DE PROPRIETATIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

CAPUT I.

DE UNITATE SACRAMENTI.

A tempore principum Scholæ agitatur controversia, utrum s. Unctioni conveniat unitas indivisibilitatis an solum unitas integritatis; aliis verbis: disputatur, conveniatne ratio sacramenti unice ritui completo, an sint singulæ unctiones cum suis formis sacramenta partialia, ex quibus resultet unum integrum sacramentum. Succedit quæstio in nostro tractatu omnium difficillima, num Extrema Unctio habeat eam unitatem, qua iterationem in eodem subiecto durante efficacia primæ collationis excludat.

ARTICULUS I.

DE UNITATE EXTREMÆ UNCTIONIS SECUNDUM SE.

Theologi, qui rationem sacramenti unice ritui completo tribuunt, consequenter docent, gratiam sanctificantem non dari nisi semel idque momento, quo completum sit officium essentiale. E contrario, qui affirmant, singulas unctiones cum suis formis esse sacramenta partialia, pariter consequenter docent, perfectis singulis ritibus partialibus induci singulos gradus gratiæ cum iure ad partem auxiliorum specialium; completo integro officio essentiali per se adesse totum fructum divini mysterii. Unde clarum est, quæstionem de unitate s. Unctionis intime cohærere cum altera, quo tempore ritus olei consecrati suos effectus producat. Quare hæ duæ quæstiones merito per modum unius discutiuntur.

1. *Proponamus imprimis sententias theologorum:*

a. Albertus M. quæstionem: „An Extrema Unctio sit unum vel plura sacramenta“, sic solvit: „Plures unctiones non constituunt nisi unum sacramentum: quia sunt omnes unctiones ad unum tantum effectum.“ Ad obiectionem, quamlibet inunctionem esse signum efficax rei sacræ ideoque sacramentum, respondet: „Plures sunt ibi unctiones, quæ omnes uniuntur in uno effectu, quem complent: et ideo omnes sunt unum sacramentum. Et quod dicitur, quod quælibet est sacramentum, dicendum, quod omnes sunt unum sacramentum: quia quælibet est signum et causa purgationis reliquiarum *non secundum partem, sed secundum totum omnes simul.*“ (In textum Magistri a. 17). Quibus consentiens s. *Thomas* docet (Suppl. qu. 30, a. 1, ad 3): „Quando sunt multæ actiones ordinatæ ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium præcedentium et agit in virtute earum: *et ideo in ultima unctione gratia infunditur,* quæ effectum sacramento præbet.“ S. Thomam cum plerisque Thomistis sequitur *Suarez* (Disput. 41, s. 2, n. 12): „Vera sententia est, effectum huius sacramenti dari in eo instanti, in quo consummatur essentialiter hoc sacramentum, consummari autem, cum primum quinque unctiones cum quinque formulis perficiuntur.“ Ratio præcipua Doctoris eximii est (Ibidem n. 7): „Communis lex sacramentorum, quæ consistunt in usu, est, ut unicam gratiam conferant in eo puncto et momento, quo sacramentum completur; ergo hoc idem sentiendum est de Extrema Unctione, cum nulla ratio satis aliud persuadeat, nec auctoritate fundari possit. Nam est valde singulare et extraordinarium, quod Extrema Unctio priusquam essentialiter consummata sit, gratiam tribuat, et quod conferat quinquies gratiam sanctificantem, et prius tollat unum peccatum quam aliud, vel conferat auxilium ad vincendas reliquias peccatorum quorundam, et non omnium; non sunt ergo hæc tam facile credenda et asserenda.“

b. Quæ *Scotus* textu p. 95 citato docet de quæstione nostra, breviter colligit: „Extrema Unctio est unum sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut effectus eius non est unus indivisibiliter, quia non remissio unius venialis, sed unus unitate plenariæ remissionis

omnium venialium, ut omnibus remissis nihil remaneat retardans a perceptione beatitudinis.“ Quare plerique Scotistæ defendunt sententiam, quam *Mastrius* ita exponit et probat (Theol. mor. disp. 22, qu. 4, a. 2): „Probabilior modus dicendi est, qui asserit per singulas unctiones dari singulos gradus sive portiones gratiæ, ac proinde sicut quinque sunt unctiones partiales, quæ integrum constituunt sacramentum, ita quinque vicibus conferri quinque gradus gratiæ, qui adæquatum huius sacramenti effectum constituant. Ita colligunt *Almainus, Hiqueus, Pontius* et alii meliores Scotistæ ex Scoto IV. dist. 23, qu. unic. ad 2, ubi asserit, hoc sacramentum esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis, et favet etiam D. Thomas qu. 29 in additione ad III. part. a. 2, ad 1, ubi hoc sacramentum comparat sacramento Eucharistiæ, cuius singulæ species gratiam conferunt. Fundamentum præcipuum est, quia quælibet unctio cum sua forma constat ex partiali materia et partiali forma cum significatione propria effectui proprio respondente, et ad singulas unctiones completur sensu substantiali formæ; ergo quævis unctio cum sua propria forma est proprium sacramentum gratiam conferens; nam sacramentum ex divina institutione efficit, quod significat, ad cuius proinde veritatem requiritur, ut eius effectus detur in ultimo instanti completi sui esse, quando non supponitur obex; ergo si quævis unctio cum sua propria forma habet proprium significatum partiale ab aliis distinctum, habebit etiam suum effectum proprium partialem ab aliis condistinctum; neque enim illa forma aut unctio præmissa dicit ordinem ad alias unctiones aut ad eandem formam repetitam in significando. Confirmatur ex ritu ministrandi hoc sacramentum: quia in nullo alio reperitur eadem forma cum iteratione materiæ absolute, nisi in hoc sacramento; ergo ex iteratione materiæ et formæ huius sacramenti sequitur diversitas effectus et efficaciæ.“ Solent Scotistæ suam sententiam confirmare ex analogia Ordinis. „Idcirco enim singuli Ordines conferunt gratiam specialem et habent proprios effectus, quia sunt partiales respectu totius: et singuli Ordines unum dumtaxat totale sacramentum Ordinis constituunt, quia singuli habent partialem materiam et formam distinctam: at idem est de singulis unctionibus, quæ diversæ sunt ratione diversarum partium, quibus appli-

cantur, et habent etiam diversas formulas sibi correspondentes: igitur est ubique paritas“ *(Frassen*, Scotus academicus, tract I, disput. 3, qu. 2, n. 19).

Uni vel alteri harum sententiarum longe maxima pars theologorum adhæret. Supponunt vero communiter, quinque unctiones cum formis respectivis esse essentiales. Qua suppositione admissa videtur quæstio non posse dirimi. Nam si Christus Dominus essentiam sacramenti constituit in quinque ritibus partialibus, ex quibus integretur totum, penes ipsum fuit, cum partialibus ritibus coniungere partiales effectus, vel totum effectum facere dependentem ab integro ritu. Quare quæstio esset solvenda testimoniis Traditionis christianæ vel ipsius s. Scripturæ. Verum ex neutro fonte revelationis quidquam, quod sit ad rem, profertur. Conantur igitur rationibus theologicis ostendere, quem modum Dominus prætulerit. Hac via in nostra quæstione non posse perveniri ad certitudinem, videtur per se clarum esse et concedunt plerique auctores, cum sententiæ, quam propugnant, tribuunt maiorem probabilitatem concessa probabilitate opinionis oppositæ.

c. *Dominicus Sotus* pariter quidem sustinet, essentiam s. Unctionis positam esse in quinque unctionibus cum suis formulis; inducit tamen novum aliquod momentum: *intentionem ministri* (In textum Magistri, qu. II, a. 3, versus fin.): „Differt inter partem essentialem sacramenti et partem integralem. Essentialis enim est, sine qua nullum esset sacramentum; integralis vero, quæ ex institutione Ecclesiæ concurrit ad effectum sacramenti. Digitus enim et manus in homine pars quidem integralis est concurrens ad opera vitalia, sed tamen non est de eius essentia, quia abscissa manu homo viveret. Quare si non esset sic institutum [ab Ecclesia], sine illis duabus unctionibus [pedum et renum] esset iure divino sacramentum. Unde quando Ecclesia iubebat, ut tribus mersionibus fieret Baptismus, intentio ministri debebat ad omnes referri; quare gratia tunc non conferebatur nisi in ultima mersione; sed tamen ubi illa constitutio cessavit, una sufficit de iure divino. Pari modo per omnia verba consecrationis calicis fit consecratio, quamvis non sint de essentia nisi: Hic est calix sanguinis mei. Horum ergo instar ubi non fieret unctio nisi usque ad manus, illic conferretur gratia; in ecclesiis vero, ubi aliæ adhibentur, intentio ministri debet ad omnes referri, et tunc nisi in ultima non confertur.“

Opinionem Soti theologi vix non uno ore reiciunt, idque merito; minister enim sua intentione efficere nequit, ut toto ritu essentiali completo gratia non conferatur, inducatur autem momento quodam futuro, quod ipse vel arbitrarie vel ex ficto mandato Ecclesiæ determinaverit; quin si talis intentio prævaleret, nihil prorsus efficeretur, quod ex tractatu de sacramentis in genere assumimus. Recte tamen Sotum ad solvendam quæstionem, in qua versamur, respicere ad intentionem ministri, mox videbimus.

d. *Singulares sententias,* ut totum effectum statim per primam unctionem (oculorum) causari, vel eum ordinarie sequi quintam unctionem, si autem infirmus moriatur ante administratum totum sacramentum, gratiam induci per illam unctionem, post quam decedat; vel in casu extremæ necessitatis ministrum per unam unctionem cum generali forma posse valide dare sacramentum eiusque fructus conferre, excepto tali casu tantum per quinque unctiones essentiam sacramenti perfici: tales singulares sententias commemorasse sufficit.

2. *Solutio quæstionis post ea, quæ* c. 2 et 3 libri II. *disputavimus, non videtur facessere difficultatem magnam.* Essentia sacramenti neque unctionem quinque sensuum neque formam quinquies repetitam exigit. Requiritur et sufficit, ut infirmus vere inungatur et effectus, ad quos sacer ritus est divinitus destinatus, oratione sacerdotis deprecativa, vel explicite vel implicite in uno, petantur. Unde

a. *Christus Dominus non instituit quinque sacramenta partialia,* quorum singula causent singulos gradus gratiæ et auxiliorum, quibus omnibus acceptis tandem habeatur integer fructus medicinæ spiritualis. Ex institutione divina sacramentum exeuntium est æque unum ac sacramentum intrantium Ecclesiam. Sicut Baptismum neque eius minister neque Ecclesia ipsa valet distrahere in complura sacramenta partialia, ita idem tenendum est de Extrema Unctione. *Quare sententia scotistica omni fundamento destituitur.*

b. *Sententia, tantum post quinque unctiones et quinquies repetitam formam dari gratiam, pariter nequit sustineri.*

Sacerdos enim multis modis infirmum vere inungere et pro eo orare potest.

Unde de tempore, quo conferatur gratia sanctificans prima vel secunda, hæc sunt dicenda: In ecclesiis orientalibus, in quibus minister, dum ungit diversa organa infirmi, unam formam solummodo semel recitat, sacramentum completur et gratia confertur peracta ultima unctione, cum qua simul finitur deprecatio. Idem dicendum est, quod attinet antiquas ecclesias occidentales, quarum Ordines pariter unam formam semel inter actionem sacramentalem sacerdoti dicendam præscribebant. Difficilius deciditur, quando gratia collata sit servatis illis Ordinibus, qui plures unctiones et ad unamquamque propriam formam statuebant, quarum aliquæ, plerumque iam prima, omnes effectus explicite vel saltem implicite postulabant. Pro recta solutione quæstionis cum Dominico Soto attendendum est ad intentionem ministri. Aliud sane est, *unctionem infirmi* peragere e. gr. in pectore, et aliud est, *pectus infirmi* ungere. Si igitur sacerdotes, qui sequebantur Ordinem relatum p. 149 sub 5 b, intendebant, unctionem infirmi a s. Jacobo mandatam peragere in pectore, quod eos in casu extremæ necessitatis reipsa intendisse credendum est, statim post primam unctionem, cum qua coniungebatur forma universalis, gratia conferebatur, non minus quam in ecclesiis, quæ secundum suum ritum in omni casu unam tantum unctionem cum simili forma universali adhibebant. Completo statim ab initio sacramento reliquæ unctiones et deprecationes habebant solum rationem cæremoniarum Ecclesiæ. Si vero sacerdotes intendebant unctionem infirmi peragere liniendo organa a suo libro rituali designata, ita ut singulas unctiones seorsim sumptas referrent tantum ad singula organa, gratia conferebatur finita tota actione sacerdotali. Credendum est, mentem illarum ecclesiarum fuisse, ut in casibus ordinariis secundo modo sacramentum administraretur.

c. Nunc in tota ecclesia occidentali servatur modus a rituali romano præscriptus, nisi quod in aliis regionibus solum quinque sensus, in aliis insuper pedes, in quibusdam etiam renes virorum unguntur. Ad quæstionem, quando secundum hunc ritum gratia detur, respondendum est primo, non dari ante

quintam unctionem completam. Quamvis enim unctio e. gr. oculorum per se possit considerari ut unctio infirmi simpliciter, forma manifestat, eam referri tantum ad oculos; quippe sacerdos liniens organon visus non petit a Deo nisi remissionem delictorum, quæ infirmus per unum sensum commisit, ergo ne illum quidem effectum, quem explicite commemorat — remissionem peccatorum —, integrum exposcit. Eodem modo dicendum de aliis unctionibus particularibus.

Dein ubi non liniuntur pedes et renes, sacramentum completur et gratia certe confertur peracta quinta unctione. „Dicendum est, inquit *Suarez* (Disput. 41, s. 2, n. 13), per illas quinque formas et unctiones sufficienter significari curationem de omnibus peccatis absolute, quia prima radix omnium peccatorum est cogitatio; omnis autem cogitatio a quinque sensibus originem ducit iuxta illud ‚nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu‘; et ideo sub peccatis per quinque sensus commissis omnia peccata simpliciter comprehenduntur; quia licet non omnia peccata executioni mandentur per aliquem sensum, neque omnia pro obiecto habeant aliquid per se cognoscibile aliquo sensu, nullum tamen est in homine peccatum, quod non ducat originem ab aliqua specie per aliquem sensum accepta.“ Quare sacerdos intendens petere remissionem omnium peccatorum, quæ per sensus quomodocunque sunt commissa, post prolatam quintam formam partialem unum effectum integrum explicite et in eo implicite omnes poposcit ideoque sacramentum complevit; talem autem intentionem habet eo ipso, quod sola unctione sensuum vult s. officium peragere.

Quid vero, ubi secundum morem præter organa sensuum pedes vel etiam renes unguntur? Scribit *Dionysius Carthusianus* (Summa fidei orthod. l. IV, a. 150) post alios scholasticos: „Sicut corporalis medicina non toti corpori applicatur, sed parti, in qua vulnus dominatur, sic Extrema Unctio, quæ est spiritualis medicina, non toti corpori apponitur, sed partibus illis, in quibus est radix peccandi, scilicet in sensibus, qui sunt principia nostræ cognitionis, et in renibus ad designandam vim appetitivam, quæ imperat actum; atque in pedibus, per quos designatur vis exequens motum.“ Si igitur sacerdos ob istam rationem vel simpliciter ob usum suæ ec-

clesiæ velit unctionem infirmi perficere liniendo sex vel septem organa, et si petens remissionem delictorum commissorum per sensus nolit includere peccata „per gressum“ vel insuper „per lumborum delectationem“ admissa, sacramentum completur post sextam vel septimam unctionem et tunc tandem gratia confertur. Per se patet, non posse determinari, qualem intentionem sacerdotes singuli quovis tempore habuerint vel nunc habeant. Sed qui perlustrat antiquos Ordines illos, in quibus iam præscribitur unctio septuplex, vix sibi persuadebit, eorum auctores præ oculis habuisse scholasticas speculationes, ex quibus deducitur, semper per quintam unctionem sacramentum compleri; iudicabit potius, eis ne in mentem quidem venisse, ut distinguerent unctiones vere sacramentales et mere cæremoniales, sed voluisse, ut omnibus unctionibus cum formis simul prolatis sacramentum perficeretur. — Cum sacerdotes administrantes sacramentum communissime idque recte hanc unam intentionem habeant, ut peragant omnia secundum voluntatem Ecclesiæ et morem suæ diœcesis, videtur dicendum, nostro tempore unctionem renum, quæ tantum viris adhuc in quibusdam regionibus adhibetur, esse cæremonialem tantum; num unctio pedum ubivis desierit esse stricte sacramentalis, dubito.

3. *Tandem quæstio, quandonam conferantur singuli effectus speciales, post dicta nullam amplius facit difficultatem.*

a. Manifestum est, cum infusione gratiæ statim remitti peccata mortalia. Simul, si quæ adsint, delentur peccata venialia et condonantur pœnæ temporales pro dispositione, quam inungendus s. mysterio obtulit.

b. Si subiectum non ponat impedimentum per defectum usus rationis, statim etiam conceduntur auxilia supernaturalia, quibus constituitur confortatio actualis; et pro cooperatione, quæ gratiæ auxiliis adiungitur, magis magisque, si opus sit, delentur venialia et minuitur reatus pœnæ temporalis, donec anima fideliter utens beneficiis ope sacramenti obtentis sit disposita ad introitum gloriæ.

c. Quia s. Unctio suam efficaciam retinet, quoad homo aut moritur aut periculum evadit, tenendum est, pro statu et indigentia infirmi gratias confortantes usque ad finem morbi concedi.

d. Cum sanitas corporalis oriatur ex redundantia confortationis spiritualis in corpus et cum plurimum dependeat a natura et gradu morbi, diversis infirmis, quibus expedit, diverso tempore obvenit. Aliquam alleviationem plerumque mox apparere, experientia testatur.

ARTICULUS II.

DE ITERATIONE SACRAMENTI.

Godfridus, abbas Vindociensis (ab a. 1093), postea Cardinalis s. Priscæ, per epistolam consuluit s. *Ivonem,* episcopum Carnotensem, de quæstione, num Unctionis sacramentum iterari possit[1]) (Epp. l. II, ep. 19): „Sicut consuetudines monachorum B. Benedicti regulæ concordantes laudamus, sic eas, quas sanctus Benedictus nec docet nec præcipit, et quæ a ratione penitus discrepare videntur, laudare non possumus. Sunt enim quædam apud monachos institutiones, quas ratio nullatenus admittit nec sanctorum quilibet Patrum invenit, sed insipientium consuetudo hominum instituit. Has in monasteriis quidam monachi sibi pro lege vindicant, et cum Christus dixerit: *Ego sum veritas* (Jo. XIV, 6), nec dixerit: Ego sum consuetudo, pro sua tamen consuetudine legem veritatis immutant. Et, ut cætera taceamus, *in hoc,* ut nobis videtur, *non mediocriter errant, quod Unctionem infirmorum,* cum a sancta catholica et apostolica Sede sacramentum vocetur, et cum nullum sacramentum iterari debeat, *iterandum putant.* Unctionis utique sacramentum B. Innocentius papa adeo magnum dicit, quod pœnitentibus, quibus cætera sacramenta negantur, nulla ratione putatur posse concedi. Quid tamen super hoc magnitudo vestræ discretionis sentiat, et quid tenendum doceat, scire desideramus, quia quamvis ista et ratione et auctoritate esse vera non dubitemus, ea tamen vestræ auctoritatis decreto firmari volumus et rogamus.“

S. Ivo ad quæstionem Godfridi respondens et sententiam eius et rationes, quas pro illa attulerat, probat:[2]) „Unctionem infirmorum non æstimo esse repetendam, quia sicut ipse asseruisti, . . genus est sacramenti, qui autem sacramenta Christi

[1]) M. 157, 87 s. [2]) Ibid. 88.

et Ecclesiæ repetit, iniuriam ipsis sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ est sacramentum, quam non esse repetendam, sicut nec Baptismum, testatur Augustinus, testatur Ambrosius."

Circa idem tempus *Theobaldus,* abbas monasterii s. Columbæ in civitate Senonensi, *Petro Venerabili,* abbati Cluniacensi, quæstionem proposuit, „cur Unctio infirmorum sola, et hoc apud Cluniacum solummodo, reiteretur." Ex responso Ven. Petri comperimus novam rationem, quam adversarii iteratæ collationis sacramenti protulerunt. „Arbitror, inquit abbas Cluniacensis (Epp. l. V, ep. 7),[1] quod, qui unctionem infirmorum iterandam non esse, aut cogitat aut dicit, causam hanc sibi ipsi obicit, cum unctio Baptismatis, cum unctio Confirmationis, cum unctio sacerdotalis, cum unctio pontificalis, cum unctio ecclesiarum, cum unctio ecclesiasticorum vasorum simplex sit, cum nullo deinceps tempore iteretur, qua ratione sola infirmorum unctio non solum apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recidentibus nullo servato numero datur." Postquam exposuit rationes, cur aliæ commemoratæ unctiones non iterantur, pergit: „At de infirmis alia lex, alia de illorum frequenti unctione ratio demonstratur. Iterari enim, prout mihi videtur, necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem. Istud indicant et ipsa verba hoc præcipientis apostoli: *Infirmatur,* ait, *quis in vobis* . . Cum igitur certum sit, causam unctionis hanc esse, ut oratio fidei salvet infirmum, ut allevet eum Dominus, ut, si in peccatis sit, dimittantur ei, cur non iterabitur unctio præcedente unctionis causa? Nam si æger post semel redditam sanitatem nunquam deinceps in morbum incideret; si nunquam post primam unctionem in peccata corrueret, fateor, quod nunquam deinceps unctionem iam dictam iterari fas esset. Quod si rursum infirmatus fuerit, si rursum peccaverit, quæ ratio, ut rursum ei allevietur, ut rursum ei peccata dimittantur, denuo eum inungi prohibebit? Nonne et apostolus hoc se indicat velle, ut quoties quis infirmatus fuerit, toties inungatur? Nam quid

[1]) M. 189, 392 ss.

aliud sonant verba illa illius: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ?* Non enim ait: Infirmatur quis in vobis semel, aut: infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ semel; sed nulla mentione unius, binæ vel ternæ unctionis facta iubet nullo præfixo numero induci ad ægrum presbyteros Ecclesiæ, fidei orationem fieri, ad alleviationem et peccatorum remissionem eum oleo sacro inungi. Non igitur mihi videtur dicendum esse, quod apostolus non dixit, addendum esse, quod ipse non scripsit, sentiendum, quod ipse, ut verba eius indicant, non sensit . ."

Post defensionem praxis Ordinis s. Benedicti, in specie Congregationis Cluniacensis, per Petrum Venerabilem opposita sententia evanuit. *Hugo a s. Victore* (De sacramentis, p. XV, c. 3), *Petrus Lombardus* (l. IV. sent. dist. XXIII) et deinceps *tota Schola* docent, s. Unctionem, cum non imprimat characterem, cum non conferat consecrationem pro certo munere vel statu, sed sit auxilium contra mala, quæ hominem premunt in morbo, in quo illam recipit, posse saltem sub certis conditionibus iterum eidem homini administrari, si post recuperatam sanitatem iterum in gravem morbum incidat. Hæc sententia communi praxi Ecclesiæ confirmata dicenda est de fide certa, cum Concilium Tridentinum declaret: „Quodsi infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint" (c. 3). Rationes, quibus Godfridus et s. Ivo iterationem Unctionis infirmorum oppugnabant, nullam vim habent. Si enim terminum „sacramentum" sumunt sensu, quo omnia media gratiæ ex opere operato efficacia sub se continet, aperte falsum est, nullum sacramentum posse iterari. Si autem per sacramentum intelligunt media gratiæ, quæ characterem imprimunt, falsum est, Extremam Unctionem esse sacramentum; ne uno quidem verbo Innocentius I. innuit, se illam hoc sensu vocare sacramentum. Deinde tantum abest, ut Extrema Unctio, quod opinatur s. Ivo, sit „publicæ pœnitentiæ sacramentum", ut Innocentius doceat: „Pœnitentibus istud [oleum infirmorum] infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?"

Praxis eidem infirmo in diversis morbis conferendi sæpius sacramentum, etiam in Gallia ineunte sæculo XII. non erat restricta ad Ordinem s. Benedicti. Refert *Launoi* (Opp. t. I, p. 549): „Hoc eodem tempore Clarævallenses monachi [Cistercienses] eam tenuere consuetudinem, ut semel in anno dumtaxat conferrent Extremæ Unctionis sacramentum. Hunc autem morem attestantur summi viri duo, *Petrus Cantor* Parisiensis et *Robertus de Corceon* Cardinalis. Hic in summa quæst. de Extrema Unctione: *‚Non ita sæpe iteratur extrema inunctio sicut alia; sed sufficit secundum consuetudinem Clarævallensium, ut semel in anno conferatur.‘* Ille vero in summa c. 133: *‚Consuetudo enim est in Clarævallensium Ordine, quod nunquam inungitur aliquis bis in eodem anno.‘* Apud Clarævallenses res sic se habuit: Qui morbo conflictabantur, singulis annis Unctionem infirmorum accipere poterant, sed iterum atque iterum accipere non poterant. Horum ergo fuit alia institutio, alia Ivonis atque Gofridi doctrina, quæ suis librata ponderibus variam Ecclesiæ traditionem repræsentat“ [?]. — Porro *opinio, sacramentum intra annum vel in nullo casu,* etiam si infirmus plene convaluerit et post menses in alium morbum incidat, *vel saltem non in eodem morbo,* etiam si periculum mortis evanuerit et post menses redeat, *iterari posse, multos nacta est asseclas.* Guilelmus *Durantis* in Rationali divinorum officiorum (L. I, c. 8, n. 25) scribit: „De quibusdam ordinarie legitur, quod inungendus debet esse ad minus 18 annorum, et quod ægrotans *semel dumtaxat debet in anno inungi,* licet pluries in anno ægrotet.“

B. Albertus (In textum Magistri a. 21) ad quæstionem, an in morbis chronicis debeat et possit semper iterari Extrema Unctio, respondet: „Ad hoc sine præiudicio dicendum puto, quod si ultra annum remanet morbus post acceptam Unctionem, iterari potest Unctio. Et causa huius est, quia non iudicatur idem morbus numero, qui est secundum perfectam immutationem superiorum [astrorum] alteratus; corpora enim nostra per illationem superiorum secundum quatuor humores in quatuor anni temporibus mutantur, et franguntur habitus in dispositiones et non sunt eædem: et ideo non ex eadem causa omnino iterabitur sacramentum.“ De qua ratione *s. Bonaventura* fert iudicium (In eundem textum Magistri, a. 2, qu. 4, ad 2): „Absurdum valde videtur, sacramenta regulari secundum motum astrorum.“ Nihilominus sententia Alberti non paucos invenit propugnatores. Sic auctor „compendii theologicæ veritatis“, verosimiliter *Hugo* Argentinensis, discipulus b. Alberti,[1] docet: „Si sæpe infirmatur quis ad mortem, sæpe potest inungi; sed in una infirmitate non debet quis bis inungi, nisi eadem infirmitas *ultra annum* protrahatur, ita quod in uno anno propter eandem infirmitatem nemo bis inungatur.“ *Launoi* (L. c. p. 553) proponit satis longum catalogum diœceseon, quorum Manualia sæculo XVI. impressa præscribunt: *„Potest iterari, sed non pro eadem infirmitate, nisi ultra annum protrahatur.“*

Meretur autem notari, quod secundum hæc Manualia post annum repetitio sacramenti permittitur abstrahendo, utrum post primam eius administrationem infirmus aliquando fuerit extra periculum mortis an non.

1. *Jam dudum theologi conveniunt in his punctis:*

a. Quoties infirmus post s. Unctionem sanitati restitutus denuo in gravem morbum incidit, iterum potest sacramento muniri nullo habito respectu ad tempus, quod inter morbos intercessit. Nam „sacramentum, quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis et mentis, quæ est effectus huiusmodi sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta, ideo hoc sacramentum sine sui iniuria potest iterari“ (*S. Thomas* suppl. qu. 33, a. 1). Eadem veritas confirmatur per Concilium Tridentinum, quod generaliter statuit, infirmum, qui post susceptam Extremam Unctionem convaluerit, ea iterum iuvari posse, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderit.

b. Sacramentum potest iterari, si infirmus post susceptum eius subsidium a morbo quidem non est liberatus, periculum tamen mortis evasit, et post aliquod tempus denuo discrimini vitæ subicitur. Nam Extrema Unctio est remedium

[1]) Inter opera b. Alberti, t. 34 (ed. Vivès) p. 232. De auctore huius compendii cf. Zeitschrift für katholische Theologie, a. 1904 p. 429 ss. et a. 1905, p. 322 ss.

contra mala, quæ graviter ægrotans qua talis patitur. Quare ius ad specialia auxilia supernaturalia durat, quamdiu periculum manet. Unde sicut infirmus, cuius morbus nondum secum fert discrimen vitæ, nondum est capax præsidii sacramentalis, ita infirmus, cuius morbus non amplius coniungitur cum discrimine vitæ, non amplius retinet ius, quod s. officium ei contulit. Ergo si denuo incidat in mortis periculum, iterum sacramentum est ei ministrandum. Hanc doctrinam confirmat rituale romanum, cum statuit (n. 14): „In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convaluerit [i. e. periculum evaserit manente infirmitate], iterum in periculum mortis incidat."

Multi auctores postulant, ut infirmus per longius tempus, e. gr. per mensem melius se habuerit. Verum tale spatium certe non exigitur per naturam sacramenti. Nam et hic valet illud s. Bonaventuræ: „Absurdum valde videtur, sacramenta regulari secundum motum astrorum." Unde longius intervallum inter duplex discrimen vitæ solum ideo cum ratione potest exigi, ut sacerdos tuto sibi valeat formare iudicium, infirmum vere fuisse extra periculum. Ad hoc autem non semper requiri integrum mensem, quo ægrotus melius se habuerit, clarum esse videtur.

2. *Non pauci theologi asserunt, si infirmus in propinquæ mortis periculo inunctus aliquanto relevetur, ita ut per longius tempus versetur in periculo solum remoto, quamvis morbus natura sua sit letalis, et postea denuo incidat in periculum imminens, sacramentum valide et licite iterari.* Hæc videtur fuisse sententia s. *Bonaventuræ* (l. c.): „Potest .. dici, quod nullus in aliqua infirmitate inungendus est, nisi cum præsumitur ad exitum propinquare: et hoc est in infirmitatis aggravatione, quem statum natura diu sustinere non potest, immo aut vincit aut vincitur. Si ergo infirmus melioretur, ut diutius vivat; etsi non perfecte curetur, *curatur tamen aliquo modo ab intensione morbi;* et ideo, quia venialia iterum redire possunt, et iterum infirmitas corporalis aggravatur, potest et debet sacramentum Unctionis iterari." *Laymann* dicit (Theol. mor. l. V, tract. 8, c. 4, n. 5), esse sententiam communem, „Extremam Unctionem non posse iterum conferri durante eodem periculo morbi: secus si aliud novum sit periculum; quia videlicet infirmus, postquam semel inunctus fuerat, melius habere cœpit, ut medicorum iudicio extra probabile seu *propinquum* mortis periculum constitutus esset, mutata corporis constitutione recidit; tunc iterum ungi potest, licet intervallum temporis non longum, sed paucarum tantum hebdomadarum intercesserit, dummodo prudenti practica consideratione censeantur diversa pericula, quibus homo constituatur in distinctis statibus seu dispositionibus ad moriendum." Idem sentit, ut unum ex recentibus auctoribus audiamus, *De Augustinis* (De re sacramentaria, t. II, p. 408): „Communi usu recepta et approbata sententia . . permittit huius sacramenti iterationem, quotiescunque fidelis in novum incidit morbum, immo et in eadem infirmitate, si morbus post unctionem susceptam ita remittat, ut infirmus periculum *proximum* mortis evasisse videatur, et deinde iterum in vitæ discrimen relabatur." Et revera plerique auctores, qui affirmant, sacramentum in eadem infirmitate non posse repeti, nisi ægrotus e periculo mortis evaserit et iterum in illud incurrerit, intelligunt periculum *propinquæ* mortis. Solent enim commemorare phthisi, hydropisi et similibus morbis laborantes, qui sæpius in periculum mortis deveniant et iterum ab eo recedant. Huiusmodi vero infirmi, cum iam eo deducti sunt, ut susceperint Extremam Unctionem, recedunt quidem sæpius a periculo propinquæ mortis, sed morbus vix non semper manet letalis.

Quid de hac sententia censeamus? Sacramentum est institutum pro iis omnibus, qui graviter ægrotant, non solum pro iis, quibus mors de propinquo vel proxime instat. Hinc graviter e. gr. phthisi laborans *valide* cœlesti præsidio prima vice munitur tempore, quo iudicio medicorum vitam adhuc per menses protrahere potest. Deinde, cum divinum subsidium s. olei ad id ordinetur, ut periculose decumbentibus præbeat abundantia auxilia contra mala, quibus affliguntur, et conferat omnia bona, quibus in suo statu indigent, eius efficacia atque ius ad specialia auxilia superna perdurat, donec ægrotus aut mortem obeat aut a periculo ex eo morbo decedendi liberetur. *Ergo tamquam veritas certa tenendum est,* ef-

ficaciam Extremæ Unctionis tamdiu durare, quamdiu durat periculum, ne infirmus præsenti morbo succumbat, etsi id periculum ex imminenti fiat magis remotum et post aliquod spatium temporis iterum proximum et sic porro. Hoc etiam concedunt theologi illi; solent enim affirmare, in casu, quo discrimen ex proximo fiat remotum et deinceps iterum proximum, s. Unctionem posse, sed non debere denuo concedi: *deberet* autem dari, si efficacia primæ collationis desiisset; secus moribundus præsidio sacramentali careret in ultimo agone, quo illud maxime opus habet. *Est igitur quæstio: Potestne Unctio infirmorum durante efficacia primæ collationis sæpius valide ministrari?* Si hoc negatur, doctrina, de qua agimus, reicienda et praxis ei respondens est improbanda. Si affirmando respondetur, generatim dicendum est, sacramentum in eodem morbo spectato solo valore sæpius præberi posse, sive mutatus sit status infirmitatis sive non. Nemo enim assignabit rationem solidam, cur Dominus ipse iterationem validam esse voluerit, si quando periculum remiserit, minime autem, si morbus pari vel continuo crescente vehementia ægrotum affligere pergat. Notum est, in multis tractatibus de Extrema Unctione tamquam veritatem, quæ nulli seriæ dubitationi subsit, statui, nostrum sacramentum manente eodem vitæ discrimine nec licite nec valide repeti. Nihilominus sit

Propositio XIII. *Gravibus rationibus innititur sententia, Extremam Unctionem spectato eius valore in eadem infirmitate etiam manente eodem mortis periculo sæpius conferri posse.*

Probatur propositio primo. *Argumentum præscriptionis merito habetur irrefragabile.* Quare etiam in nostra re ad modum præscriptionis procedamus: *Antiquitus per sæcula in multis partibus ecclesiæ latinæ servabatur praxis* **septies** *ministrandi infirmis sacramentalem Unctionem. In ecclesia græca idem usus iam diu ante schisma exortum vigebat et adhuc viget. Constat, inter sectas sæculo V. ab Ecclesia separatas quondam eandem disciplinam obtinuisse.* Atqui observantia adeo commendata sua antiquitate, diffusione per orbem christianum et duratione nequit esse contraria iuri divino. Ergo oportet concedatur propositio.

1. Probatur prima pars maioris huius syllogismi:

a. Non pauci codices, qui sunt scripti sæculo IX., X., XI., XII. et continent diversarum ecclesiarum Ordines ministrandi s. Unctionem, exhibent legem, ut sacramentum, si status infirmi id postulet, *per septem continuos dies præbeatur.* Sufficiet fini nostro, aliquot exempla proposuisse. „Liber sacramentorum s. Gregorii M.“ editus a Menardo post integrum ritum inunctionis habet rubricam:[1]) „Deinde communicet eum corpore et sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione quam et de alio officio; et suscitabit eum Dominus et si in peccatis fuerit, dimittentur ei.“ — „Ordo ad visitandum infirmum“ desumptus ex ms. ecclesiæ B. Mariæ Remensis (sæc. X.) post ritum administrandi s. Unctionem et Eucharistiam ponit præceptum[2]): „Sic fac per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione quam de alio officio.“ Codex quidam ms. monasterii s. Remigii Rhemis fundati (pariter sæc. X.) idem præceptum refert verbis[3]): „Et septem dies vel multo plures, si necessitas fuerit, tam de communione quam de alio officio erga infirmum fiat, ut sicut apostolus dicit, immo per eum Spiritus Sanctus ait: *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*“ Duo diversi Ordines mss. ecclesiæ Turonensis ex eodem sæculo X. continent ad verbum rubricam, quam primo loco descripsimus.[4]) — Celebris codex Tilianus (sæc. XI.), qui olim fuisse videtur ecclesiæ Sagiensis in Normannia, post ritum s. Unctionis præscribit:[5]) „Post hæc communicet eum sacerdos corpore et sanguine Domini; et sic septem continuos dies, nisi necessitas contigerit, [ut] tam de communione quam de alio officio se abstineat; et suscitabit eum Dominus ad salutem, et si in peccatis sit, dimittentur ei, ut apostolus ait.“ Menardus censet, textum esse corruptum et corrigit: „Et sic faciant illi septem continuos dies, tam de communione quam de alio officio — nempe Unctione — nisi

[1]) M. 78, 235.
[2]) Martène, de antiquis Ecclesiæ ritibus t. I, p. 869.
[3]) M. 78, 537.
[4]) Martène, l. c. p. 853 et 857.
[5]) M. 78, 528. De ipso codice Tiliano cf. ibidem p. 22 Menardus.

necessitas contigerit, ut se abstineat — nempe ab hac repetitione.“ Verum eundem sensum præbet etiam textus, ut iacet, qui ne verbo quidem mutato invenitur in ms. Pontificali ecclesiæ Salisburgensis (sæc. XII.) edito a Martène.[1]) Ordo XIV. apud eundem Martène, sumptus ex codice sæculi XI. fere ad verbum habet rubricam libri sacramentorum s. Gregorii, quæ vel sæculo XIII. paucis mutatis recurrit in codice ms. Victorino:[2]) „Sic faciat illi sacerdos per septem dies, si necesse fuerit, tam de communione quam de alio officio; et si in peccatis fuerit, dimittentur ei.“

Concedendum quidem est, non paucos Ordines aliarum ecclesiarum ex iisdem sæculis nobis conservatos non continere mandatum de iteranda s. Unctione. Sed inde non sequitur, in illis ecclesiis similem morem non esse servatum, nedum iterationem sacramenti fuisse interdictam. Nam neque de repetenda Communione quidquam enuntiant, unde nemo inferet, vetitum fuisse, ne sæpius infirmis Eucharistia porrigeretur. Quoties ritus in suis Ordinibus descripti essent peragendi, sacerdotes aliunde et ex communi consuetudine sciebant.

b. Quod libri rituales præscribebant, etiam factum esse, per se est clarum. Quod non suppeditat copia exemplorum Extremæ Unctionis per septem dies iteratæ, non est mirum, cum antiqui auctores non consueverint facere expressam mentionem collationis ultimi sacramenti, nisi cum datum est in ipso articulo mortis vel secum duxit sanationem, quæ erat vel eis videbatur esse miraculosa. Ob circumstantiam specialem *factum valde opportunum ad rem nostram narrat vita s. Remberti, archiepiscopi Hamburgensis* († circa annum 887), mox post obitum eius conscripta:[3]) „Duodecimo igitur die ante transitum suum perveniens ad ecclesiam Bremensem, ipso mox die infirmitate correptus est: cumque per horas omnes infirmitas graviter cresceret, ipse semper psalmodiis et lectionibus sacris intentus sese ad futurum de hac vita transitum sollicite præparabat, et quamquam languoris immanitas corporeis viribus defectum ingereret, animo tamen

[1]) Op. cit. p. 905.
[2]) Ibid. p. 931.
[3]) Acta SS. 4. Februarii, p. 571.

semper invictus apostolicam prætendebat fortitudinem, de qua dicit: Quando ego infirmor, tunc fortior sum et potens. *Septimo ante obitum die mysterium s. Unctionis cum oleo sancto ei [sibi] fieri præcepit, et* una cum Communione corporis et sanguinis Domini *usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit.“*

Quærit forte lector, cur descripta praxis a sæculo XIII. in toto Occidente plene evanuerit. Causa est manifesta. Cum sæculo XII. longe et late per Ecclesiam tristes abusus et opiniones superstitiosæ grassari incepissent, quas capite II. quarti libri descripsimus, cum fideles vix in ipso mortis articulo sacramentum suscipere vellent vel emere valerent, cum Ecclesia omni vi contendere deberet, ne moribundi sine tanto præsidio e vita discederent: non poterat urgeri consuetudo pia quidem, sed non necessaria temporum priorum. Quare iam sæculo XIII. scholastici nullam amplius produnt notitiam illius usus. Ceterum vix puto extare ante sæculum XVI. editum decretum auctoritatis ecclesiasticæ, quo expresse interdicatur, nedum irrita declaretur iteratio in eodem periculo mortis. Quædam constitutiones synodales potius favent iteratæ susceptioni sacramenti in eodem morbo. Synodus *Baiocensis* (c. a. 1300) e. gr. monet:[1]) „Doceant sæpe sacerdotes populum, hoc sacramentum licite posse iterari et sæpe recipi in qualibet magna infirmitate, unde mortis est metus, et post receptum licite reverti ad opus coniugale.“ Constitutiones synodales *Valentinæ* diœcesis (a. 1255) præscribunt:[2]) „Quia Extrema Unctio, quæ datur extremis laborantibus, nihil in ecclesiis servabatur: dicimus, quod de cetero omnibus in ægritudine constitutis tradatur a sacerdotibus et in ecclesiis publice prædicetur. . . . Illud tamen notandum est, quod istud sacramentum tantum præstatur adultis, et *sicut Pœnitentia iteratur, ita et istud sacramentum.“* Prima statuta synodalia, quæ sæc. XVI. interdicunt expresse iterationem, reddunt rationem, quæ supponit valorem repetitæ Unctionis, videlicet: *„ne vilescat sacramentum.“* Huiusmodi statuta affert *Launoi* op. cit. p. 552. Nunquam decreto irrefragabili declaratum est, iteratam collationem Extremæ Unctionis in eodem periculo esse invalidam.

[1]) Harduin, VII, 1237. [2]) Ibidem 1979.

Aliquot defensores sententiæ communis, Extremam Unctionem in eodem mortis periculo invalide iterari, rationem habent antiquæ praxis intra ecclesiam latinam. Hi imprimis extensionem et durationem memoratæ consuetudinis extenuare conantur. Verum cum documenta, quæ per quatuor sæcula (a IX.—XII.) distribuuntur et ad diversas Ecclesiæ partes (Italiam, Galliam, Angliam, Germaniam) pertinent, illam consuetudinem testentur, recte eam non audent dicere sacrilegam; putant autem, eam admittere explicationem, quæ nullam sacramenti iterationem includat. *Itaque quidam cum Matthæo Galeno* (In Promptuario theologico, catechesi 182) *dicunt, primo die collatum esse sacramentum, eundem ritum diebus sequentibus adhibitum esse ut merum sacramentale.* De qua opinione non sine acrimonia iudicat *Martène* (Op. cit. p. 833): „Huiusmodi argutiis et explicationibus miras in antiqua Ecclesiæ de sacramentorum administratione disciplina tenebras iniecerunt doctores scholastici, quas non sine labore viri eruditi et antiquitatis venerandæ scrutatores studiosi hodie dissipare possunt." Et re vera Ordines, qui constituunt, ut totus ritus sacramentalis per septem dies repetatur, non solum nullo verbo innuunt, plane alio modo et cum alia intentione sequentibus diebus procedendum esse, sed etiam clare indicant, omnino idem faciendum esse quovis die: „*Sic* faciant illi per septem dies . . tam de communione quam et de alio officio [Unctionis]"; ad totum officium septies repetitum referunt promissionem divinam: *Et suscitabit eum Dominus et si in peccatis fuerit, remittentur ei,* quæ promissio tantum ad sacramentum spectat; præscribunt iterationem solum cum conditione: „si necessitas fuerit", si nempe in periculo permanserit infirmus; si non ageretur de sacramento, non esset ratio sufficiens conditionis restringentis.

Relicta Galeni explicatione insignes theologi post Card. *Gotti* (Theologia schol. dogm., t. III, tract. 11, qu. 2, dub. 2) aliam commendant declarationem, qua antiqua illa praxis in harmoniam redigatur cum sententia, Extremam Unctionem in eodem mortis discrimine non posse valide iterari. *Existimant hi auctores,* inter quos eminent *D. Gutberlet* et Canonicus *D. Franciscus Schmid, officium cuiuslibet septem dierum fuisse vere sacramentale; at non quovis die integrum sacramentum esse collatum, verum ex unctionibus sacramentalibus singulorum dierum tamquam totidem momentis partialibus coaluisse unum integrum sacramentum,* simili modo ac secundum vigentem disciplinam per sex vel septem unctiones sacramentum perficitur, quamvis eius essentia id non exigat.[1])

Hæc sententia salvo meliore iudicio *multo graviora incommoda videtur incurrere quam prior.* Auctores, qui ei adhærent, non affirmant nec possunt affirmare, Ecclesiam habere potestatem ita dispertiendi sacramentum, ut, prout illud tribus, septem, decem diebus ministrat, singulis diebus tertia, septima, decima pars gratiæ ei annexæ subiecto obveniat. Eorum mens est, septimo tandem die post ultimam inunctionem gratiam esse collatam, sicut secundum præsentem ritum post inunctionem omnium sensuum. Sed imprimis deest paritas. Vidimus enim, nunc sacramentum perfici com-

[1]) *D. Schmid* scribit in „Zeitschrift für katholische Theologie" a. 1901 (t. 25, p. 261 s.): „Fürs erste dürfte es schwer zu erhärten sein, dass die beschriebene Gepflogenheit einmal allgemein oder auch nur in sehr weiten Kreisen geherrscht habe; es ist ihr somit jedenfalls [?] nicht ein allzu grosses Gewicht beizulegen. Fürs zweite glauben wir mit Grund sagen zu dürfen, dass man es hier keineswegs mit einer förmlichen Wiederholung des Sakramentes der letzten Ölung zu thun hat. Die über sieben Tage ausgedehnte oder auf sieben Tage vertheilte Krankensalbung betrachtete man nämlich, wenn nicht alles trügt, keineswegs als eine siebenmalige, förmliche Wiederholung eines vollen und Tag für Tag in sich abgeschlossenen Sacramentes; sondern der auf sieben Tage ausgedehnte Vorgang wurde als ein organisches Ganze und die sieben täglichen Salbungen als ebenso viele Teilmomente dieses Ganzen angesehen; ungefähr in der Weise, wie im gegenwärtigen Ritus der Krankenölung die sechs, beziehungsweise sieben Salbungen der entsprechenden Sinne oder Körperteile, oder die drei Untertauchungen des alten Taufritus, denen mitunter eine dreimalige Wiederholung der Taufformel zur Seite ging, nur als ein einziges Sacrament aufzufassen sind und für den Kundigen den Gedanken einer förmlichen Wiederholung des vorliegenden Sacramentes ganz ausschliessen. Ein derartiges Indielängeziehen der Sacramentspendung ist bei der Krankenölung um so begreiflicher, weil dieses Sacrament, wie Thomas von Aquin sich ausdrückt, ‚per modum medicationis' d. h. als übernatürliches Heilmittel gegen geistige und leibliche Krankheit auftritt und daher — wie ja auch die leiblichen Ärzte nicht selten eine künstliche Heilsmethode einschlagen — für einen in die Länge gezogenen Ritus besonders geeignet erscheint". Cum his plene conveniunt, quæ de hac re habet *D. Gutberlet* (Dogmatische Theologie, 10. B., 1. Abt., S. 231).

pluribus functionibus *in se,* independenter ab intentione ministri, partialibus; antiquitus autem statim primo die plenus ritus sacramentalis cum integra materia et abundanti forma adhibebatur; sequentibus diebus nihil addebatur, sed plane idem fiebat quod primo. Quare: Primo die sacerdos aut habebat intentionem largiendi statim sacramentum aut non. Si prius, totus effectus illo die producebatur; si posterius, manifesto nihil omnino fiebat. Excipitur forte, sacerdotes formasse intentionem, ut ritus hodie administratus post sex dies suam efficaciam exerat. Tales conditiones de futuro reddunt sacramentum invalidum. Si quis baptizaret infantem cum seria voluntate, ut effectus non sequatur nisi post sex dies, nihil efficeret præter proprium sacrilegium, quod non minueretur per eius propositum quovis die usque ad præfixum terminum iterum baptizandi infantem eundem.

Præterea antiqui Ordines omnes, quos adduximus et qui insuper extant, præscribunt, ut secundo et sequentibus diebus officium totum repetatur, *„si necessitas fuerit"*. Ergo si deerat ratio necessitatis, si nempe secundo vel tertio die et sic porro infirmus iam melius habebat, repetitio omittebatur, immo debebat omitti a die, quo extra periculum erat. At quis dicet, illis temporibus administrationem sacramenti sæpe esse inchoatam et non perfectam? Hinc, ni omnia fallunt, evidenter excluditur opinio, illo ævo sacerdotes habuisse intentionem, sacramentum non perficiendi nisi toto ritu septem diebus repetito.

Insuper valide medicinam supernaturalem recipit solum graviter, cum periculo ægrotans. Ergo die, quo sacerdos prima vice sacrum officium obibat, infirmus iam versabatur in vitæ discrimine. Ut ægroti in hoc discrimine consequerentur auxilia necessaria ad sanitatem animæ et, si expediat, etiam corporis, Dominus Ecclesiæ suæ dedit mysterium s. olei. Quis igitur sibi persuadebit, tot ecclesias præeunte saltem probabiliter romana, introduxisse disciplinam, per quam fideles graviter decumbentes per septem dies debuerint carere confortatione et aliis præsidiis gratiæ a piissimo Salvatore eis provisis; per quam restitutio sanitatis corporalis, si non sequebatur naturaliter, fere excludebatur ob nimiam dilationem confortationis spiritualis, a qua sacramentalis sanatio

morbi pendet; per quam denique plerique ægroti, utpote intra hebdomadam illam aut morte præventi aut a periculo elapsi, omni fructu sacramenti destituti sint? Si opponitur, instante morte adhibitum esse alium breviorem ritum, dicendum est, talem ritum breviorem gratis sine ullo fundamento in documentis historicis confingi, et per hoc effugium solum ultimum incommodum eliminari idque tantum pro casu, quo sacerdos satis mature de imminenti obitu certior fiebat.

Tandem qua mente sacramentalis Unctio data et accepta sit, clare manifestat narratio mortis s. Remberti supra relata: „Septimo ante obitum die *mysterium s. Unctionis* cum oleo sancto sibi fieri præcepit"; tunc ergo iam suscepit sacramentum et non solum inchoata est eius collatio. „Usque in diem animæ exeuntis de corpore *hoc salutare remedium* omni die percepit"; ergo ipsum sacramentum, non tantum sacramentale quoddam, ut volebat prior explicatio, quotidie percepit, saltem ex persuasione tunc vigente.

His puto esse probatam primam partem maioris syllogismi ab initio propositi.

2. Jam ostendamus secundam illius maioris partem: In ecclesia græca idem usus iam diu ante schisma exortum vigebat et adhuc viget.

a. Notum est, per Euchologium magnum præscribi, ut officium euchelæi a septem sacerdotibus peragatur, ita ut primus totum ritum sacramentalem cum omnibus unctionibus et integra forma peragat, deinde secundus idem præstet mutatis tantum accidentalibus orationibus, lectionibus etc. et sic porro usque ad septimum. Jam vero *Ignatius* archiepiscopus russiacus (Op. cit. p. 296 ss.) opinatur, „septemplicem numerum lectionum, orationum, unctionum positum esse in ritu benedictionis olei secundum normam dierum, quibus antiquitus presbyteri infirmum s. Unctionis causa visitabant. Quaque vice post precationem, quæ unctionem præcedit, legebant unam lectionem ex Apostolo et Evangelio, deinde ecteniam pro infirmo, quam excipiebat oratio cum unctione . . Hoc modo euchelæon olim septem diversis visitationibus presbyterorum perfectum esse videtur. Cum decursu temporis infirmi cœpissent ad illud mysterium solum in extrema necessitate

confugere et spiritus devotionis imminutus minus patiens fieret in orationibus, illud abbreviatum est in unum orantium [presbyterorum] conventum, in quo totus ritus septem dierum simul perficitur.“ Sane officium euchelæi, prout Euchologium illud exhibet, primitus non videtur fuisse destinatum pro unica visitatione. Ut unum tantum commemorem, ab initio fit solemnissima benedictio olei, quo omnes presbyteri liniunt successive infirmum; et tamen sacerdos secundus et tertius iterum benedicunt oleum acsi esset profanum. Hoc bene intelligitur, si quondam singuli sacerdotes diversis diebus sacro munere fungebantur, quia Orientales ex antiquissima consuetudine pro singulis visitationibus oleum, quod requiritur, benedicunt; vix autem explicari potest, si præsens praxis dicitur originaria. Ceterum cum deficiant documenta historica, quibus positive probetur, actualem disciplinam ecclesiarum ritus græci exortam esse ex prisca consuetudine per septem dies euchelæon infirmo præbendi, allato argumento nequit plena vis attribui. Hæc inest sequenti rationi.

b. *Ultra tempus Michaelis Cœrularii licet persequi praxim ecclesiæ græcæ, qua infirmo septem sacerdotes mysterium euchelæi modo indicato successive impertiunt.* Atqui de hac praxi idem iudicium est ferendum ac de usu ecclesiarum latinarum supra examinato. Omnes sacerdotes habent intentionem conficiendi mysterium; quare quemadmodum in Occidente minister primo die sacramentaliter inungens sua intentione non potuit efficere, ut sacramentum suam efficaciam non exereret nisi die septimo, sic sacerdos græcus volens sacramentaliter peragere ritum euchelæi, nequit, etiamsi vellet, efficere, ut s. mysterium suam efficaciam non exerat nisi post aliquot horas, cum septimus presbyter suum officium compleverit. Petrus *Arcudius*, qui opere „de concordia ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione“, populares suos contra obtrectationes theologorum latinorum defendit, l. V, c. 6 praxim, de qua agimus, crisi subicit. Verum cum et ipse adhæreat doctrinæ, Extremam Unctionem in eodem mortis periculo invalide repeti, ex defensore fit accusator civium suorum. „Postquam unus presbyter totum sacramentum peregerit, alter succedit et exceptis aliquot precationibus ad essentiam sacramenti minus spectantibus, quæ distinctæ sunt ab illis, quas prior recitat, reliqua æque atque primus conficit et absolvit. Nam et oleo sacro inungit ægrotum et easdem partes corporis ungit, et eadem prorsus sacramenti utitur forma. Rubricæ quoque Euchologii sic indicant esse faciendum... Unde quemadmodum esset absurdum, si baptizato prius puero alius eum postea baptizaret, vel consecrata prius ab aliquo sacerdote hostia eam alius vel idem sacerdos denuo consecraret, ita videtur hic non minus absurdum, idem iterare sacramentum.. Dici posset, primum sacerdotem vere conficere sacramentum, reliquos vero ad excitandam maiorem devotionem idem facere non per modum sacramenti. Cum enim sint orationes deprecatoriæ, nihil esse, si iterentur et alio dirigantur. Hæc solutio quamvis aliquid afferre videatur, mihi non multum placet. Non enim possum intelligere, qua ratione minister legitimus materiam sacramenti et formam adhibeat cum intentione, et tamen non conficiat sacramentum. Quare ceteri saltem non deberent habere intentionem conficiendi sacramentum“, quam eos habere cuivis evidens fit, qui perlustrat Euchologium. Ut omittamus alia parvi momenti, quæ Arcudius profert, eius conclusio est: „Mihi fit verisimile, præsentem consuetudinem, ut nunc fit, esse abusum“. Vere si asseratur, Extremam Unctionem manente eodem discrimine valide non conferri nisi semel, tum praxis antiqua multarum ecclesiarum partium occidentalium tum adhuc perdurans consuetudo ecclesiarum ritus græci non minor est abusus, quam si idem puer septies baptizaretur vel ter mergeretur cum trina invocatione ss. Trinitatis, quod ultimum a quibusdam hæreticis vel stultis presbyteris factum esse constat.[1])

Goar (Euchologium p. 354, n. 37) serio expostulat cum Arcudio, quod in nostra quæstione suos populares deserat eosque „quasi fidei rupto fœdere erroris et sacrilegii non solidis, ut mihi quidem constat, indiciis condemnare non vereatur“. Suscipit igitur eruditissimus vir ipse patrocinium Græcorum. Supponit autem cum Arcudio, in eodem periculo sacramentum tantum semel valide ministrari. Unde a priore timendum est, ne res male cedat. Recte quidem Goar censet,

[1]) Cf. *Alcuinus*, ep. 113 (ad Paulinum), M. 100, 342; Denzinger, ritus Orientalium t. I, p. 19 s.

de praxi Græcorum, quod attinet valorem sacramenti, idem iudicium ferendum esse ac de antiqua consuetudine Occidentalium repetendi ritum sacrum per septem dies. Utrosque a sacrilegio vult liberare eadem explicatione, quam ab eximiis theologis recentis temporis proponi ad elucidandam solam disciplinam antiquam Latinorum supra vidimus. „Nonne, inquit, plures plurium unctiones tam congruum aptumque possunt ad invicem habere ordinem, ut nonnisi unius totius partes membraque morali quadam coniunctione inter se coaptatæ computentur: ea ratione qua l. c. Jacobus, ut plures sacerdotes orent pro infirmo præcipiens confestim subiungit: *et oratio fidei salvabit infirmum,* quasi nihil magis plurium orationem unam esse faciat quam unanimis eorum pietatis consensus et una in omnibus salvandi infirmi intentio, quæ plurium unctiones in unam moralem sacramentalem Unctionem coniungere potest, ut ex omnibus uno mentis nexu inter se compactis sacramentum unum dicatur exurgere?“ Goar non solum describendo ardentibus verbis pulchritudinem et efficaciam unionis animorum intellectum præoccupare nititur, sed etiam multis rationibus rem demonstrare conatur. Verum maior eorum pars negligi potest, ut: Plures sacerdotes sæpe (e. gr. in Ordinatione) eandem hostiam consecrant; idem sacerdos plures hostias consumit; defuncto sacerdote post consecrationem panis alter consecrat vinum; Græci unctionem confirmatoriam perficiunt liniendo diversa organa cum repetitione formæ. *Duo producit argumenta, quæ considerationem merentur. Primum est:* „Comperit solito sæpius experientia, spiritalem delicti infirmitatem vel erubescentiæ in satisfactionem sumendæ vel amplioris gratiæ recuperandæ causa eidem spiritus medico sive patri curandam offerri. Qua certe ratione non inconvenit, ut qui gravi aliqua corporis ægritudine iactatur, ut potentius sibi auxilium adesse sentiat, a pluribus ita iubente vel permittente Apostolo ungatur precibusque et unctionibus repetitis, quo facilius iuxta dictum apostolicum ἐγείρεσθαι valeat, medicamentum tum animæ tum corpori profuturum velut iterato recipiat.“ *Respondetur* concedendo totum et affirmando, doctum auctorem proferendo hoc argumentum deseruisse sententiam, Extremam Unctionem in eodem periculo iterari non posse; evidenter

enim ille, qui eadem peccata sæpius clavibus subicit et sæpius absolutionem consequitur, sæpius sacramentum Pœnitentiæ suscipit. — *Alterum argumentum est:* „Nulla fit huic sacramento iniuria vel ex parte formæ vel ex parte subiecti, si a septem sacerdotibus in unam mentem conspirantibus illud ministrari statuerint Christus vel apostoli. Ex parte quidem formæ: nam deprecatoria est atque ideo velut potentior et maiori virtute prædita videtur aut saltem supplicationis et precis statui decentius procedere, quo a pluribus eam pronuntiari continget. Ex parte autem subiecti sive effectus in subiecto producendi nihil obest: quia cum non sit indivisus, immo magis et minus suscipiat, aptius dicetur diversis unctionibus multiplicatis et concurrentibus diversis ministris secundum diversos sui gradus produci; reliquiæ siquidem peccati, torpor animæ eiusque ad studiose agendum infirmitas, non uno, sicut peccatum, sacramenti telo confoditur vel extinguitur. Partibus namque suis, ut ita loquar, gradibusque coalescit corporeoque languori persimilis est; et sicut partes et incrementa suscipit, ita et decrementi per partes videtur esse capax; quid igitur obest, eius partem per unius presbyteri unctionem tolli, et per alterius similiter unctionem alium quemdam gradum auferri, sicut corporei languoris gradus uno medicamine et alius alio pariter pellitur? Quod quidem ita contingere assero non ex sacramenti defectu, sed ex nimia subiecti, i. e. hominis indispositione . .“ *His Goar aperte ad nos transit.* Nam si ob rationem propositam sacerdotes græci in eadem infirmitate sæpe possunt ministrare euchelæon cum fructu sacramentali, idem per se valent sacerdotes latini præstare. Et parum refert, utrum dicatur, septem numero sacramenta an unum sacramentum septies cum fructu sacramentali confici. — Manet ergo probata secunda pars maioris syllogismi principalis.

3. Restat demonstranda tertia pars maioris ab initio positæ: inter sectas sæculo V. ab Ecclesia separatas quondam eandem disciplinam obtinuisse.

Armeni et Nestoriani usum sacramenti amiserunt. *Maltzew* (Die Sacramente p. CCCXXXII) narrat, apud Coptitas ægrotum in domo sua *per septem dies inungi.* Ordo quidam

lampadis apud Coptitas, quem *Denzinger* (Ritus Orientalium t. II, p. 501 ss.) refert, concludit rubrica: „Si infirmus est in domo sua, vadat ad eum unus ex sacerdotibus ecclesiæ et ungat eum oleo et imperet ei, *ut seipsum ungat per septem dies.*" Ad hæc notat Denzinger (p. 506): „Ex Vanslebio etiam *ungunt infirmum per septem dies.*" Cum apud sectas orientales per decursum sæculorum non pauci usus curiosi vel abusus irrepserint, licet conicere, Coptitas prius eandem praxim servasse, quam multas ecclesias latinas tenuisse novimus; postea vero, vel quia presbyteri impediebantur vel quacunque ex causa magis minusve vulgatum esse morem, quem citata rubrica indicat. Antiqui Ordines harum sectarum, maxime si officium lampadis in ecclesia peragitur, postulant, ut s. functio regulariter a septem presbyteris celebretur; et quamvis hi Ordines non cum ea claritate qua Euchologium Græcorum omnes ritus describunt, videtur tamen dicendum, singulos successive et materiam applicare et formam recitare debuisse.[1]) Quomodo actu procedant, non potui invenire.

Probatur propositio secundo.

1. In quæstione nostra mea quidem opinione nihil potest ratione theologica cum fundamento statui, nisi supponatur doctrina s. Thomæ aliorumque magnorum Scholæ doctorum de „re et sacramento". Verissime dicit *Billot* (De Ecclesiæ sacramentis t. I, p. 103): „De *re et sacramento* pauca admodum habent moderni. Vix tamen in præsenti materia [De effectu sacramentorum] aliquid reperies quod maius momentum habeat, et magis necessariam lucem afferat plerisque obscuritatibus, passim inibi occurrentibus." — Hac igitur doctrina supposita ita argumentamur:

Sacramentum tamdiu iterari nequit, quamdiu eius effectus — gratia sanctificans cum fructibus specialibus ei annexis — denuo nequit obtineri. Gratia sanctificans cum aliis suis donis ex opere operato non obtinetur nisi mediante re et sacramento, causa eius proxima. Qui ergo perpetuum vel temporaneum habet impedimentum, quominus denuo consequatur

[1]) Cf. *Maltzew,* Die Sacramente etc., p. CCCXXIX ss. *Renaudot,* perpétuité de la foi t. III, l. V, c. 2. Denzinger, ritus Orientalium t. I, p. 187 ss., t. II, p. 483 ss.

rem et sacramentum, in perpetuum vel ad tempus incapax est sacramenti. Ergo Baptismus, Confirmatio, singuli Ordines sacramentales nunquam iterari possunt; nam eorum res et sacramentum est charactere obsignata deputatio perpetua ad certas functiones sacras; quare nec multiplicationem nec augmentum nec decrementum admittit. Matrimonium vivente utroque coniuge non patitur iterationem, quia eius res et sacramentum — vinculum coniugale — in indivisibili constat et duplex vinculum simultaneum lege evangelica excluditur; rupto vinculo per mortem unius coniugis repetitioni sacramenti est locus. In Extrema Unctione res et sacramentum consistit in titulo sive iure remoto ad confortationem spiritualem et alia auxilia cum illa coniuncta; quod ius in subiecto oritur ex efficaci eius repositione in manu misericordiæ divinæ. *Quæritur ergo: Potestne ius ad confortationem spiritualem augeri?* Cum ius dicat essentialem relationem ad suum obiectum, quæstio eadem est ac: Potestne confortatio spiritualis ex opere operato crescere? Si respondeatur affirmando, Extrema Unctio valide in eodem mortis periculo iteratur; si negando respondeatur, quævis iteratio manente efficacia primæ collationis declaratur irrita. Jam vero non videtur posse negari, dictum ius capax esse augmenti ex opere operato. Etiam in sacramentis characterem imprimentibus et in Matrimonio confertur ius ad auxilia gratiæ, quæ requiruntur ad obligationes susceptas bene explendas. In presbyteratu e. gr. confertur ius ad auxilia supernaturalia, quæ requiruntur, ut presbyter bene valeat obire functiones sacerdotales. Verum hoc ius non est secundum se res et sacramentum, sed in re et sacramento, in potestate sacra per characterem obsignata includitur; ideoque tam parum ex opere operato potest intendi quam ipsa potestas Ordinis presbyteralis.[1]) Eodem modo

[1]) Ad rem *Billot,* l. c. p. 146: „Si sacramentum, inquit, *primo* et *immediate* solum characterem inducit, ex indelebilitate characteris evidentissime sequitur initerabilitas sacramenti. Sin autem, ut quibusdam placet, character et gratia essent effectus *æque immediati,* nulla foret connexio, saltem ex natura rei. Nam licet sacramentum repetitum non haberet adæquatum illum effectum, quem per se causare natum est, adhuc tamen haberet effectum immediatum principalem, sc. effectum gratiæ, *quæ semper potest augeri.*

dicendum de Baptismo, de Confirmatione et mutatis mutandis de Matrimonio. Cum vero ius ad confortationem ipsum sit res et sacramentum Extremæ Unctionis, et ius essentialem dicat relationem ad suum obiectum, sequitur, ius ad confortationem posse augeri, si ipsa confortatio capax sit incrementi. Ergo Extrema Unctio in eodem periculo iterari potest, si confortatio incrementum admittit. Tota ergo quæstio, ut dictum est, ad hanc reducitur: Potestne confortatio sacramento collata crescere? Affirmative respondendum esse, evidens est; nam confortatio secundum se utpote consistens in actibus fiduciæ, spei, amoris divini, lætitiæ spiritualis . ., nullis limitibus circumscribitur; in sacramento autem confertur „secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem“ (Trid. sess. VI, c. 7). Crescente autem confortatione facilius subiectum in se procurat dispositionem necessariam ad remissionem culparum venialium, quæ forte nondum sunt expiatæ, et ad condonationem reatus pœnæ temporalis forte residui; crescente confortatione etiam augetur eius salubris influxus in corpus, unde sequitur maior relevatio et, si expedit, restitutio sanitatis. His in luce ponitur rubrica antiquorum Ordinum, s. Unctionem iterandam esse, „si necessitas fuerit“, videlicet ad eripiendum eum a periculo mortis. Facile enim accidit, ut prima confortatio relevationem quidem corporalem secum ducat, at non sufficiat ad restituendam sanitatem. Forte sufficiet bis, ter, septies aucta.

2. *Insuper* nullum sacramentum tollit moralem impotentiam vitandi omnia peccata venialia. Unde infirmus etiam perfecte ope s. Unctionis dispositus ad introitum gloriæ, post breve tempus committet nova peccata venialia, iterum incurret aliquam indignitatem specialis protectionis divinæ, iterum spiritualiter infirmari incipiet, iterum reatum pœnæ temporalis contrahet. Extrema Unctio non magis quam Pœnitentia ordinatur ad remissionem peccatorum futurorum, non est antidoton contra sequelas peccatorum post eius administrationem patratorum. Ergo etsi concederemus, sacramentum digne receptum semper ita perfecte curare infirmitatem spiritualem antecedentem, ut ex hac parte repetitioni nullus

sit locus, tamen subiectum mox iterum erit aptum, cui medicina cœlesti succurratur. Audivimus Venerab. *Petrum* Cluniacensem dicentem: „Iterari, prout mihi videtur, necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem.“ Verum est, infirmum gratiis sacramenti præditum facile per se defectus subsequentes eorumque sequelas abstergere; nihil tamen obstat, quin sacramentaliter id fiat. Facilius quam talis infirmus ceteris paribus sanus expiat per se culpas veniales et tamen non impeditur, quominus ad sacramentalem curationem confugiat. Dominus valorem sacramentorum non restrinxit ad casum necessitatis. — Hac ratione tantum antiqua praxis ecclesiarum occidentalium defenditur; consuetudo Orientalium explicanda est secundum prius dicta. Facile autem concedimus, usum Orientalium septies uno die impertiendi mysterium euchelæi, non uni patere reprehensioni. Videtur non minus esse inconveniens, quam si cui septies eodem die Eucharistia ministraretur; quare ecclesiæ unitæ eum abrogaverunt. Conferri hac de re etiam potest *Benedictus XIV* (Opera inedita, publ. Heiner p. 365 ss.).

Manent expendendæ rationes pro sententia opposita. Optime eas proponit Canonicus *Schmid* in „Zeitschrift für katholische Theologie“ 1901, p. 263 ss. Quare maxime ea considerabimus, quæ hic auctor affert. Cum propositio nostra non enuntiet certum valorem sacramenti in eodem discrimine vitæ iterati, sed solum asserat, gravibus rationibus inniti sententiam, quæ iterabilitatem admittit, sufficit, ut ostendamus, vim nostrarum rationum non elidi per argumenta adversa.

a. Theologi iam per sæcula cum magno consensu amplectuntur doctrinam, Extremam Unctionem in eodem vitæ discrimine non posse valide sæpius conferri, idque plerumque ita, ut ne mentionem quidem faciant opinionis alterius.

Respondetur. Si cogeremur dictum consensum concedere, suspectæ rei patrocinium suscepissemus. Verum talis consensus minime existit. Quid exorta quæstione de iterabilitate theologi sæculi XII. communius senserint, vix potest determinari. *Hugo a s. Victore*[1]) e. gr. (De sacramentis, p. 15, c. 3)

[1]) M. 176, 578 ss. Cf. ibid. p. 153 s.

iterabilitatem his probat: „Si unctio iterari non potest, nec oratio iterari potest. Utraque enim illic [in ep. s. Jac.] commemorata est. *Orent,* inquit, *pro eo ungentes eum oleo* sacro . . Quare ergo negetur, quod Unctionis sacramentum super infirmum iterari possit ad reparandam sæpius sanitatem et ad impetrandam sæpius peccatorum remissionem, cum negari non possit, pro eadem corporis sanitate et similiter pro peccatorum remissione sæpius iterandam esse orationem? Et ut in sacramentis idem demonstremus, quis dicat, hominem aspersionis aqua [benedicta] semel lustratum amplius aspergi non posse; et quod maius est, sacramento corporis et sanguinis Christi semel percepto amplius illud suscipere non debere? . . Sicut ille, qui corporis Christi sacramentum iam percepit, nequaquam idcirco a percipiendo iterum eo prohibetur, sic ei, qui Unctionis sacramentum accepit, si necesse fuerit et causa sive *devotio* expostulet, ut illud iterum percipiat, rationabiliter non contradicitur." Non est necesse, ut exequamur, Hugonem aut inepte argumentatum esse aut putasse, Extremam Unctionem etiam in eodem periculo valide iterari.

Abælardus (Epitome theologiæ christianæ c. 30): „De iteratione, inquit,[1]) secundum diversas consuetudines fiat ecclesiarum. Jacobus enim cum dicat: *Infirmatur quis etc.,* non videtur prohibere, quin repetatur." Tempore Abælardi certe adhuc vigebat in quibusdam ecclesiis mos repetendi s. Unctionem per septem dies; ad quem morem citata verba videntur respicere. Magister *Bandinus* (Sent. l. IV, dist. 22) fere idem dicit quod Abælardus:[2]) „Hæc autem Unctio pro vario usu ecclesiarum iteratur vel tantum semel præstatur." Jam audiamus *Petrum Lombardum* (L. IV. sent. dist. 23): „Sacramentum altaris et Pœnitentiæ et coniugii sæpe iterari videtur, quia sæpe sacramentum corporis percipitur, frequenter pœnitentia agitur, coniugium sæpe contrahitur. Quare ergo Unctio similiter non potest iterari? Si morbus non revertitur, medicina non iteretur. [Quid vero, si morbus non recedat?] Si vero morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita et unctio iterari posse videtur: utrumque enim illic commemorat Jacobus, et utrumque illic coope-

[1]) M. 178, 1745. [2]) M. 192, 1102.

ratur ad conferendam alleviationem corporis et animæ. Cur ergo negatur unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam sæpius sanitatem mentis et corporis, cum propter infirmitatem eadem sæpe iteranda sit oratio? Quidam autem de omni sacramento intelligi volunt, quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud, quod pertinet ad sacramentum, dicentes, quædam sacramenta sæpius posse suscipi, quædam vero non. Nec tamen quæ sæpius sumuntur, totaliter iterantur, ut sacramentum altaris et Unctionis, quæ licet sumantur sæpius, tamen quia non iterum benedicitur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur sacramentum cum iniuria." Si argumentatio Magistri quidquam probat, probat, Extremam Unctionem perdurante morbo iterari posse. — *Alanus ab Insulis*[1]) mentem suam de nostra quæstione his aperit (Theologicæ regulæ; r. 113): „Sunt qui dicunt de hoc sacramento, quod iterari non possit sicut nec Baptismus: sed quia sacramentum pœnitentiæ est et Pœnitentia potest iterari, probabile est, hoc sacramentum posse iterari." Si ratio valet, Extrema Unctio in eadem infirmitate valide sæpius datur.

Numquid principes Scholæ theologos perduxerunt ad consensum, qui asseritur? At ne unus quidem eorum affirmat, s. Unctionem non repeti *valide* in eodem vitæ discrimine. *Albertus* M. dubius hæret. Postquam „sine præiudicio" positive enuntiavit se putare, post annum remanente morbo permissam esse iterationem, pergit: „Si tamen ab aliquo Patre sancto vel a Domino Papa aliter in hac quæstione determinari invenitur, magis iudicarem illius sententiæ standum quam meæ: quia magis in hac parte credendum est inspirationi Ecclesiæ quam rationi coniecturanti ex incertis" (In textum Magistri, a. 21).

S. Bonaventura conformiter ad suam doctrinam de effectu principali s. Unctionis asserit, eam conferendam esse in extremo periculo, quod nequeat diu durare, sed mox vel mortem adducat vel excipiatur ab aliqua remissione intensionis morbi; sequente iterum aggravatione, „quia venialia iterum redire possunt et iterum infirmitas corporalis aggravatur, potest et debet sacramentum Unctionis iterari" (In textum

[1]) M. 210, 681.

Magistri a. 2, qu. 4, ad finem). His ne unus quidem consentit ex adversariis propositionis nostræ. Insuper ne verbo quidem innuit Doctor seraphicus, iterationem brevi illo tempore summi periculi esse non solum illicitam, sed etiam invalidam.

S. Thomas (Suppl. qu. 33, a. 2) inquirit: „Utrum in eadem infirmitate debeat iterari" Extrema Unctio. Notari meretur modus, quo rem tractat. „Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod in eadem infirmitate *non* debeat iterari, quia uni morbo non debetur nisi una medicina. Sed hoc sacramentum est quædam spiritualis medicina. Ergo contra unum morbum non debet iterari. 2. Præterea secundum hoc posset aliquis infirmus tota die inungi, si in eodem morbo posset iterari unctio: quod est absurdum. — Sed *contra* est, quod aliquando morbus diu durat post sacramenti perceptionem: et sic *reliquiæ peccatorum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur.* Ergo debet iterari". Itaque s. Doctor rationes contra iterationem in eodem morbo profert ut obiectiones, contra quas opponit factum, quod in diuturno morbo de novo contrahuntur reliquiæ peccatorum. In corpore articuli primo docet: „Hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare". Dein agit de morbis, qui cum eo usque creverint, ut infirmus inungatur, mox aut mortem afferant aut transeant: in his „non debet iterum inungi." „Quædam vero sunt ægritudines diuturnæ ut hectica, hydropisis et huiusmodi: et in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: et si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam ægritudinem reducatur, iterum potest inungi, quia iam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter." Jam vero nisi S. Thomæ velimus gratis affingere errorem vel opinionem omni fundamento carentem, oportet dicere, eum concedere valorem sacramenti in eodem periculo iterati. Affirmat enim, s. Unctionem non debere dari, nisi cum ægrotus videatur morti appropinquare; ergo non tum, cum iam versatur in periculo mortis, sed nondum propinquæ.

Potest concedi, plerumque conveniens esse, ut expectetur periculum non quidem proximæ, at tamen propinquæ mortis. Falsum autem est, ad validam susceptionem Extremæ Unctionis non sufficere gravem morbum cum periculo mortis etsi nondum propinquæ. Hectici, hydropici et huiusmodi, qui evaserunt „illum articulum eadem infirmitate durante", non evaserunt periculum mortis; unde efficacia sacramenti in eis perdurat. Nihilominus s. Thomas permittit, ut cum iterum adducantur in periculum *propinquæ* mortis, denuo subsidio sacramentali iuventur. Ergo censet, durantem efficaciam sacramenti non impedire valorem novæ inunctionis. Si quis vero affirmet, in casu, quo ægrotus per longum tempus in eodem statu manet vel continuo peius se habere pergit, iterationem esse invalidam, non ideo, quod efficacia sacramenti perduret, sed quia morbus pari vel continuo crescente vehementia infirmum affligit, opinionem profert, quam ne umbra quidem argumenti stabilire valet et quam non licet tribuere s. Doctori, nisi clare eam pronuntiet; quod nullo modo facit. *Posteriores scholastici* ante Concilium Tridentinum maxima ex parte sequuntur vel b. Albertum vel s. Bonaventuram vel s. Thomam. Non potest esse sermo de unanimi aliqua eorum doctrina in re nostra.

Post Concilium cœpit scientifica inquisitio in antiquam disciplinam sacramentalem. Summam esse auctoritatem theologorum positivorum in re sacramentaria, magis magisque agnoscitur. In hac re „cuncta pendere ab arbitraria Dei institutione, nulla fere humanæ rationi relicta opera, quæ certas ipsa per se consecutiones conficeret" (Pallavicini l. XII, c. 10, n. 18), Patribus Tridentinis erat persuasum. Jam vero eruditissimi scrutatores antiquitatis propugnant iterabilitatem Extremæ Unctionis durante eodem periculo. Inter hos sunt *Menardus* (In notis ad librum sacramentorum s. Gregorii,[1]) *Launoi* (Opp. omnia, t. I, p. 548 ss.), *Martène* (De antiq. Eccl. ritibus[2] t. I, p. 832 s.), *Juénin* (Comment. histor. et dogmaticus de sacramentis, dissert. VII, qu. 9, c. 1), *Drouven* (De re sacramentaria l. VII, qu. 5, c. 2), *Pouget* (Institutiones catholicæ in modum catecheseos c. VI, § 3), *Catalanus* (Rituale

[1]) M. 78, 523.

Romanum perpetuis commentariis exornatum, de sacr. Extremæ Unctionis tit. V, c. I, § 1, n. 11), *Pellicia* (De christ. Ecclesiæ Politia, t. II, l. 6, s. 2, c. 3, § 2), *Binterim* (Denkwürdigkeiten, 6. B., 3. T., 3. K., § 9), *Heinrich* (Lehrbuch der kath. Dogmatik, bearbeitet und herausgegeben v. Dr. Ph. Huppert, p. 773).

Præter hos viros eruditione clarissimos e numero theologorum, qui unanimi consensu doceant, sacramentum in eodem periculo repetitum esse invalidum, eximendi sunt auctores, qui eius iterabilitatem probant ex antiqua praxi illud ministrandi per septem continuos dies, e. gr. *Wirceburgenses* (De Extrema Unctione c. II, a. 3, „Dico 3"), *Tournely* (De sacr. Extremæ Unctionis qu. ultima, a. 2, „Quæres 2."); deinde auctores, qui antiquam praxim referunt et reprobare non audent, ut Billuart (De Extrema Unctione, dissert. unica, a. 7, „Petes tertio"), *Gerbert,* abbas s. Blasii (Principia theologiæ sacramentalis, c. VI, § 78), *Schanz* (Die Lehre von den Sakramenten p. 661 s.); tandem non pauci moralistæ, qui post *Benedictum XIV.* (De synodo l. VIII, c. 8, versus finem) ut ostendant, sacerdotes non debere esse nimis anxios in iteranda s. Unctione, in memoriam revocant antiquam praxim; quod inepte facerent, nisi saltem vere probabile esse censerent, illam praxim fuisse legitimam. Inter hos moralistas invenitur ipse *s. Alphonsus* (Theol. mor. l. VI, n. 715). Est etiam notandum, multos auctores, cum affirmant, s. Unctionem non debere, non posse iterari in eodem periculo mortis, tantum præ oculis habere, quid secundum vigentem disciplinam sit agendum, de dogmatica autem nostra quæstione ne verbo quidem suum sensum proferre. — Ex his patere videtur, non posse esse sermonem de consensu theologorum nobis contrario, a quo recedere nefas sit.

b. Obiciunt ulterius: *Concilium Tridentinum* (Doctr. de Extrema Unctione c. 3), *Rituale Romanum* (Tit. V, c. 1, n. 14), *Catechismus Romanus* (p. II, c. 6, n. 11) *eodem sensu loquuntur quo theologi. Unde tale conficitur argumentum:* Si iteratæ collationi Extremæ Unctionis per Deum et naturam sacramenti nihil obstat, nequit modo, qui satisfaciat, ostendi, rectam esse praxim vigentem, æquas esse ordinationes, quibus Ecclesia eam introduxit. Ex sententia ista Unctio infirmorum in eodem morbo æque ac sacramentalis absolutio et s. Communio per se sæpe dari potest et de facto multis in locis per sæcula sæpe est data. Hinc iure postulatur, ut assignentur rationes, quæ recte permoverint Ecclesiam, ut dictam consuetudinem universaliter cum tanta severitate abrogaret et interdiceret atque usum adeo salutaris medii gratiæ tam arcte restringeret. Contra abusus forte sensim invalescentes efficax remedium præbebant normæ prudentes servandæ in repetenda inunctione; quibus etiam remoti essent scrupuli, quibus non raro sacerdotes anguntur cum deliberant, utrum cœlestis medicina infirmo denuo possit offerri necne. Denique quivis, qui textus Concilii Tridentini etc. citatos sine opinione præiudicata expenderit, inveniet, iis minime contineri legem mere disciplinarem.

Respondetur imprimis negando suppositum. Nam praxis iterationis non est abrogata ordinationibus Ecclesiæ. Abrogata est culpa multorum sacerdotum et insanis superstitionibus fidelium; quæ causæ non solum frequentem, sed omnem usum sacramenti sustulissent, nisi Ecclesia omni vi se opposuisset. Sæcula, quibus vix a piis hominibus obtinebatur, ut in extremo articulo semel se sacro præsidio muniri paterentur, quibus auctoritas ecclesiastica comminatione gravium pœnarum debebat urgere, ut fieret id, quod necessarium erat ad vindicandos morientes ab æterno interitu, hæc sæcula, inquam, non erant apta, quibus Ecclesia commendaret consuetudinem, quam maiores ex abundanti pietate servaverant. Stultam aversionem a susceptione sacramenti usque adhuc late dominari, ostendunt multa Concilia provincialia sæculi elapsi, quæ de ea conqueruntur et ut sacerdotes eam oppugnent, instanter hortantur. Nonne multi etiam sacerdotes et religiosi non sine magno labore imminente iam morte tandem adducuntur, ut officium s. olei admittant?

„*At,* inquiunt, *Ecclesia iteratam collationem sacramenti in eodem statu morbi non tantum non commendat, sed positive interdicit.*" *Expendamus igitur textus allatos. Quod attinet declarationem Tridentinam,* sponte concedimus, eam non continere meram legem disciplinarem, sed definitionem dogmaticam. Quid vero docet? „Quodsi infirmi post sus-

ceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.“ His excluditur opinio paucorum, mysterium s. olei valide non recipi nisi semel in vita; excluditur etiam opinio multorum, illud non posse in diversis morbis repeti, nisi inter illos longius tempus, e. gr. annus effluxerit. Concilium sua definitione præcavit, ne multi propter errorem sacerdotum in gravi infirmitate et in ipso agone priventur firmissimo subsidio salutis. Quid vero si infirmi post susceptam sacram Unctionem *non* convaluerint, attamen durante morbo letali periculum proxime instantis mortis evaserint et post longius tempus in idem periculum imminens inciderint? Quid si infirmus mature omnibus auxiliis salutaribus provisus lente, sed continuo ingravescente malo post menses tandem in articulum mortis inducitur? Ad has et alias similes quæstiones Concilium non respondet idque tum ideo, quod noluit dirimere controversias theologorum catholicorum, ubi necessitas id non postulabat, tum quia memoria priscæ disciplinæ penitus obliterata et theologis varia sentientibus clara cognitio veritatis pro definitione dogmatica requisita deerat.

„Verum *rituale romanum et catechismus Concilii vetant iterationem s. Unctionis in eodem statu morbi.*“ *Respondetur. Rituale romanum confirmat nostram sententiam.* Statuit enim: „In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; *ut* si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.“ Igitur edicitur, s. officium in eadem infirmitate solum tunc recte repeti, si diuturna sit. Additur exemplum frequentissimum reincidentiæ in idem periculum mortis post aliquam, etsi non perfectam, convalescentiam. Per exemplum adiectum non restringitur universalis enuntiatio. Ergo quotiescunque morbus est diuturnus, permittitur iteratio, proinde etiam in casu, cum periculum manet idem vel magis magisque crescit. Quo admisso quivis theologus concedet, rituale romanum proponere tantum normam disciplinarem. Nimis enim mira esset opinio, Christum Dominum valorem iterati mysterii fecisse dependentem a determinato intervallo temporis. Audivimus s. Bonaventuram dicentem: „Absurdum valde videtur, sacramenta regulari secundum motum astrorum.“

Quod attinet *catechismum romanum*, eius auctoritas quantumvis veneranda non sufficit ad controversias dogmaticas dirimendas. Nullus theologus per eius doctrinam se sentiet e. gr. impeditum, quin neget, essentiam Ordinationis consistere in traditione instrumentorum cum additis verbis. Ceterum catechismus docet quidem, „in una eademque ægrotatione, quum æger in eodem vitæ periculo positus est, semel tantum ungendum esse.“ Sed cur? Quia alias invalida esset iteratio? quia lex ecclesiastica ita ordinat? quia est praxis actu vigens?

At nonne ipsa lex ritualis romani esset iniqua, si officium s. olei infirmo valide quovis die impenderetur? Videamus, num assignari queant rationes, ob quas Ecclesia consuetudinem non per ipsam introductam recte sua auctoritate firmaverit. Imprimis nulli infirmo necessaria est, præsertim in brevi morbo, sæpius collata s. Unctio. Quare solum factum, quod ex causis relatis certitudo de valore iterationis evanuit, sufficiens fundamentum præbebat iterationis restrictioni, ne scilicet sacramentum periculo probabili nullitatis exponeretur.

Deinde, etiam supposita clara cognitione valoris sacramenti iterati, suppetunt rationes, quæ explicent, cur Ecclesia vetet, ne procedatur secundum priscam praxim. Can. *Schmid* pro sua sententia affert rationem: Si valida esset iteratio, de qua agitur, fideles, qui ob circumstantias loci vel sortis suæ non facile nanciscuntur copiam sacerdotis, in conditione multo deteriore essent quam ceteri fideles. — Hæc ratio nequaquam evincit id, ad quod probandum producitur. Christus Dominus instituit sacramenta ad instar causarum naturalium; ideo noluit, ut sint invalida, si aliquis modus ea administrandi secum ferat, quæ minime conveniant. Quid magis dedecet, quam ut puer in cunis ordinetur presbyter et episcopus? Valeret tamen sacramentum. Commisit Dominus Ecclesiæ munus, ut legibus suis curaret rectam administrationem sacrorum mysteriorum. At qui commemoratum incommodum censet tantum esse, ut lege divina debuerit præcaveri, debet evidenter concedere, si talis lex divina non existat, Ecclesiam recte illi incommodo sua lege obviare, per consequens nequit urgere argumentum: si iteratio s. Unctionis in eodem morbo esset valida, Ecclesia eam inique vetaret.

Præterea qui infirmus iam consecutus est sacramentalem confortationem cum fructibus ei annexis, ipse se iuvare, propriis actibus maxime accedente frequenti Communione augmentum confortationis et per hanc aliorum spiritualium bonorum valet obtinere. Ecclesia etiam liberalius quam antiquitus ei succurrit indulgentiis aliisque opportunis subsidiis, unde nihil ei deest, quo indiget, ut salvetur, immo immediate transeat in gaudium æternum. Ex altera parte crescit reverentia et æstimatio sacramenti ideoque eius fructus, si infirmus sciat, semel tantum illud sibi exhiberi.

Breviter: Et antiqua et recens praxis suis rationibus fulcitur; Ecclesia sicut in aliis rebus ita et in hac sub directione Spiritus Sancti et experientia magistra pro diversitate temporum diversam disciplinam sapienter constituit.

c. Tandem contra iterabilitatem in eodem periculo aliqua interna ratio profertur: Extrema Unctio ex ipsa sua institutione habet finem et virtutem, ut semel collata in uno morbo, qualemcunque cursum sumat, tamquam medicina supernaturalis operetur et in suo ordine sufficiat. Secus hoc sacramentum valde imperfectum et parum efficax esse videretur.

Respondetur. Argumentum nimis probat. Ex eo enim sequeretur, doctrinam plurimorum theologorum, s. Unctionem saltem tunc repeti posse, cum infirmus durante eodem morbo gravi periculum imminens mortis evasit et post aliquod tempus in idem incidit, reprobandam et praxim ei respondentem, quæ tacite annuente Ecclesia late est diffusa, damnandam esse. — Deinde ultro fatemur, sacramentalem medicinam semel sumptam non solum sufficiens, sed et abundans medium esse salutis. *Sed quid inde, si tamen auxilia, quæ largitur, augmenti sunt capacia?* Eucharistia mane digne sumpta certissime præstat auxilia, quæ pro illo die sufficiant. Nihilominus si quis cum ignorantia legis ecclesiasticæ iteratam communionem eodem die prohibentis a mane ad meridiem decies ad sacram mensam accederet, decies eius fructus consequeretur. Christus Dominus cum prodiga liberalitate Sponsam suam cœlestibus thesauris instruxit. Ecclesiæ est, eos distribuere secundum normas, quas res ipsæ et locorum, temporum et personarum diversitas suadent. — Finiamus iam citatis verbis *b. Alberti,* quibus sine dubio omnes consentimus: „Si tamen . . . a Domino Papa aliter in hac quæstione determinari invenitur, magis iudicarem illius sententiæ standum quam meæ: quia magis in hac parte credendum est inspirationi Ecclesiæ, quam rationi coniecturanti ex incertis.“

CAPUT II.

DE NECESSITATE ET REVIVISCENTIA EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE SACRAMENTI.

Conveniunt theologi, sacramentum exeuntium saltem per accidens quibusdam moribundis esse necessarium. Si enim homo in mortali peccato constitutus, de quo habitualiter est attritus, usu rationis usque ad exitum privetur, s. Unctio est certum simulque unicum salutis eius medium. Quæstio est, num sacramentale præsidium sit per se ideoque etiam iis infirmis, qui in statu gratiæ versantur, necessarium. Longe maior pars theologorum censet, s. Unctionem per se non esse necessariam ad salutem; non necessitate medii, cum sit sacramentum vivorum, quod supponat statum gratiæ, a quo nemo sine propria culpa excidat; non necessitate præcepti divini, nam verba s. Jacobi: *inducat (προσκαλεσάσθω) presbyteros Ecclesiæ,* posse intelligi de mero consilio et cohortatione, Traditionem pariter nihil continere, quod certo manifestet strictum mandatum Dei; non necessitate præcepti ecclesiastici, cum huiusmodi lex universaliter obligans numquam sit edita. Concedunt tamen iidem theologi, infirmum reiciendo sacramentum interdum graviter peccare ratione contemptus — „Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posset“ (Trident. c. 3), — ratione scandali, quod præsertim episcopi et alii viri in eximia dignitate constituti vix evitarent, et ratione specialis indigentiæ personalis.

Porro ad asserendum, s. Unctionem per se non esse necessariam, theologi maxime auctoritate *s. Thomæ* videntur

esse permoti; ad eius enim verba primo loco solent provocare. Dicit Doctor angelicus (Suppl. qu. 29, a. 3, ad 1): Evangelistæ „potius institutionem Baptismi et Pœnitentiæ et Eucharistiæ et Ordinis factam a Christo narraverunt, quam *Extremæ Unctionis* vel Confirmationis, *quæ neque sunt de necessitate salutis* neque ad dispositionem sive distinctionem Ecclesiæ pertinent." Nescio, an non satis distinxerint theologi inter quæstionem, sitne certum, Extremam Unctionem esse necessariam, et alteram, sitne certa obligatio eam recipiendi. Pessime certe ex eo, quod probabilius non sit necessaria, statim inferretur, pariter non esse certam obligationem eam recipiendi.

Propositio XIV. Probabile est, Extremam Unctionem infirmis moribundis per se necessariam esse ad salutem. Quare infirmus morti appropinquans per se gravi obligatione ad eam recipiendam adstringitur.

In propositione dicitur: „infirmis *moribundis*"; argumenta enim, quæ afferentur, nullo modo ostendunt, omnibus cum periculo decumbentibus speciale hoc adiutorium divinum esse necessarium, sed solum suadent, illud requiri ad superandum extraordinarium salutis discrimen, quod imminet appropinquante exitu vitæ. — Dicitur: „Extremam Unctionem *per se* necessariam esse ad salutem;" minime enim intendimus affirmare, Dominum nunquam sine sacramento moribundis concedere auxilia, ad quæ illud ordinatur, e. gr. in casu, quo est impossibilitas vel valde magna difficultas advocandi sacerdotem ex dissito loco, vel cum moribundus ex motivo virtutis solatio ultimi subsidii Ecclesiæ renuntiat, ut præcaveat blasphemias impiorum familiarium aut ut parochum præservet a periculo instanti contagionis etc. Est ergo sensus propositionis, Extremam Unctionem probabiliter necessariam esse omnibus infirmis moribundis tamquam medium ordinarium salutis, quod aliis auxiliis non suppleatur, nisi ex causa relative gravi recursus ad eam prætermittatur.

Probatur I. pars. 1. *Concilium Tridentinum* in sæpius citato proœmio doctrinæ de sacramento Extremæ Unctionis declarat et docet, *a.* clementissimum Redemptorem nostrum servis suis quovis tempore voluisse de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse provisum; *b.* ideo eum maxima auxilia in sacramentis aliis præparasse, quibus christiani conservare se integros, *dum viverent,* ab omni graviore spiritus incommodo possint; *c.* eundem Dominum ex eadem ratione Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivisse. *Unde licet ita argumentari:* Concilium distinguit et sibi opponit decursum vitæ et finem vitæ. Quod attinet decursum vitæ, in sex aliis sacramentis præsto sunt auxilia maxima, ita ut quivis christianus eorum subsidio pro suo statu et conditione utens ab omni peccato mortali se immunem conservare valeat. Quod attinet exitum vitæ, Concilium eum eximit a tempore, quo illa sacramenta sufficere docet. Unde ultro exurgit quæstio: Quodnam speciale auxilium piissimus Redemptor providit, ut fideles in ultimo agone se conservare integros ab omni graviore spiritus incommodo possint? Respondent Patres Tridentini, Dominum finem vitæ Extrema Unctione tamquam firmissimo præsidio munivisse. Inde consequitur, pro infirmis moribundis unicum esse constitutum medium ordinarium ideoque per se necessarium, quo eorum salus in tuto ponatur: sacramentum exeuntium.

2. Concilium ibidem docet, adversarium nostrum, cum finem vitæ nobis impendere videt, vehementius quam unquam alias per decursum vitæ omnes suæ versutiæ nervos intendere ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos. Ergo infirmus morti appropinquans extraordinariis viribus opus habet eo ipso tempore, quo ex afflictione corporali extraordinaria debilitate premitur. Indiget igitur confortatione divina, ne succumbat. Hæc confortatio præbetur per s. Unctionem tamquam eius effectus principalis. Docet s. *Thomas* (Suppl. qu. 30, a. 1 ad 1): „Quamvis effectus principalis alicuius sacramenti possit haberi sine actuali perceptione huius sacramenti vel sine sacramento vel per aliud sacramentum ex consequenti, *nunquam tamen haberi potest sine proposito illius sacramenti*", quod propositum sane deest, si sacramentum data opportunitate nec obstante causa relative gravi non percipitur. Quidquid

est de universali principio s. Thomæ, quod ex mente eius restrictum ad effectum principalem primario intentum, qualis est in nostra materia confortatio, certe est probabile: nullum habemus fundamentum affirmandi, Dominum constituisse, ut ad obitum appropinquantes necessariam confortationem semper accipiant aut ordinario modo per s. Unctionem aut alio modo, si ex negligentia vel pigritia vel ex mero respectu humano vel quacunque ex causa secluso contemptu et scandalo sacramentum piissimæ misericordiæ admittere detrectent. *B. Albertus* docet (In textum Magistri a. 3, ad 4): „Quia [Extrema Unctio] non est sacramentum necessitatis, sufficienter periculo infirmorum provisum est in hoc, quod ministri sunt parati: et si non contingat ipsum, *dummodo sit desiderium sumendi*, sufficit coram Deo ad salutem, licet non ita forte cito plenæ liberationis effectum consequatur infirmus.“ Ex quo textu etiam apparet, defensores oppositæ sententiæ non bene ad s. Thomam aliosque scholasticos ob hoc solum provocare, quod dicunt, Extremam Unctionem non esse sacramentum necessitatis; ostendendum enim esset de singulis, eos ne desiderium quidem sive propositum s. Unctionis sumendæ necessarium censere ad vincendum in ultima lucta.[1])

[1]) Recte *Schell* mea opinione hæc statuit. „1. Satz. Die letzte Ölung ist nicht notwendig mit der Notwendigkeit des (gottverordneten, positiven) Mittels (nec. medii) wie die Taufe. Diese Notwendigkeit hat sie auch nicht für die Getauften, welche in Todsünden gefallen sind, da zur Wiedererlangung des Gnadenstandes in erster Linie das Busssakrament bestimmt ist . . . 2. Satz. Der Empfang der heiligen Ölung ist in todesgefährlicher Krankheit notwendig und pflichtgemäss *a)* mit Rücksicht auf die Gnadenhilfe des Sakramentes, *b)* zur ordnungsmässigen Sicherstellung des eigenen Seelenheiles in der Todesschwäche, *c)* wegen der Verpflichtung aller zu möglichster Ausbildung und Vollendung des Gnadenlebens. — Diese Notwendigkeit und Verpflichtung ist göttlichen Rechts; sie ergibt sich aus der einfachen Tatsache der göttlichen Einsetzung dieses Sakramentes. Denn die Sakramente sind für die ordentlichen, allgemeinen und gewöhnlichen Bedürfnisse nach Gnadenhilfe eingesetzt, welche zwar nicht für alle Einzelnen aktuell werden, aber sich doch bei normaler Entwicklung und regelmässigen Lebensverhältnissen naturgemäss einstellen. Eines besonderen Gebotes zur Anwendung der bereitstehenden Hilfsmittel bedarf es in der übernatürlichen Ordnung ebenso wenig, als in der natürlichen. In der Krankheit und Todesgefahr ergibt sich die Pflicht der Fürsorge für Leib und Seele hinreichend aus der Sache selbst; es bedarf keiner ausdrücklichen Gesetzesvorschrift.

Intelligunt nempe antiqui doctores per sacramenta necessitatis non raro illa, quorum receptio simpliciter et absolute requiritur, ita ut solum impossibilitas stricte dicta ab actuali recursu ad illa eximat: quo non statim negant, etiam alia sacramenta per se esse necessaria ad salutem, quamvis ratio relative gravis ab actuali eorum susceptione excuset, cum fundet spem, Dominum extraordinario modo collaturum suum subsidium.

Contra argumentum ex necessitate confortationis Suarez excipit (Disp. 44, s. 1, n. 4): Homo „potest aliis modis subvenire sibi per orationem et sacrificia, quia licet hoc sacramentum multum ad hoc conferat, non est tamen necessarium medium, nec ob illius carentiam exponit se homo morali ac proximo periculo peccandi mortaliter in alio genere seu consentiendi alicui tentationi dæmonis.“ Verum hæc deberent non tantum asseri, sed etiam probari; per se enim nequaquam sunt evidentia. Certe homo in statu gratiæ positus, si bene oret, a Deo impetrat abundantia auxilia, ne ulli tentationi inimici succumbat. At ubinam Dominus promisit: Si ægroto non placeat admittere saluberrimum auxilium, quod ex immensa misericordia ei in sacramento exeuntium offero, succurram alio modo, dummodo oret vel sacrificium pro se offerri curet? B. Jacobus monet (V, 13 s.): *Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν* — est quis in vobis positus in afflictione vel calamitate — *προσευχέσθω* — oret . . *Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν* — infirmatur quis in vobis — *προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας* — inducat presbyteros Ecclesiæ etc. Aliis verbis: In multis illis afflictionibus, quæ vitam humanam occupant et contra quæ determinata media supernaturalia Deus non providit, postulate auxilium divinum per orationem. In infirmitate autem recurrite ad ordinarium medium supernaturale: Unctionem sacerdotalem. Non pergit apostolus: Si hoc vobis non placet, in infirmitate pariter sufficit, ut oretis, et alle-

Nur die Anwendung ausserordentlicher Heilsmittel und Vorsichtsmassregeln ist nicht notwendig, weder zur Sicherstellung des natürlichen noch des übernatürlichen Lebens. Die letzte Ölung ist jedoch für die Bedürfnisse der schweren Krankheit nicht ein ausserordentliches, sondern ein ordentliches Heilsmittel, nicht Sache des Rates, sondern der Pflicht“ (Kath. Dogmatik, 3. Bd., 2. T., p. 635 ss.).

viabit vos Dominus. — Quod Suarez sine probatione addit: „Nec ob illius carentiam exponit se homo morali ac proximo periculo peccandi mortaliter in alio genere seu consentiendi alicui tentationi dæmonis“, difficile conciliatur cum iis, quæ Tridentinum nos docet de horrenda ultima lucta, contra cuius pericula clementissimus Redemptor ordinaverit tamquam firmissimum præsidium sacramentum Extremæ Unctionis. Doctrina Concilii potius in mentem verba s. Gregorii Magni revocat (Conf. p. 182): „Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?“ Quod Concilium œcumenicum docuit, multa Concilia particularia aliis verbis repetierunt. Concilium plenarium *Baltimorense II.* (a. 1860) e. gr. dicit:[1] „Anima christiani hominis periclitatur tum maxime, cum in summo vitæ discrimine versatur. Ut enim Apostoli verbis utamur: *descendit diabolus* ad eam, *habens iram magnam sciens, quod modicum tempus habet.* Infirmitas quoque ac dolores corporis intellectum obscurant ac fere obruunt viresque voluntatis minuunt et labefactant. Cui periculo sapientissimus atque amantissimus Salvator noster sacro Extremæ Unctionis ritu misericorditer prospexit.. Quum igitur Christus Dominus per Apostolum loquens *præcepto urgeat* quumque tam salutares effectus ex hoc sacramento profluant, curent omni, quo par est, studio animarum Pastores, ut ex populo sibi commisso *unusquisque, qui ad id tenetur* [graviter infirmus et moriturus] salutari hoc præsidio munitus de vita decedat.“

Concilium prov. Pragensis (a. 1860) docet:[2] „Nunquam firmiori Dei præsidio indigemus, quam dum crescente infirmitate mortis timor animum occupat, et præteritorum delictorum memoria exagitati persentiscimus impleri in nobis, quod scriptum est: *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum,* atque dum illa cura vehementer nos angit, imminere iudicium Dei, a quo de nobis iustissima, prout meriti fuerimus, sententia ferenda sit. *Auxilii a solo Deo expectandi necessitatem* auget impetus diaboli calcaneo nostro hac præsertim occasione insidiantis.. Quod certissimum auxilium et piissimum lenimen cum Dominus benignissime nobis præstet per sacramentum Extremæ Unctionis: facile intelligent tum parochi tum *graviter decumbentes* eorumque familiares et medici, *quanto studio debeant curare,* ut periculose ægroti hoc exoptatissimo remedio muniantur, et ne quid sacramenti gratiam impediat, sollicite cavere.“

[1]) Coll. Lac. t. III, p. 480. [2]) Ibid. t. V, p. 512 s.

Concilium prov. Coloniensis (a. 1863), postquam verbis Tridentinæ doctrinæ periculum extremi agonis et fructum mysterii s. olei exposuit, pergit: „Agant proinde pastores animarum, ut fidelium ægre decumbentium rationem habeant, quos, si expedierit, *suscipiendi huius sacramenti obligationis* paterne admoneant“.[1]) Quibus iam deducimur ad alteram partem propositionis, *infirmum morti appropinquantem per se gravi obligatione ad suscipiendum sacramentum exeuntium adstringi.*

Probatur II. pars. Est animadversum, pessimam esse illationem, si quis ex eo, quod necessitas s. Unctionis non sit *certo* demonstrata, statim inferat: ergo etiam obligatio illam suscipiendi est tantum probabilis ideoque practice nulla. E contrario, si necessitas confortationis sacramentalis est probabilis, obligatio gravis eam expetendi per se est certa. Nam quivis homo obstringitur obligatione nulli dubitationi subiecta certo procurandi æternam suam salutem. Id autem aperte non præstat, qui reicit salutis medium, cuius usus probabiliter est necessarius. Sane si homo morti per infirmitatem appropinquans renuat Extremam Unctionem admittere, potest ei dici: Si respuas auxilium, quod Deus per Ecclesiam misericorditer tibi offert, probabiliter tibi non suppeditabit alia via vires requisitas ad victoriam in ultimo certamine reportandam. Numquid licet ei respondere: Ergo est tantum probabile, me in æternum periturum, si reiciam s. officium; tale periculum damnationis volo subire? Quin *s. Alphonsus,* qui non audet affirmare, eum qui sacramentale præsidium accipere leviter

[1]) *De Sainte-Beuve* citat antiquas synodos eccl. Remensis et Trecensis, quæ edicunt: „Necessarium est ad salutem istud sacramentum, si possit haberi“ (De sacram. U. E. disp. 7, a. 3, V. propos.).

recusat, aliis mediis non posse obtinere necessariam confortationem, nihilominus sententiam, quam propugnamus, infirmis omnino suadendam censet „ratione caritatis, quam moribundus erga seipsum exercere debet; licet enim posset ille aliis muniri mediis, cum tamen in eo statu reperiatur, ex una parte debilis est, ut bonis actibus mentis suæ sibi prospicere possit; ex alia parte, ut dicit Tridentinum, tunc dæmonis insidiæ sunt vehementiores; unde videtur se exponere magno periculo tentationibus succumbendi, qui hoc sacramento præmuniri negligit, quod Jesus Christus instituit hoc fine, ut robur conferat ad resistendum diabolo in illo extremo agone“ (Homo apost. tract. 17, c. 1, n. 12). Multo ergo magis gravem obligationem concedere debet, qui positive probabile esse censet, aliis mediis robur supernaturale non contingere illi, qui ordinarium auxilium cœlestis confortationis sine ratione prudenti respuit. Profecto qui medicinam corporalem paratam sine causa rationabili sumere recusaret et oratione atque oblatis sacrificiis postularet, ut alia via sanaretur, Deum tentaret. Quidni idem dicamus de eo, qui „sanantis divinæ gratiæ dulcedinem“ leviter negligit et alio modo a Deo muniri postulat?

Restat, ut expendamus rationes pro sententia adversa, quæ non sunt in ipsa probatione assertionis expeditæ.

a. Opponitur auctoritas s. Thomæ, qui in expositione textus Magistri affirmat, non quamlibet negligentiam, ob quam susceptio sacramenti omittitur, esse damnabilem, sed solum illam, quæ ex contemptu procedat vel contemptum inducat. Verum ad auctoritatem s. Doctoris immerito provocant omnes illi, qui propter doctrinam Tridentini necessitatem specialis confortationis concedunt et obligationem percipiendi præsidii s. Unctionis ideo negant, quia putant, ægrotum illam confortationem sibi posse procurare oratione aliisque mediis. Audivimus s. Thomam docentem, effectum principalem alicuius sacramenti nunquam posse haberi, si non adsit saltem propositum illud suscipiendi. Deinde animadvertimus, nos probabilitatem assertionis, Extremam Unctionem infirmis moribundis per se esse necessariam, deducere ex iis, quæ nos docet Concilium œcumenicum longe post ævum Doctoris angelici celebratum. S. Thomas in nullo suorum operum, in quibus

tractat de Unctione infirmorum, commemorat terrificam illam luctam contra dæmonem, quam moribundis instare Concilium nos instruit; nunquam dicit, confortationem sacramentalem specialiter ordinari ad vincendas vehementissimas tentationes, quibus in fine vitæ adversarius humanæ naturæ animas perdere conatur. Quare salva reverentia principis theologorum licet dicere, solam eius auctoritatem non sufficere ad evertendam sententiam, quæ ex doctrina Concilii œcumenici post ipsius tempora celebrati probatur.

b. Tempore interdicti prohibetur administratio Extremæ Unctionis excepto casu, quo per Pœnitentiam moribundo nequit subveniri. Atqui Ecclesia non habet ius privandi fideles sacramento necessario, quo denegato innumeri fideles perirent. Ergo Extrema Unctio non est necessaria. *Respondemus.* Argumentum magis est speciosum quam firmum. Ut transmittamus maiorem, quæ non ab omnibus auctoribus simpliciter conceditur, notamus ad minorem: Extrema Unctio utpote sacramentum vivorum supponit per se statum gratiæ et iustitiæ. Cum statu gratiæ coniungitur ius a Deo datum ad auxilia supernaturalia requisita ad vitanda omnia peccata mortalia; quo iure potitur etiam iustus moribundus. Ordinarium auxilium a Deo provisum est præsidium s. Unctionis. Si moribundus versetur in impotentia obtinendi hoc præsidium vel ei renuntiet ex gravi ratione, quæ coram Domino omniscio valeat, fidelissimus Salvator alio modo succurret. Quare infirmus, cui Ecclesia denegat Extremam Unctionem excepto casu, quo ad acquirendum statum gratiæ exigitur, non conicitur in moralem impotentiam superandi pericula salutis impendentia in articulo mortis. Quæstio igitur est: Potestne Ecclesia hæc sciens ob gravissimas causas boni communis, cuius intuitu pœnam interdicti infligit, sacramentali subsidio privare infirmos, si eo non habeant opus ad acquirendam gratiam sanctificantem? Neganti incumbit onus probandi. Sed caveat, ne sua probatione damnet antiquam Ecclesiam, quæ teste Innocentio I. (Ep. 6 ad Exuperium, n. 6) quibusdam peccatoribus in hora mortis concessit quidem Pœnitentiam, denegavit autem Viaticum, quamvis moribundus iure divino ad illud recipiendum teneatur; ostendat etiam, ut argumentum contra nos valeat, cur ipse ægrotus ex gravi

ratione sacramento licite renuntiet cum spe, Deum sibi non defuturum, Ecclesia autem ne ex gravissima quidem causa boni communis idem sacramentum denegandi ius habeat, si sit per se, at non absolute, necessarium. Talis probatio, ni fallor, nunquam proferetur. Ceterum merito mireris, cur tot theologi ob pericula transitus censeant Viaticum moraliter necessarium, minime vero sacramentum ex specifica sua natura contra illa pericula ordinatum.

Nota. Gravissimam esse obligationem pastorum animarum ministrandi fidelibus tam salutare sacramentum, ex multis decretis Conciliorum, quæ per decursum tractatus producta sunt, manifestum est. Cum de obligationibus parochorum propriis tractatibus agi soleat, prætermittimus quæstionem, quæ rationes eximant parochos aliosque, qui curam animarum gerunt ex officio, a gravi illa obligatione. Clarum est, admissa veritate doctrinæ propositæ non posse admitti causas excusantes ex eo desumptas, quod Extrema Unctio sit quidem valde utilis, at per se non necessaria. Excusant certe rationes, quæ eximunt a gravi officio præbendi Viaticum. Cum vero parochus adhibitis præservativis mediis, quæ moderna scientia medica offert, ministrat Viaticum, vix accidet casus, quo ægrotum per instrumentum unica unctione liniens cum brevissima forma novum speciale periculum incurrat.

ARTICULUS II.

DE REVIVISCENTIA SACRAMENTI.

S. Unctio rite ministrata confert titulum obtinendi gratiam sanctificantem et hac mediante auxilia infirmo qua tali convenientia. Sæpe vero accidit, ut subiectum actuali perceptioni dictorum auxiliorum vel etiam ipsius gratiæ ponat obicem. Qui e. gr. rationis usu privatus et habitualiter tantum de mortalibus attritus s. oleo inungitur, consequitur quidem iustificationem, sed nec remissionem venialium nec confortationem nec ullum alium fructum. Qui ne de mortalibus quidem sufficientem attritionem habet, omnibus effectibus impedimentum obicit. Itaque quæritur, quid fiat, si infirmus postea in se procuret dispositionem, quam si sacramento obtulisset, statim omnium eius bonorum factus esset particeps.

Si sacrum donum digne acceptum ideoque gratia — prima vel secunda — est causata, reliqui effectus inducuntur, prout dispositio suppletur. Nam infirmus nactus est gratiam sanctificantem qua dotatam iure ad subsidia, quibus opus habet. Hoc post ea, quæ de singulis effectibus sunt disputata, non amplius requirit probationem. Cardinalis *De Lugo* eo progreditur, ut affirmet, ope s. Unctionis peccata venialia post mortem deleri, si tum demum obex auferatur. „Fatemur, inquit, ablato obice post mortem, ad remissionem venialium præteritorum per eorum debitam retractationem, poni effectum remissionis culpæ virtute etiam sacramenti Extremæ Unctionis" (De sacramentis in genere, disp. 9, sec. 6 versus finem). Nimirum secundum doctrinam magni huius theologi virtute Baptismi post mortem remittuntur peccata venialia cum tota pœna temporali illi, qui immediate ante mortem est baptizatus, remissioni autem venialium et pœnæ eis debitæ per defectum omnis doloris impedimentum opposuit. Ergo cum etiam Extrema Unctio ordinetur ad abstersionem venialium, putat, eam quoque huiusmodi culpas post mortem delere. Verum quidquid est de efficacia illa Baptismi pertingente in alteram vitam, s. Unctioni sine fundamento similis vis tribuitur. Nam gratia sacramento infirmorum collata habet annexum ius ad dona divina *durante morbo*. Simulac ergo infirmus moritur vel ex periculo evadit, manet quidem ipsa gratia, sed extinguitur ius ad speciales fructus. Si hoc negatur, efficacia sacramenti eodem iure, quo ab uno auctore ultra mortem, ab altero ultra receptam sanitatem et ulterius ad totam vitam potest extendi. Deinde ex sententia Card. De Lugo necessaria consequentia, quidquid ipse contradicit, deducitur, neminem unquam, qui immediate post s. Unctionem moritur, subiturum vel minimam pœnam purgatorii. Nam quivis, qui in statu amicitiæ divinæ decedit, statim post separationem animæ a corpore de venialibus nondum expiatis elicit intensissimum dolorem, quo efficaciæ sacramenti, si revera perduraret, omni modo perfectam dispositionem non solum ad culpas, sed etiam ad omnes pœnas detergendas offerret.

Quid autem, si infirmus ipsi gratiæ posuit obicem, si fictus, ut dicunt, suscepit sacramentum? Fictio est vel formalis vel materialis tantum. Prior adest, si homo deliberate

se non disponit ad gratiam consequendam, ut si non exuit affectum ad peccatum mortale vel saltem non elicit dolorem de culpis letalibus, quem scit esse necessarium, breviter: si sacrilegium opponit beneficio divino. Fictio est materialis tantum, si dispositio necessaria ad gratiam consequendam prætermittitur sine culpa, quod, quantum ad Extremam Unctionem, præcipue in iis facile accidit, quibus usu rationis destitutis administratur.

Sequentia ut certa videntur esse statuenda. 1. *Sive fictio est materialis tantum sive formalis, sacerdos valide infirmum s. oleo inungit, si ceteræ conditiones*, imprimis intentio subiecti, *non desint.* Hoc recte assumimus ex universali doctrina, moralem subiecti dispositionem ad valorem nullius sacramenti requiri nisi Pœnitentiæ, cuius essentiam ingrediuntur actus pœnitentis. Deinde, si deficiens dispositio s. Unctionem redderet irritam, esset repetenda, simulac ægrotus defectum suppleret. „Cur enim privaretur et sacramento et fructu sacramenti, cum alioqui nullum videatur esse essentiale impedimentum ad tale sacramentum iterandum?“ (*Suarez,* disp. 41, s. 1, n. 23). Supponamus, hominem sincere catholicum, sed hic et nunc peccato mortali infectum, quod nondum retractavit, apoplexia tangi, mente alienatum inungi et postea ad se reverti. Si revera sacerdos ob defectum habitualis attritionis ei invalide suum ministerium exhibuit, nihil est factum præter materialem aliquam unctionem, sacramentum infirmus non est adeptus. Nihilominus agendum est cum eo secundum normam ritualis romani: „In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet nisi diuturna sit.“ Cur Ecclesia in pœnam calamitatis, quam sustinuit, eum privaret simpliciter sacramento, cum tamen severissime iubeat, ut detur iis, qui illud per longum tempus cum maledictis et blasphemiis reiecerunt et tandem in ipso articulo mortis conversi admittunt? Porro si defectus dispositionis per se sacramentalem functionem non reddit irritam, neque culpabilis eius defectus tangit valorem. Sine ullo enim fundamento statueretur discrimen inter peccata mortalia, quæ validæ s. Unctionis receptioni obstent et quæ non. Neque assignabitur ratio, cur istam unam culpam Ecclesia puniat subtractione divini præsidii in ultima lucta.

2. *Ex demonstrata veritate sequitur, s. Unctionem cum obice peccati mortalis non retractati susceptam reviviscere sive gratiam cum iure proximo ad alios suos effectus eo momento inducere, quo fictio removetur et debita dispositio exhibetur.* Nam valida administratio ritus sacramentalis semper aliquid in subiecto causat; secus non esset in universum differentia inter sacramentum valide et invalide collatum. Jam vero id, quod s. Unctio ficto ministrata causat, nequit esse nisi titulus ad gratiam sanctificantem cum iure ad alios fructus doni divini. Si Baptismus, Confirmatio, Ordo cum obice culpæ letalis recipiuntur, efficiunt consecrationem singulis propriam, characterem indelebilem et titulum per se exigentem infusionem gratiæ cum iure ad subsidia supernaturalia, quæ requiruntur ad obligationes impositas rite explendas. Si quis init Matrimonium cum obice eodem, causatur sacrum vinculum coniugale pariter cum titulo, qui per se postulat infusionem gratiæ cum iure ad auxilia divina, quæ necessaria sunt ad onera coniugalia recte ferenda. S. Unctio nec specialem consecrationem tribuit nec characterem imprimit nec quidquam aliud ante gratiam ipsam in subiecto etiam digne præparato producit nisi titulum ad gratiam et auxilia statui ægroti proportionata. Ergo in eo, qui cum obice s. oleo valide inungitur, inducitur titulus ad iustificationem et subsidia divina per decursum morbi necessaria. Actu infirmus nullum fructum sacramentalem capit idque tantum ideo, quia non præstat necessariam dispositionem moralem. Ergo eo momento, quo hanc supplet, consequitur iustificationem, confortationem vero et effectus secundarios eo modo, acsi tunc primum s. oleo liniretur.

Hinc illa regula pro praxi magni momenti, nunquam Extremam Unctionem esse ministrandam sub conditione: si dispositus es. Si enim ista conditio adicitur et subiectum reipsa est fictum etsi materialiter tantum, nullum fit sacramentum, proinde, quantumvis ægrotus postea, forte in momento tandem mortis, defectum corrigat, nullum amplius fructum salutaris mysterii nanciscitur. Ceterum hæc regula non est propria Extremæ Unctionis, sed valet etiam de aliis sacramentis, quæ possunt reviviscere. Cogitemus e. gr., quam horrendæ sequelæ orerentur, si episcopus daret presbytera-

tum sub conditione: si dignus es, et ordinandus de facto esset indignus. Igitur Extrema Unctio est quidem conditionate applicanda, si dubitetur de requisitis ad eius valorem; si autem dubitatio versetur circa solam moralem dispositionem, aut omnino deneganda aut absolute concedenda est iuxta ea, quæ sunt dicta l. IV, c. 2, a. 4 sub III.

Vidimus, Card. de Lugo asserere, s. Unctionem suam virtutem extendere ultra mortem, at tantum quoad remissionem culparum venialium. *Suarez* probabile esse censet, efficaciam sacramenti extendi ultra recuperatam sanitatem, sed tantum pro inducenda gratia sanctificante. „Probabiliter, inquit, colligo, etiamsi quis a fictione non recedat usque ad sanitatem recuperandam, nihilominus tunc etiam recipere effectum, saltem quoad gratiam habitualem, quia hic effectus de se perpetuus est, et sicut semper restituitur per Pœnitentiam, etiamsi per peccatum sæpius amittatur, ita semper datur ratione sacramenti suscepti et propter merita Christi iam semel applicata, quoties recedit fictio, quæ initio intercessit. Secus vero est de illo speciali effectu sacramentali, qui consistit in auxiliis supra explicatis; hic enim dabitur quidem in eodem morbo, si illo durante recedat fictio.“ Postquam hoc ultimum ostendit, pergit: „Hinc contraria ratione colligitur, si quis non tollat fictionem, donec ab eo morbo liberatus est, in quo hoc sacramentum ficte suscepit, iam non redire sacramentalem gratiam [specialia auxilia] prioris sacramenti, quia iam finita fuit necessitas vel opportunitas, pro qua sola habuit sacramentum suam vim.“ (Disput. 41, s. 1, n. 24).

Opinioni Doctoris eximii consenserunt quidem egregii aliquot theologi posteriores, ut Dicastillo et Silvester Maurus; verum in se vix recte dicitur probabilis. Nullo enim modo apparet consequentia talis argumenti: Effectus gratiæ habitualis de se est perpetuus, i. e. gratia sanctificans collata sine novo peccato mortali non destruitur, et si sæpius per peccatum omittitur, per Pœnitentiam sæpius restituitur; ergo Extrema Unctio etiam post sanitatem recuperatam confert gratiam habitualem, si antea fictio id prohibebat. — Deinde hæc opinio nequit conciliari cum iis, quæ mox verissime dicit

ipse Suarez (Disp. 42, s. 1, n. 4): „Augmentum vel infusio gratiæ est generalis effectus sacramentorum, qui per singula sacramenta non datur nisi ut coniunctus propriis effectibus sacramentorum ipsorum, et ideo *ubi non est capacitas primarii et proprii effectus, nec est capacitas* sacramenti nec *effectus communis sacramentorum, quatenus per tale sacramentum conferendus est.*“ Quare acer oppugnator Suaresii, Didacus *Nugnus* O. P., cohærenter procedit, cum sententiam, quam expendimus, admittit — non solum ut probabilem sed ut certam — et inde infert, homini, qui tandem post recuperatam sanitatem tollit fictionem, ope s. Unctionis præberi non tantum gratiam sanctificantem, sed etiam alleviationem aliosque effectus spirituales (Expositio in III. p. d. Thomæ, suppl. qu. 30, a. 1). Ex falsitate consequentis recte deducti ex antecedenti huius falsitas apparet. Esse autem sanum prorsus incapacem illius alleviationis spiritualis, quæ est effectus principalis s. Unctionis, non debet denuo probari. Itaque quicunque est incapax accipiendi gratiam qua alleviativam illius debilitatis spiritualis, quæ ex gravi morbo consequitur, nullum fructum nostri sacramenti capere potest. Sanus autem incapax est accipiendi gratiam qua alleviativam. Ergo nihil amplius obtinet. Quin momento, quo primo liber erat a periculo, amisit ipsum titulum ad quosvis effectus sacramentales, quia una cum morbo deposuit potentiam passivam ad illos.

3. *Ut infirmi, qui s. Unctionem receperunt infecti peccatis mortalibus non retractatis, gratias consequantur, ad quas sacramentum ordinatur, alia pro alio eorum statu exiguntur.*

a. Si fictio erat materialis tantum nec nova gravis culpa postea est adiecta, sufficit, ut ægrotus præstet id, quod per se ante s. ritum erat præstandum; nullum enim alium obicem habet nisi defectum dispositionis ab initio necessariæ.

b. Si fictio erat quidem materialis tantum, at gravis culpa etiam post s. officium est commissa, attritio cum absolutione sacramentali vel, si recursus ad potestatem clavium non pateat, contritio perfecta omnino requiritur. Nam peccatum patratum post s. inunctionem, huius virtute nequit

deleri; unum autem peccatum mortale sine aliis non remittitur. Quare requiritur tum remotio obicis, qui impediebat, ne sacramentum statim suam efficientiam exereret, tum remotio peccati novi, quod tolli nequit nisi per absolutionem sacerdotalem re vel voto obtentam.

c. Si fictio erat formalis, sacramentum Pœnitentiæ rite perceptum vel contritio perfecta omnino requiritur, sive post s. Unctionem peccatum mortale iterum est admissum sive non. Nam ipsum sacrilegium, quo infirmus se inquinavit, dum sacerdos sacramentalem functionem peragebat, est grave peccatum, ad cuius remissionem non extenditur vis s. Unctionis, cuius proinde expiatio est requirenda per alia media iustificationis. — Porro eos, qui per Pœnitentiam vel contritionem perfectam auferunt obicem, gratiam sanctificantem ex duplici fonte ideoque auctam haurire, per se intelligitur.

Concludamus totum tractatum verbis non minus pietate quam doctrina insignis Cancellarii Lovaniensis, Ruardi Tapper (Explicat. articulorum Lovaniensium, a. 12): „Ex quibus patet magna adversariorum nostrorum erga Deum ingratitudo, qui non solum de tanto hoc beneficio gratias non agunt, sed nec agnoscere volunt, immo et ipsum persequuntur et persuadere student, hanc gratiam non esse datam fidelibus, sed esse maleficium et inventum papisticum. *Quod enim beneficium gratius et nostræ infirmitati desiderabilius præstari posset, quam hinc ad alterum sæculum migrantes contra pondus morbi et corpus et animam mortis metu aggravans alleviari et hilares reddi, tamquam nulla tenerentur afflictione, et remitti peccata omnia quoad culpam et pœnam, ut parati sint omni impedimento iam ablato statim post decessum ex hoc mundo sponsi sui thalamum ingredi et gloriæ coronam suscipere. Immediate namque ad gloriam disponit et ad eam deducit istud sacramentum, si nullum inveniat in suscipiente obicem.*"

Index

inscriptionum operum russiacorum, quæ per decursum tractatus citantur.

Arhangelskij, Mihail; protoijerej. „Izslědovanije ob istoričeskom razvitii činosoveršenija Jeleosvjaščenija ot ustanovlenija sego tainstva do izdanija nyněšnjago jego „Poslědovanija", s podrobnym izjasnenijem sego poslědnjago". S.-Peterburg, 1895.

Archangelskij, M.; protohiereus. „Inquisitio de evolutione historica ritus benedictionis olei". Petroburgii, 1895.

Běljaev, A.; Professor Moskovskoj duhovnoj akademii. „Jeleosvjaščenije" v „Pravoslavnoj Bogoslovskoj enciklopediji", tom V, S.-Peterburg, 1904.

Bieljaev, professor academiæ theologicæ Moskoviensis. „Benedictio olei" in „Orthod. theol. encyclopædia", t. V. Petroburgii, 1904.

Germogen, Episcop Pskovskij i Porhovskij. „O svjatyh tainstvah pravoslavnoj cerkvi". Izdanije vtoroje. S.-Peterburg. 1904. 8°. 179 str. + IV.

Germogenes, Episcopus. „De ss. Sacramentis orthodoxæ ecclesiæ". Editio II. S. Petroburgii. 1904.

Dmitrievskij, A. „Nedostatki sovremennago cerkovno-religioznago vospitanija". Kiev. 1901.

Dmitrievskij, A. „De defectibus contemporaneæ ecclesiastico-religiosæ educationis. Kioviæ. 1901.

Ignatij, Archiepiskop Voronežskij i Zadonskij. „O tainstvah jedinoj, svjatoj, sobornoj i apostolskoj cerkvi. Opyt arheologičeskij." Izdanije vtoroje. Sanktpeterburg. 1863.

Ignatius, Archiepiscopus. „De sacramentis unius sanctæ catholicæ et apostolicæ ecclesiæ." Petroburgii. 1863.

Makarij, mitropolit Moskovskij. „Pravoslavno-dogmatičeskoje bogoslovije". Izdanije pjatoje. Peterburg. 1895.

Macarius, metropolita. „Orthodoxo-dogmatica theologia". Editio V. Petroburgii. 1895.

Petrovskij, A. „Jeleosvjaščenije s obrjadovoj storony" v „Pravoslavnoj Bogoslovskoj enciklopediji", tom V. Peterburg, 1904.

Petrovskij, A. „De benedictione olei sub respectu rituali" in „Orthodoxa theologica encyclopædia" t. V. Petroburgii, 1904.

Stefan, Episkop Mogilevskij i Mstislavskij. „Tainstva i obrjady pravoslavnoj cerkvi" Har'kov. 1904. 8°. 36 str.

Stefanus, Episcopus. „De sacramentis et ritibus orthodoxæ ecclesiæ". Charkov, 1904.

Index Alphabeticus
rerum et personarum.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Fol. №: 319 Regensburg, den 20. 6. 1910

Rechnung

von

Friedrich Pustet,

Verlags- und Sortimentsbuchhandlung, Buchdrucker des Heil. Apostol. Stuhles.

für Hochwürden Herrn Pfarrer Hoffmann,

Kayerschied

Für Zahlungen empfiehlt sich die Benützung der Postanweisungen, deren Gebühren in ganz Deutschland betragen: bis zu 5 M. nur noch 10 ₰, bis zu 100 M. 20 ₰, bis zu 200 M. 30 ₰, bis zu 400 M. 40 ₰, bis zu 600 M. 50 ₰, bis zu 800 M. 60 ₰.

Zahlbar in Regensburg.

			M	₰
	1	Ferm. De Sacramento geb.	5.	–

Bei Zahlungen und event. Rücksendungen wollen Sie Name sowie Fol.-Nr. gefl. recht genau bezeichnen.